THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER PRIMUS

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

SEU

Tractatus de Veritate Revelationis Christi

quam in gratiam
alumnorum Seminarii Gandavensis conscripsit

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS

HENRICUS-CAROLUS LAMBRECHT,

EPISCOPUS GANDAVENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR,
OLIM IN SEMIN. GANDAV. PROFESSOR, ETC.

Acc 666

GANDAVI,
EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL^mi EPISCOPI.
1889.

PROPRIETAS.

INTRODUCTIO

AD UNIVERSAM THEOLOGIAM CATHOLICAM.

Ad fructuosum cujusvis disciplinæ studium, necessario prærequiritur clara notitia tum de ejus *essentia*, quia operi incognito nemo potest incumbere; tum de ejus *divisione*, quia secus neque ordo neque claritas haberetur in ideis acquirendis; tum de *methodo* in ea adhibenda, ne quis falsam sequendo viam a veritate aberret; tum de ejus *historia*, ne ex majorum experientia et studio utilitatem capere inscite negligamus; tum de ejus *fructibus*, ut his cognitis, studiosius in eam incumbamus. Quapropter, in hac ad universam theologiam catholicam introductione, hujus disciplinæ essentiam, divisionem, methodum, historiam atque utilitatem in lucem ponere conabimur.

§ I.

Q. QUID EST THEOLOGIA IN UNIVERSUM, ET QUID THEOLOGIA CATHOLICA IN SPECIE?

R. *Theologia in universum sumpta, juxta communem suam acceptionem, est scientia de Deo rebusque divinis ex divina revelatione seu ex verbo Dei hausta. Theologia catholica in specie definienda est : scientia de Deo rebusque*

divinis, hausta ex revelatione divina quæ a Christo est facta, in S. Scriptura et in Traditione contenta, et per Ecclesiam Romano-Catholicam infallibiliter nobis proposita.

—

I. Explicatio definitionis theologiæ in universum sumptæ.

a) De voce *theologia* sequentia pro rei intelligentia sunt notanda. Ex etymo suo hæc vox significat *sermonem seu doctrinam Dei,* aut *sermonem seu doctrinam de Deo.* Inde apud paganos passim adhibebatur ad exprimendam qualemcumque de Deo rebusque divinis scientiam, uti constat ex S. Augustino (*De Civ. Dei* XVIII, 14) dicente : « Per idem tem- » poris intervallum (tempore nempe exitus Israël ex Ægypto » usque ad mortem Josue) exstiterunt poëtæ, qui etiam *Theologi* » dicerentur, *quoniam de diis carmina faciebant.* » — Postquam autem Ecclesia Christi erat fundata, antiqua hujus vocis significatio restringi cœpit ad unice exprimendam doctrinam de Deo ex revelatione divina haustam, ita ut doctrina de Deo ex rationis lumine comparata illo nomine jam non exprimeretur; qui sensus universim invaluit et hucusque sine intermissione permansit. In initio quidem Ecclesiæ insuper restricta fuit significatio hujus vocis, ad unice exprimendam scientiam de Deo in se considerato, ita ut scientia de rebus divinis sub isto nomine non amplius veniret. Cujus rei vestigium manifestum habetur, in eo quod S. Joannes præ cæteris Evangelistis *Theologus* ab antiquis Patribus vocatur, quoniam apertius et insignius reliquis *divinitatem* Christi asseruit; et pariter S. Gregorius Nazianzenus eodem titulo condecoratus est, quia in suis scriptis tam strenue *divinitatem* Filii et Spiritus Sancti contra hæreticos vindicavit. Verum jam ante Scholasticorum ætatem restrictio hæc cessaverat, et rursus vox *theologia* usurpabatur ad significandam scientiam tum de Deo tum de rebus divinis, modo tamen ex revelatione esset hausta. Id clare

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

constat ex compendio totius doctrinæ christianæ tam de Deo quam de rebus divinis, sæc. XI ab Abælardo composito, quod pro inscriptione habet : *Theologia Christiana*. Hic autem sensus ad nostros usque dies constanter et ubique in usu permansit, ita ut theologia in universum sumpta vere definienda sit : *scientia de Deo rebusque divinis ex divina revelatione hausta.*

b) Theologia dicitur *scientia*, qua nota distinguitur a Catechismo, qui eamdem habet materiam et eodem nititur fundamento ac theologia, sed est mera *vulgaris cognitio*. — Scientia autem se habet ad vulgarem cognitionem sicut res perfecta ad imperfectam. Scientia enim objectum, de quo tractat, plene definit; veritates, quas docet, omni qua potest demonstratione stabilit; omnes adversariorum objectiones refellit ex principiis jam admissis; quasvis conclusiones in principiis contentas ex eisdem deducit; et nexum, qui inter varia doctrinæ suæ puncta existit, clara ponit in luce. Contra, vulgaris cognitio res ultra non definit, quam necessarium sit, ut falsa vitetur rerum intelligentia; nec ultra veritates demonstrat et contra adversarios defendit, quam oporteat ut ipsæ valeant admitti; nec e principiis omnes deducit conclusiones, sed principaliores tantum; nec magis nexum inter doctrinæ puncta manifestat, quam requiratur ut res intellectu concipi et memoria teneri possint. — Observetur quosdam fuisse auctores, qui contenderint theologiam non esse scientiam proprie dictam. Nomen scientiæ, aiunt isti, nonnisi perfectæ cognitioni evidentibus rationis principiis nixæ tribui potest; ac proinde non convenit theologiæ, quippe quæ non ex rationis principiis sed ex Dei revelatione hauriatur. Atvero respondetur hanc definitionem, quam de scientia dant, a sensu, quem communiter hæc vox tum apud populum tum apud scriptores obtinet, penitus recedere; ac proinde admitti non posse. Solemus enim omnes nomen scientiæ tribuere cuivis perfectæ cognitioni, etiam isti, quæ ultima sua principia non demonstrat, sed ex alia scientia accipit; nam

innumeræ sunt in mundo cognitiones, quæ scientiæ vocantur, et tamen ultima sua principia accipiunt aut a philosophia, aut a mathesi aut a geometria. Quocirca non est cur negetur theologiam esse veram et proprie dictam scientiam.

c) Dicitur theologiam esse scientiam *de Deo rebusque divinis;* quibus verbis exprimitur theologiæ *materiale objectum* seu *materia* circa quam versatur. — Per *Deum* hic intelligitur Deus in se, sub omni respectu consideratus, nimirum sub respectu suæ naturæ, et personarum suarum. Per *res divinas* vero intelliguntur ea omnia, quæ non sunt Deus, sed ad eum aliquo modo pertinent, sub hoc solo respectu, quo ad eum pertinent, considerata. Hujusmodi autem res, quæ non sunt Deus, sed ad Deum pertinent, aliæ non habentur, ac opera Dei ad extra; officia, quæ entia intelligentia erga Deum habent; et ipsorum erga eum opera. — Ex dictis evidenter liquet Deum theologiæ esse *principalius objectum materiale*, nam ipsa versatur circa Deum totum, et cætera, quæ attingit, nonnisi sub ratione Dei considerat; tum etiam ejus esse *subjectum attributionis* (h. e. subjectum ad quod omnia, quæcumque in aliqua scientia disseruntur exponunturque, referuntur atque respiciunt), nam ipsa res tantummodo attingit sub respectu quem habent ad Deum. — Notetur theologiam ex parte materiæ suæ recte vocari posse *scientiam religionis*, cum objectum, circa quod versatur, Deus scilicet, opera ejus, atque nostra erga ipsum officia et opera, constituat objectum *religionis* quæ est nexus ligans hominem cum Deo.

d) Dicitur : *ex divina revelatione seu ex verbo Dei hausta,* vel, quod idem est, super divinam revelationem seu verbum Dei fundata : quibus verbis declaratur theologiæ *fons* seu *fundamentum*. — Ejus igitur fons seu fundamentum non est humanæ rationis lumen, sed divina revelatio seu verbum Dei; et ita distinguitur a *theodicea* et ab *ethica*, quæ etiam de Deo, de operibus ejus, deque nostris erga eum officiis tractant, sed

unice humanæ rationis principiis nituntur. Inde in theologia veritates non demonstrantur ex evidentia intrinseca rei, quemadmodum v. g. in theodicea, ex evidentia rei per argumentum ex contingentia mundi, quæ necessario causam primam postulat, demonstratur Deum vere existere; sed ex eo quod Deus omniscius et summe verax declaravit rem ita esse, vel saltem ex evidenti connexione rei demonstrandæ cum principio a Deo revelato. — Duplicem hunc cognitionis circa Deum resque divinas fontem, rationis nempe lumen et Dei revelationem, clare distinguit Conc. Vaticanum in Const. *Dei Filius*, c. II : « *Eadem Sancta Mater Ecclesia*, ait, *tenet et docet, Deum, » rerum omnium principium et finem, naturali humanæ » rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invi- » sibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta » sunt, intellecta conspiciuntur : attamen placuisse ejus » sapientiæ et bonitati, alia eaque supernaturali via se ipsum » ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, » dicente Apostolo : Multifariam, multisque modis olim Deus » loquens patribus in Prophetis : novissime, diebus istis » locutus est nobis in Filio.* »

Pariter S. Thomas clare exponit essentialem illam theologiæ a theodicea et ethica sub respectu fontis seu fundamenti differentiam, ubi P. 1. q. 1. a. 8 dicit : « Argumentari ex auctoritate » est maxime proprium hujus doctrinæ (theologiæ), eo quod » principia hujus doctrinæ per revelationem habentur; et sic » oportet quod credatur auctoritati eorum, per quos revelatio » est facta. » — Notetur theologiam ex parte *fontis* seu *fundamenti* sui recte dici *scientiam fidei*. Cum enim omnes suas demonstrationes deducat ex verbo Dei, quod fide est credendum et inde fides vocatur (fides scilicet *objectiva*, seu id quod creditur), merito dicitur *scientia fidei*, scientia nempe ex fide seu ex veritatibus, quas fide credimus, hausta.

II. Explicatio definitionis theologiæ catholicæ. *a)* Si

Theologia est scientia de Deo rebusque divinis ex revelatione hausta, per se liquet theologias variarum sectarum, quæ revelationem a Deo factam esse admittunt, diversas fore secundum diversam revelationem aut diversa revelationis conservandæ et proponendæ media ab ipsis admissa.

b) Dicitur theologiam catholicam esse haustam *ex divina revelatione, quæ a Christo est facta, in S. Scriptura et in Traditione contenta, et ab Ecclesia Romano-Catholica nobis proposita.* Catholici enim tenent Deum humano generi de se rebusque divinis completam doctrinam novissime revelasse per Messiam seu Christum; hanc Christi doctrinam in duobus thesauris divinitus institutis, S. Scriptura nempe et Traditione, totam contineri; et per Ecclesiam pariter divinitus institutam, quæ est Ecclesia Romano-Catholica, infallibiliter nobis proponi. Hac nota distinguitur a *theologia Judæorum*, qui revelationem Christi respuunt, et revelationem veteris testamenti solam admittunt; necnon a *theologia Protestantium*, qui revelationem Christi quidem accipiunt, sed aliud ad hanc Christi doctrinam conservandam et proponendam non admittunt medium, ac solam S. Scripturam secundum propriam uniuscujusque sententiam intellectam.

c) Quod autem catholici ut verum Dei verbum habent doctrinam a Christo revelatam, in S. Scriptura et in Traditione contentam, et ab Ecclesia Romano-Catholica propositam, luculenter constat, uti omnibus notum est, ex tota Ecclesiæ catholicæ historia et ex variis conciliis in ea celebratis, præcipue ex concilio Tridentino et ex recenti concilio Vaticano; cujus verba, utpote brevia et clarissima, referre juvabit. In Constitutione nempe *Dei Filius* c. II, inprimis clare declaratur Ecclesiam catholicam ut verbum Dei habere doctrinam Christi; legitur nempe : « *Eadem S. Mater Ecclesia tenet... placuisse ejus* » *(Dei) sapientiæ et bonitati, alia eaque supernaturali via se* » *ipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi*

» *revelare, dicente Apostolo : Multifariam multisque modis* » *olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime,* » *diebus istis locutus est nobis in Filio,* » i. e. in Christo. Dein eam quoque tenere, quod Christi revelatio in S. Scriptura et in Traditione continetur, declaratur in eodem capite per sequentia verba : « *Hæc porro supernaturalis revelatio,* » *secundum universalis Ecclesiæ fidem, a Sancta Tridentina* » *Synodo declaratam, continetur in libris scriptis* (S. Scrip- » tura), *et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore* » *ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto* » *dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervene-* » *runt.* » Tandem in c. IV dicitur, quod Ecclesia catholica tenet, sibi divinitus collatum esse munus Christi revelationem infallibiliter proponendi : « *Neque enim fidei doctrina,* aiunt Patres, » *quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum pro-* » *posita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam* » *divinum depositum Christi Sponsæ* (Ecclesiæ) *tradita,* » *fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc* » *sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est reti-* » *nendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia* » (Ecclesia scilicet Romano-Catholica), *nec unquam ab eo* » *sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum.* »

III. Corollaria. *a)* Theologia, cum sit scientia ex fide, ex veritatibus scilicet fide divina creditis hausta, ad fidem se habet ut conclusio ad suum principium; ac proinde ipsa non generat in nobis fidem, sed a fide generatur; nec fidem antecedit sed fidem sequitur. Non enim ex Dei revelatione scientia potest hauriri; si hæc revelatio non sit cognita, et fide non accepta

b) Ex eo quod theologia est scientia ex Dei revelatione seu ex fide hausta, liquet etiam quomodo ipsa ad finem se habeat sub respectu tum materiæ, tum motivi assensus. Fides pro materia tantum habet omnes et singulas veritates a Deo explicite vel implicite revelatas; et quoad assensus motivum totaliter

nititur auctoritate Dei revelantis. Theologia autem pro materia ultra fidei veritates etiam habet omnia et singula, quæ ex eis deduci possunt; nam ipsa est harum fidei veritatum scientia, et ad scientiam pertinet ex veritatibus, circa quas versatur, ea omnia deducere, quæ inde deduci possunt. Dein pro motivo assensus circa ea omnia, quæ explicite vel implicite revelata non sunt, sed ex istis veritatibus revelatis per discursum rationis deducuntur, theologia non totaliter in auctoritate Dei revelantis nititur, sed partim tantum in ea et partim in discursu rationis; ita ut assensus in conclusionem theologicam neque assensus fidei sit (qui in sola Dei auctoritate nititur), neque merus assensus rationis seu philosophicus (qui in solis rationis principiis nititur), sed assensus intermedius, partim in Dei auctoritate partim in rationis principiis nixus. Et hoc quidem per se liquet : cum enim conclusiones istæ a Deo explicite vel implicite non sint revelatæ, sed per rationis discursum ex istis revelatis veritatibus deducantur, motivum eis assentiendi non est solum Dei verbum aut sola humana ratio, sed partim Dei verbum et partim rectitudo discursus rationis ex Dei verbo conclusiones deducentis.

c) Ex eo quod theologia est scientia ex Dei revelatione hausta, colligitur quoque, ipsam theodiceæ et ethicæ præstare tum ratione *extensionis materiæ*, quia Deus, cujus revelatio est theologiæ fundamentum, multa sane novit nobisque manifestavit quæ humana ratio prorsus nequit attingere; tum ratione motivi *certitudinis*, quia Dei omniscii et summe veracis testimonium, quo theologia nititur, longe firmius et certius est finitæ et fallibilis rationis nostræ dictamine, quo theodicea et ethica nituntur; tum ratione *dignitatis*, nam perfectius et nobilius sane est a Deo infinite sapiente edoceri, et ita ipsius divinæ scientiæ participem fieri, quam sua tantum naturali facultate veritatem apprehendere. — Verum quidem est theodiceam et ethicam habere veritatum, quas proponunt, evidentiam intrinsecam,

quam theologia, utpote ex testimonio hausta, non habet; sed prærogativæ ad theologiam pertinentes tantæ sunt, ut hunc defectum abunde compensent.

d) Tandem ex eo quod theologia nititur ipso Dei testimonio, cui falsum subesse non potest, etiam colligitur, ad ipsam pertinere ut de aliis scientiis omnibus, quæ fallibili humanæ rationis lumine nituntur, judicium ferat; nam, uti evidens est, scientia fallibili nixa fundamento cedere omnino debet scientiæ, quæ infallibili nititur fundamento. Recte igitur dixit S. Thomas P. 1; a. 6. ad 2 : « Quidquid in aliis scientiis invenitur veritati » hujus scientiæ (theologiæ) repugnans, totum condemnatur ut » falsum. » — Nec dicatur aliarum scientiarum progressum inde impediri. Etenim scientiæ pro fine non habent errorem sed veritatem, ac proinde ubi ab errore præmuniuntur et ad veritatem assequendam juvantur, tunc a progrediendo non impediuntur, sed contra ad progrediendum accipiunt auxilium. Jamvero, ubi theologia ex infallibili Dei verbo, quo nititur, aliam scientiam regit eique rectam indicat viam, eam ab errore vere præmunit atque ad finem assequendum immediate juvat. Ergo, non solum aliarum scientiarum progressum non impedit, sed contra maxime promovet.

§ II.

Q. Quomodo dividitur theologia catholica?

R. *Præcipue dividitur in theologiam* **fundamentalem**, *cujus est veritatem demonstrare revelationis, e qua scientia de Deo rebusque divinis est haurienda, revelationis nimirum a Christo factæ, in S. Scriptura et in Traditione contentæ, et ab Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter propositæ; et in theologiam* **specialem**, *quæ pro munere habet ex hac revelatione, de qua in theologia fundamentali tractatum est, omnes et singulas veritates de Deo rebusque divinis depromere, quæ inde depromi possunt. — Dein theologia* **specialis**

subdividitur in **Dogmaticam**, *quæ pro materia habet omnes et singulas res, quæ mere sunt speculativæ, i. e. quæ sunt cognoscendæ sed non faciendæ; et in* **Moralem**, *quæ versatur circa omnes et singulas res, quæ sunt practicæ, i. e. cognoscendæ et simul faciendæ.*

—

I. Explicatio divisionis in theologiam fundamentalem et specialem. *a)* Omnis scientia, quæ alterius testimonio nititur, necessario hæc duo præstare debet : prius debet inquirere de veritate testimonii, quo nititur, deque ejus servata integritate (si nempe immediate non sit acceptum); et dein hoc peracto, ex isto testimonio omnes et singulas veritates, quæ in ipso continentur et ad intentum scopum spectant, depromere easque exponere. Ita historia, quæ tota testimonio nititur, debet inquirere quænam existant vetera documenta, qualis sit ipsorum valor, ubinam sint conservata, et an integra remanserint; et dein, hisce exploratis, ex istis documentis ea omnia eruere, quæ in ordine ad suum scopum inde erui possunt. Non potest sane omitti disputatio illa scientifica de documentorum, quibus innitendum, veritate et integritate; nam, nisi hæc documenta plene habeantur explorata, nulla poterit doctrina ex eis tuto erui, plene demonstrari, aut egregie contra impugnantes defendi. Verum quidem est, hanc de documentis inquisitionem ex se sola non dare illam scientiam, quæ intenditur, sed ponit ejus fundamentum et ita est essentialis ejus pars. Quemadmodum nempe in domo fundamentum per se solum domum non constituit, sed est ejus pars essentialis, talis nempe pars sine qua domus existere nequit; ita in scientia testimonio nixa, testimonii exploratio nondum dat hanc scientiam, quæ quæritur, sed ponit ejus fundamentum.

Jamvero theologia est scientia testimonio nixa, testimonio nimirum Dei revelantis; ergo necessario has duas complectitur

partes : partem nimirum unam in qua scientifice inquiritur an revelatio, qua innitendum est, sit vere a Deo facta, atque ubinam et quomodo sit integre conservata; et partem alteram, in qua omnes et singulæ veritates de Deo rebusque divinis in hac vera Dei revelatione, integre ad hosce dies custodita, contentæ scientifice sunt exponendæ.

Prior autem illa pars ex ipsa sua natura vocanda est *fundamentalis*. Quidam tamen eam vocant *generalem*, quia nimirum inservit ad stabiliendas omnes et singulas veritates ex revelatione deducibiles. Posterior vero pars vocatur *specialis*, quia particulatim singulas veritates de Deo rebusque divinis ex revelatione deducibiles considerat.

b) Quomodo theologia fundamentalis catholicorum sit ordinanda ex dictis liquet. Catholici enim, ut vidimus, de vera Dei revelatione deque integra ejus conservatione hæc tenent : veram Dei revelationem esse a Messia seu a Jesu Christo factam; duos esse thesauros seu duo esse organa a Christo instituta quibus ea integre conservatur, S. Scripturam scilicet et Traditionem; et insuper eam nobis infallibiliter proponi per Ecclesiam a Christo institutam, quæ est Ecclesia Romano-Catholica. Ergo in theologia nostra fundamentali tres sunt tractatus : 1° **Tractatus de veritate revelationis Christianæ,** seu **Demonstratio Christiana,** in quo demonstratur, doctrinam Christi esse veram Dei revelationem. 2° **Tractatus de Locis Theologicis,** seu **de S. Scriptura et de Traditione,** in quo demonstratur a Christo instituta esse duo organa seu duos thesauros, S. Scripturam et Traditionem, quibus sua doctrina conservaretur; et 3° **Tractatus de Ecclesia Romano-Catholica** seu **Demonstratio Catholica,** in quo demonstratur a Christo Ecclesiam esse institutam, quæ munus habeat doctrinam ejus infallibiliter proponendi, et hanc Ecclesiam esse Ecclesiam Romano-Catholicam. — Hisce tractatibus absolutis, scientificam habebimus cognitionem de theologiæ catholicæ fundamento, seu scientifice cognoscemus

verum Dei verbum esse Christi revelationem, in S. Scriptura et in Traditione contentam et ab Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter propositam; et ex ea sola hauriendam esse revelatam de Deo rebusque divinis doctrinam.

II. Explicatio divisionis theologiæ specialis in Dogmaticam et Moralem. Hujus divisionis ratio facile intelligitur. Materia enim theologiæ specialis sunt Deus in se consideratus resque divinæ; et aliæ res divinæ non habentur ac opera Dei ad extra, atque officia et opera nostra erga ipsum, quemadmodum supra diximus. Jamvero inde aperte constat in theologia speciali haberi tum res mere speculativas, quæ scilicet sunt cognoscendæ, sed non faciendæ, uti sunt existentia et attributa Dei, creatio mundi, incarnatio Filii Dei, lapsus Adami etc.; tum res practicas, quæ scilicet sunt cognoscendæ et faciendæ, uti sunt officium amandi Deum, non furandi, etc. Ergo recte dividi potest theologia specialis in unam partem, quæ solas res speculativas complectitur et vocatur *dogmatica* (a *dogmate* scilicet, qua voce antiqui intelligebant philosophica placita, maxime eorum placita speculativa), et in alteram quæ complectitur solas res practicas, et inde *moralis* vocatur, utpote mores regulans.

Observetur tamen theologiam fundamentalem a multis etiam dogmaticam vocari et uti partem theologiæ dogmaticæ haberi, quia ejus materia est fere tota speculativa; atque illos dogmaticam inde distinguere in *fundamentalem* et *specialem*. Ob hunc autem multorum loquendi modum, solent auctores ut falsa evitetur verborum intelligentia, dogmaticam stricte dictam, quam mox definivimus, vocare *dogmaticam specialem*.

III. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *Quomodo dividitur Dogmatica?*

R. Theologia dogmatica pro objecto habet omnia et singula puncta speculativa de Deo in se considerato, et de rebus divinis, scilicet de operibus Dei ad extra, deque operibus hominum erga Deum, in divina revelatione contenta. Jamvero quæcumque de

Deo in se considerato revelatio declarat, pertinent vel ad naturam vel ad personas ejus; et omnia speculativa gravioris momenti puncta quæ circa opera Dei ad extra et circa hominum erga Deum opera nos docet, ad hæc capita revocari possunt : *a)* Deus creavit ex nihilo mundum, angelos et homines, ordinemque supernaturalem instituit; quidam ex angelis peccarunt et statim in infernum detrusi sunt; primus homo etiam peccavit sed promissionem redemptoris accepit; *b)* Filius Dei incarnatus est seu homo factus est, ut hominem redimeret; *c)* homo lapsus gratiis eget ut ad finem suum supernaturalem perveniat, et eas obtinet per merita Filii Dei incarnati; speciales hujus gratiæ canales sunt sacramenta a Filio Dei incarnato instituta; *d)* tandem Deus consummat hæc omnia per novissima quædam opera, tum circa singulos homines tum circa mundum totumque humanum genus. Inde theologia dogmatica apte dividi potest : 1° in tractatum *de Deo secundum naturam suam considerato;* 2° in tractatum *de Deo secundum personas suas considerato*, seu *de SS. Trinitate;* 3° in tractatum *de Deo Creatore;* 4° in tractatum *de Lapsu angelorum et hominis*, sed hic ob brevitatem suam solet annecti tractatui de Deo Creatore; 5° in tractatum *de Deo Incarnato* seu *de Incarnatione Verbi divini;* 6° in tractatum *de Gratia;* 7° in tractatum *de Sacramentis in genere et in specie*, sed hic solet tradi in theologia morali, cum puncta ad Sacramenta pertinentia quoad majorem partem sint practica, et ita non ad dogmaticam sed ad moralem spectent; 8° in tractatum *de Novissimis.*

Q. II. *Quomodo dividitur Theologia Moralis?*

R. *Theologia Moralis* universim dividitur in *Moralem generalem* et in *Moralem specialem.* Theologia moralis enim pro objecto habet omnia et singula nostra erga Deum officia. Jamvero ad recte determinanda officia nostra erga Deum, oportet imprimis, accurate determinare illorum officiorum principia *generalia;* hoc autem fit in ea parte theologiæ

moralis quam *generalem* seu *fundamentalem* jure merito appellant quæque, pro scopo suo, agit : *a) de actibus humanis* in genere, et in specie *de peccatis; b) de regulis actuum humanorum*, videlicet : de regula *remota* h. e. *de legibus* et de regula *proxima* h. e. de *conscientia*.

Statutis officiorum nostrorum principiis generalibus, jam considerare oportet tum officia illa in seipsa, tum (in præsenti œconomia gratiæ) usus mediorum quæ Christus instituit ut, officia illa adimplendo, salutem consequeremur. Utrumque constituit objectum theologiæ moralis *specialis*. — *A) Officia nostra in semetipsa* sub vario respectu considerari possunt; unde, a diversis auctoribus diversa adhibetur divisio in hac parte theologiæ moralis, prout respiciunt : *a)* vel *bona* circa quæ versantur officia nostra *(divisio decalogi); b)* vel *motivum* quo nituntur *(divisio secundum virtutes); c)* vel *passionem* quam moderantur *(divisio secundum peccata capitalia)*. — *B) Media salutis* a Christo instituta, sunt *Sacrificium Missæ* et *Sacramenta;* quare in altera parte theologiæ moralis *specialis*, agendum erit *a) de usu Sacrificii Missæ* et *b) de usu septem Sacramentorum*.

A *Theologia Morali stricte dicta* distinguitur *Ascetica*. *Moralis stricte dicta* pro objecto habet omnia et singula nostra erga Deum officia, *sub peccato* implenda; *Ascetica* vero seu *Ascesis* tractat de omnibus et singulis actionibus quæ conducunt ad Deum perfectius colendum, quam lex sub peccato obligans id requirit; et quæ proinde non ut officia sub peccato implenda, sed ut sapientissima tantum consilia nobis proponuntur. — Observetur illi parti theologiæ Asceticæ, quæ de sublimissima perfectione tractat, nomen *Mysticæ* sat communiter tribui. Sunt tamen auctores, qui promiscue vocibus Mystica et Ascetica utantur, per Mysticam id ipsum ac per Asceticam intelligentes.

Q. III. *Quomodo distinguitur Theologia Moralis a Jure Canonico?*

R. Theologia moralis proponit morum regulam ex divina revelatione haustam, jus canonicum autem proponit leges per Ecclesiam latas; et ita inter se ex parte materiæ differunt.

§ III.

Q. QUALI METHODO TRACTANDA EST THEOLOGIA CATHOLICA?

R. *Theologia specialis, cum pro munere habeat, scientificam dare de Deo rebusque divinis notitiam non ex ratione sed ex verbo Dei, ex doctrina scilicet Christi in S. Scriptura et in Traditione contenta, et infallibiliter ab Ecclesia Romano-Catholica, proposita, haustam, necessario sequenti ratione est tractanda : ultimum fundamentum omnium et singularum rerum, quæ in ea dicendæ sunt, debet semper esse istud Dei verbum, nunquam vero rationis humanæ naturale lumen. — Quid autem pro more scientiæ ex hoc Dei verbo depromere debeat, ita definiri potest :* a) *imprimis debet inde demonstrare veritates, quas proponit; ostendendo scilicet eas contineri in Christi doctrinæ thesauris, in Scriptura nempe et Traditione, aut etiam in Ecclessiæ definitionibus; quæ est ejus pars* **positiva**; a) *dein debet pleniorum harum veritatum intelligentiam sub doctrinæ divinæ ductu quærere, determinando nimirum qualis sit vocum adhibitarum exacta significatio, earum veritatum cum aliis fidei aut rationis doctrinis nexum exponendo, et ex eis conclusiones deducendo; quæ est ejus pars* **scholastica**; c) *et tandem debet eodem Dei verbo nixa oppositas refellere sententias, et adversariorum solvere objectiones; quæ est ejus pars* **polemica.**

Theologia autem fundamentalis, cum demonstrare debeat veritatem ipsius verbi Dei, quo nititur theologia specialis, necessario aliud fundamentum, ac istud verbum Dei cui

credimus, habere debet, quia secus tota theologia versaretur in circulo vituoso.

Sequentia autem pro fundamento habet : — a) *Ad divinitatem doctrinæ Christi demonstrandam, ex rationis lumine ostendet revelationem divinam esse possibilem, et dein ope signorum prædicationem Christi comitantium, probabit eam vere esse Dei verbum. Quæ signa colliget ex S. Scriptura et Traditione, nondum quidem ut divinis veritatis revelatæ fontibus, sed ut mere humanis testimoniis habitis.* — b) *Dein S. Scripturam et Traditionem esse duos thesauros ad Christi doctrinam continendam divinitus institutos probabit ex ipsa Christi doctrina, quam, eodem modo ac mox hæc signa, ex S. Scriptura et Traditione ut mere humanis testimoniis habitis colliget.* — c) *Tandem Christum aliquam Ecclesiam instituisse, quæ infallibiliter ejus doctrinam proponeret, illamque esse Ecclesiam Romano-Catholicam, ostendet ex doctrina Christi hausta ex S. Scriptura et Traditione, uti divinis hujus doctrinæ fontibus jam consideratis.* — *Verum in singulis theologiæ fundamentalis tractatibus prædictæ demonstrationi addenda est et alia quæ ex ipsa Christi doctrina in S. Scriptura et in Traditione contenta et ab Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter proposita, est depromenda; et quæ proinde una et eadem est ac illa, quæ fit in theologia speciali. Et ratio est, quod auctoritate alicujus testis semel agnita, etiam ab ipso circa ejus auctoritatem edoceri possumus. Jamvero in doctrina Christi in Scriptura et Traditione contenta et ab Ecclesia Romano-Catholica proposita, habetur declaratio de ipsa ejus veritate; ac proinde hæc posterior demonstratio, præmissa jam alia, negligi non potest.* — *Liquet autem in theologia fundamentali haud secus ac in theologia speciali tria circa veritates proponendas præstari debere : veritates scilicet sunt demonstrandæ (pars positiva); plenior earum intelligentia est*

quærenda (pars scholastica); falsæ sententiæ et objectiones contra eas allatæ sunt refellendæ (pars polemica); et hæc omnia sunt secundum utramque descriptam methodum præstanda.

—

I. Explicatio et demonstratio methodi theologiæ specialis.

Ultimum fundamentum, quo theologia specialis semper niti debet, esse Dei verbum, doctrinam scilicet Christi in S. Scriptura et in Traditione contentam et ab Ecclesia Romano-Catholica propositam, manifeste constat ex ipsa ejus definitione. Non igitur naturale humanæ rationis lumen sed Dei verbum est ultima et suprema regula, juxta quam tota illa scientia est exigenda.

Cum autem theologia specialis sit vera scientia, ea omnia præstare debet, quæ scientiæ sunt; nimirum veritates quas proponit plene demonstrare; earum pleniorem dare intelligentiam; et tandem eas contra adversarios propugnare. Veritates autem suas ex verbo Dei demonstrabit, ostendendo quod ipsæ in S. Scriptura et in Traditione vere continentur, aut etiam ab Ecclesia sunt definitæ; pleniorem veritatum suarum intelligentiam inde depromet, quærendo sub supremo divinæ revelationis ductu, quomodo voces adhibitæ sint definiendæ, quomodo veritates istæ cum aliis fidei aut rationis doctrinis sint connexæ (quod fit per demonstrationes ex rationibus tum theologicis tum philosophicis), et quasnam alias veritates in se contineant (quod fieri solet corollaria ex re demonstrata deducendo); et tandem adversarios inde confutabit, sub eodem supremo divinæ revelationis ductu falsas eorum sententias refellendo, eorumque objectiones solvendo.

Pars autem demonstrativa vocatur *positiva*, utpote ponens seu probans theses theologicas; pars autem explicativa, seu illa quæ pleniorem rerum præbet intelligentiam, vocatur *scholastica*, quia præcipue exculta fuit a theologis medii ævi, qui an-

tonomastice *scholastici* vocantur, cum ipsorum schola præ cæteris in Ecclesia claruerit; tandem ultima pars, in qua adversariorum sententiæ et objectiones refutantur, ex ipso suo objecto vocatur *polemica*.

II. Explicatur et demonstratur methodus theologiæ fundamentalis. *a)* Cum theologia fundamentalis demonstare debeat doctrinam Christi, in S. Scriptura et in Traditione contentam et ab Ecclesia Romano-Catholica propositam, esse verum Dei verbum, evidenter liquet eam non esse sicuti theologia specialis, super hanc solam doctrinam fundatam. Fieri enim non potest, ut alicujus testis auctoritas ex solo testimonio, quod ipse de sua auctoritate dat, demonstretur, quin habeatur circulus vitiosus.

b) Facile autem intelligitur theologiam fundamentalem his principiis debere necessario inniti, quæ in responso proposuimus. In demonstratione nempe veritatis doctrinæ christianæ, quæ primum theologiæ fundamentalis tractatum constituit, incipiendum est ostendendo ex ratione, quod revelatio divina vere est possibilis. Si enim de ejus possibilitate congrua non habeatur intelligentia, fieri non poterit, ut perfecte cognoscatur aliquam divinam revelationem vere existere, nam prius est posse existere, quam existere; et hæc demonstratio non ex revelatione, sed ex ratione est haurienda, quia veritas revelationis adhuc est demonstranda. Dein, cognita divinæ revelationis possibilitate, probandum est Christi doctrinam vere esse Dei verbum seu divinam revelationem, idque præstetur oportet ex signis quibus ostendit Christus se revera divinam tradere doctrinam; uti ratio per se postulat. Fontes autem, unde nobis innotescunt hæc signa, quæ Christus ad suam missionem demonstrandam dedit, sunt S. Scriptura et Traditio, quæ a nobis habentur uti divina fruentes in suis testimoniis auctoritate; atvero ut tales adhiberi hic non possunt, cum divina ipsarum auctoritas nondum sit demonstrata; ac proinde eis utendum est, ac si tantum essent mere humana testimonia seu ordinaria historiæ documenta.

In tractatu de S. Scriptura et de Traditione, in quo demonstrandum est, ipsa esse duo organa seu duos thesauros a Christo ad suam doctrinam conservandam institutos, ac proinde testimonia in eis contenta divinam habere auctoritatem, innitendum necessario est ipsis verbis et factis Christi, horum fontium institutoris. Hæc autem Christi verba et facta, haud secus ac signa de quibus supra, nobis etiam innotescunt per S. Scripturam et Traditionem. Verum hic rursus attendendum est, quod eis hic non licet uti nisi tamquam humanæ auctoritatis documentis, quia eorum divina auctoritas nondum est demonstrata sed de ea inquiritur. — Observari tamen debet, quod, divina auctoritate unius ex his duobus fontibus probata, in demonstratione alterius, priori fonte uti divinam auctoritatem habente licet uti.

In tractatu tandem de Ecclesia Romano-Catholica, in quo probari debet Christum ad doctrinam suam, ex thesauris quibus eam commiserat, infallibiliter proponendam, Ecclesiam instituisse, et hanc Ecclesiam esse Ecclesiam Romano-Catholicam, liquet demonstrationem hauriendum esse ex verbis et factis Christi, atque horum verborum et factorum Christi notitiam esse quærendam in S. Scriptura et Traditione, uti divinæ auctoritatis fontibus consideratis; nam in præcedenti tractatu jam demonstratum supponitur, eas esse fontes a Christo institutos atque idcirco divina auctoritate præditos.

c) Tandem in responso etiam diximus huic demonstrationi mox descriptæ, addendam esse et aliam ex ipso Dei verbo, ex doctrina scilicet Christi, in S. Scriptura et in Traditione contenta et ab Ecclesia Romano-Catholica proposita, cui credimus, depromendam. Et hoc quidem facile intelligitur. Postquam de alicujus testis auctoritate certiores facti sumus, possumus sane et testimonio credere, quod ipse dat de sua auctoritate; ac proinde, postquam cognovimus verbum Dei, cui credimus, esse verum Dei verbum, nihil sane obstat, quin ex ipso hoc Dei

verbo edoceamur de ejus veritate. Jamvero doctrina revelata, cui credimus, de se testimonium fert; doctrina enim Christi in S. Scriptura et Traditione contenta et ab Ecclesia Romano-Catholica proposita nos docet revelationis possibilitatem, revelationis Christianæ veritatem, auctoritatem S. Scripturæ et Traditionis, Ecclesiæ institutionem atque veritatem Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Ergo et ex hoc fonte veritates, quæ ad theologiam fundamentalem pertinent, probari possunt. — Præterea hic demonstrationis modus nullatenus a nobis potest negligi, si completam velimus acquirere theologicam scientiam. Theologiæ nempe est omnia et singula puncta in verbo Dei contenta inde depromere atque scientifice exponere; sed dantur in Dei verbo, cui credimus, puncta, quæ ipsam ejus veritatem respiciunt; ergo et illa debet inde depromere atque scientifice exponere. Quæ ratio etiam hoc modo potest exponi : omnis fidelis antequam credat doctrinæ Christi, auctoritati S. Scripturæ et Traditionis, infallibilitati et missioni Ecclesiæ, debet sane prius aliunde ac ex ipsa Christi doctrina cognoscere hanc doctrinam esse vere divinam, aliunde ac ex ipsis S. Scriptura et Traditione cognoscere eas esse fontes doctrinæ Christi divinitus institutos, aliunde ac ex ipso Ecclesiæ Romano-Catholicæ testimonio cognoscere Ecclesiam a Christo vere esse institutam, et hanc Ecclesiam esse Ecclesiam Romano-Catholicam, quia secus non posset credere. Verum ubi doctrinæ Christi, auctoritati S. Scripturæ et Traditionis, et infallibilitati Ecclesiæ jam credit, tunc ex ipsis varia puncta credenda accipit, de revelationis possibilitate, de revelatione Christi, de S. Scriptura et Traditione, deque vera Ecclesia. Jamvero theologia se habet ad notitiam quam omnes fideles de Deo rebusque divinis ex fide habent, uti scientia seu cognitio perfecta ad cognitionem vulgarem seu imperfectam; ac proinde theologia debet scientifice evolvere totam illam fidei notitiam, quæ ad omnes pertinet fideles. Sed hæc fidelium notitia quoad fidei fundamentum est du-

plex, una antecedens fidem et ad eam ducens : altera autem eam consequens et ex ea fluens. Ergo theologia utramque illam cognitionem debet scientifice explanare; ac proinde fundamentales suas veritates tum uno tum altero modo supra indicato demonstrare.

d) Cum ad omnem scientiam pertineat veritates demonstare, pleniorem earum intelligentiam quærere, et quæ eis opponuntur refellere, liquet et hæc tria in theologia fundamentali præstanda esse, ac proinde in ea quoque distinguendam esse partem positivam, partem scholasticam et partem polemicam.

III. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *Qualis est rationis usus in theologia?*

R. Ratio in theologia non est domina, seu non est fons unde veritates de Deo rebusque divinis hauriuntur, cum theologia sit scientia ex divina revelatione hausta; verum ut ancilla ei præstat servitium, et quidem servitium tale, sine quo scientia theologica existere non posset.

Munera, quæ ratio in theologia exercet, sunt sequentia :

1° *Rationis est demonstrare, quod divina revelatio, cui creditur et ex qua scientia de Deo rebusque divinis est haurienda, potest et debet a nobis credi; et ita stabilire fundamentum, quo theologia innititur.* Fieri enim non potest, ut demonstratio revelationis divinæ, cui credimus, a ratione non dependeat; nam si ab alia revelatione dependeret, haberetur series revelationum a se invicem dependentium infinita, quod repugnat : ergo liquet motivum credendi divinæ revelationi non repeti ex alia revelatione, seu ex re fide cognita, sed ex ratione. — Id clare proponit S. D. Leo XIII in mirabili et doctissima sua Encyclica 4ⁱ Augusti 1879 de Philosophia scholastica, in qua dicit : « Philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter » ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suo» rumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam

» convenienter præparare : quamobrem a veteribus modo *præ-*
» *via ad christianam fidem institutio,* modo *christianismi*
» *præludium et auxilium,* modo *ad Evangelium pædagogus*
» non immerito appelata est... Et revera divinæ sapientiæ elo-
» quiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de*
» *his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui*
» *est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset ar-*
» *tifex* (Sap. XIII, 1). Igitur primo loco magnus hic et præcla-
» rus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse
» demonstret : *a magnitudine enim speciei et creaturæ cogno-*
» *scibiliter poterit Creator horum videri* (Sap. XIII, 5). — Deinde
» ostendit Deum omnium perfectionum cumulo singulariter ex-
» cellere, infinita imprimis sapientia, quam nulla usquam res
» latere, et summa justitia, quam pravus nunquam vincere pos-
» sit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam
» etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi per-
» spicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem
» atque auctoritatem conciliet. — Simili modo ratio declarat,
» evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tam-
» quam certis certæ veritatis argumentis, vel ab ipsa origine
» emicuisse; atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adjungunt,
» non temere adjungere, tamquam doctas fabulas secutos, sed
» rationabili prorsus obsequio intelligentiam et judicium suum
» divinæ subjicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii
» esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a
» Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) *ob suam*
» *admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et*
» *inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ab catho-*
» *licam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quod-*
» *dam et perpetuum esse motivum credibilitatis et divinæ*
» *suæ legationis testimonium irrefragabile.* » — Idem
docuit Pius IX in Encycl. 9. Nov. 1846 dicens : « Quam
» *multa,* quam *mira,* quam *spendida* sunt argumenta, qui-

» bus *humana ratio luculentissime evinci omnino debet,* » *divinam esse Christi religionem*..... Quæ certe omnia » tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collu- » cent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, » christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex » splendidissimis hisce æque ac firmissimis argumentis clare » aperteque cognoscens, Deum ejusque fidei auctorem existere, » ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione » penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium » præbeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum » esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum » proponit. » — Cum hac doctrina plene concinunt tum sequens propositio, cui Bonnetty ex decreto Indic. 11 Jun. 1855 debuit subscribere : « Rationis usus fidem præcedit, et ad eam ope re- » velationis et gratiæ conducit; » tum canon 3, cap. 3. Const. *Dei Filius,* Conc. Vaticani : « Si quis dixerit, revelationem di- » vinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola » interna cujusque experientia aut inspiratione privata homi- » nes ad fidem moveri debere; anathema sit. » — S. Thomas pariter dicit 2^a $2^{æ}$, Q. 1. a. 4 : « Non enim crederet (homo), nisi » videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum vel » propter aliquid hujusmodi; » et Q. 2. a. 9 : « Ille qui credit » habet sufficiens inductivum ad credendum : inducitur enim » auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et quod » plus est, interiori instinctu Dei invitantis; » et *Contra Gentiles* I. 6 : « Hujusmodi autem veritati, cui ratio humana expe- » rimentum non præbet, fidem adhibentes non *leviter* credunt. » Hæc enim divinæ sapientiæ decreta ipsa divina sapientia ho- » minibus dignata est revelare, quæ sui præsentiam et doctrinæ » et inspirationis veritatem *convenientibus argumentis* ostendit, » dum... opera visibiliter ostendit, quæ totius naturæ superant » facultatem. » Nec minus clare hac de re loquitur S. Augusti- nus, ubi *de Prædestin.* c. 2. dicit : « Quis non videat, prius

» esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, » nisi prius cogitaverit esse credendum. »

2° *Rationis etiam est, e veritatibus in divina revelatione contentis efformare theologicam scientiam;* uti dicit S. D. Leo XIII in citata Encycl.: « Solidissimis positis fundamentis, » ait, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiæ usus, » ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque veræ » scientiæ suscipiat atque induat. » — Ad theologicam autem scientiam efformandam sequentia præstat : *a)* Inprimis diversa doctrinæ revelatæ puncta ita disponit, ut unum veluti corpus constituant, et apto inter se nexu cohæreant : quod tam pro mera cognitione catechistica quam pro theologia omnino requiritur. « In hac nobilissima, ait Leo XIII, disciplinarum magno- » pere necesse est, ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum » partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quæque locis » convenienter dispositæ, et ex propriis principiis derivatæ apto » inter se nexu cohæreant. » *b)* Dein auxilium fert ad constituendam positivam Theologiæ partem, scilicet « ut, omnes et » singulæ (doctrinæ partes), uti dicit Leo XIII, suis iisque » invictis argumentis confirmentur; » quod efficit colligendo Scripturæ et Traditionis documenta ad rem demonstrandam pertinentia, et de eis dando sub Ecclesiæ ductu veram interpretationem. *c)* Informat etiam partem scholasticam, exacte scilicet res definiendo, veritatum cum aliis fidei punctis aut etiam rationis principiis analogiam exponendo, et conclusiones ex eis deducendo. « Nec silentio, ait S. D. Leo XIII, præ- » tereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque ube- » rior rerum quæ creduntur cognitio, et ipsorum fidei myste- » riorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, » quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi stu- » duerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus fructuosissimam » esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam » plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integri-

» tate vitæ fideique studio ingenium conjungunt philosophicis » disciplinis expolitum, præsertim cum eadem Synodus Vati- » cana doceat, ejusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam *tum* » *ex eorum, quæ naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e* » *mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis* » *ultimo* peti oportere. » *d)* Tandem maxime etiam confert ad partem polemicam, multas objectiones, quæ e philosophia sunt desumptæ, ex ipsa refellendo. « Postremo hoc quoque, ait S. D. » Leo XIII, ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates di- » vinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant » resistere. Quam ad rem, magna est philosophiæ laus, quod » fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis muni- » mentum habeatur. *Est quidem,* sicut Clemens Alexandrinus » testatur, *per se perfecta et nullius indigna Servatoris doc-* » *trina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem* » *græca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed* » *cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumen-* » *tationes et propulset dolosas adversus veritatem insidias,* » *dicta est vineæ sepes et vallus.* Profecto sicut inimici ca- » tholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos ap- » paratus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita di- » vinarum scientiarum defensores plura e philosophiæ penu » depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. » Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda » est, quod adversariorum arma, humanæ rationis artibus ad » nocendum parata, humana ipsa ratio potenter expediteque re- » pellat. » — Variis istis officiis rationis in theologia declaratis, S. D. Leo XIII addit, quod in initio responsi monuimus : « Ve- » rum, ait, ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis » fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab » eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum » antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctori- » tatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit

» plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas,
» quæ cujuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana,
» propriæ infirmitatis conscia, majora se affectare ne audeat,
» neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri,
» neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plene atque hu-
» mili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi
» liceat, in morem ancillæ et pedissequæ, famulari cœlestibus
» doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere. »

Q. II. *An constituenda est positiva de fide dubitatio tamquam studii theologici fundamentum?*

R. Fideles neque debent neque licite possunt ad theologiæ studium incipiendum, positivam de fide concipere dubitationem.

Id inprimis constat ex eo quod opposita sententia, hujus sæculi initio ab Hermes theologo germano acriter propugnata, a Gregorio XVI et nuperrime a Concilio Vaticano expresse proscripta et damnata est. Greg. XVI in suis Litteris 26 Sept. 1835 hæc scripsit : « Atque inter hujusmodi » erroris magistros ex constanti et fere communi per Ger- » maniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui » audacter a regio, quem universa traditio et SS. Patres in » exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere, » deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tene- » brosam ad errorem omnigenum viam moliatur *in dubio* » *positivo tamquam basi omnis theologicæ inquisitionis.* » In Concilio autem Vaticano, const. *Dei Filius*, III, c. 6, legitur : « Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum » qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, *ita ut catho-* » *lici justam causam habere possint fidem, quam sub Eccle-* » *siæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in* » *dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam cre-* » *dibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint*; anathema sit. »

Dein id etiam ratione facile demonstratur. — Inprimis quamvis moderatum et prudens dubium de iis rebus, de quibus cer-

titudo nondum habetur, ad veritatem scientifice inquirendam, sanæ rationi conforme sit; tamen ad scientiam acquirendam nullatenus *necessarium* nec etiam *utile* est, ea positive in dubium vocare, quæ cum certitudine jam sunt cognita. Etenim certitudo doctorum a certitudine vulgi non aliter distinguitur, nisi quemadmodum perfectum distinguitur ab imperfecto; ac proinde ipsa non excludit aut expellit certitudinem vulgarem, sed contra eam expolit et complet. Jamvero omnes fideles de fidei catholicæ veritate veram habent certitudinem; nam secus fidei divinæ actum elicere non possunt. Ergo nullatenus debent, ubi theologiæ studium incipiunt, fidem suam positive in dubium vocare. — Præterea etiam fidelibus nullatenus *licitum est*, ut tale dubium voluntarie admittant. Etenim gravem injuriam certe irrogat Deo, qui de divinæ revelationis veritate persuasus, eam aut fide non vult amplecti, aut in dubium vocat. Jamvero fideles, qui ad theologiæ studium incipiendum fidem catholicam in dubium vocarent, plene de hujus fidei veritate persuasi id facerent, nam si hanc persuasionem non haberent, non essent fideles. Ergo hoc dubium voluntarie concipiendo gravem injuriam Deo irrogarent. — Liquet igitur positivam de fide dubitationem neque necessario debere, neque licite posse tamquam theologici studii fundamentum constitui.

Q. III. *An demonstrationes theologicæ vim habent assensum fidei christianæ necessario producendi?*

R. Negative; uti expresse definitum est a Conc. Vaticano, Const. *Dei Filius*, III, c. 5 : « *Si quis dixerit assensum* » *fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ* » *rationis necessario produci... anathema sit.* » Sequenti autem ratione id plene demonstratur. Si enim fidei assensus a solo intellectu procederet, ipse indubie posset per demonstrationem theologicam necessario produci; nam intellectus libertate non fruitur. Atvero non a solo intellectu sed etiam a voluntate procedit fidei assensus; qui idcirco necessario est liber, cum vo-

luntas durante hac vita in omnibus suis actibus circa bona particularia, libertate sit prædita. — Quod autem actus fidei non a solo intellectu sed etiam a voluntate dependet, ex hujus actus analysi clare liquet. Etenim, ut ex uniuscujusque experientia constat, initium sumit iste actus ab intellectus declaratione, qua docemur rem fidei nostræ propositam legitime posse et etiam debere fide accipi. Jamvero hæc intellectus declaratio nondum est ipse actus fidei, sive adhæsio veritati fidei nostræ propositæ; sed, data hac prævia declaratione de liceitate et necessitate actus fidei, adhuc penes voluntatem est illum actum fidei, ab intellectu eliciendum, imperare. Ergo liquet actum fidei etiam a voluntate pendere, ac proinde eum post demonstrationem theologicam manere liberum.

S. Thomas clare totam hanc doctrinam proposuit. Dicit nempe II. II. Q. 2. a. 1. : « Intellectus credentis determinatur » ad unum, non per rationem, sed per voluntatem : et ideo » assensus hic accipitur pro actu intellectus secundum quod a » voluntate determinatur ad unum. » Pariter in sequenti a. 9, ita loquitur : « In scientia duo possunt considerari, scilicet ipse » assensus scientis ad rem scitam, et consideratio rei scitæ. » Assensus autem scientiæ non subjicitur libero arbitrio, quia » sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstra- » tionis : et ideo assensus scientiæ non est meritorius. Sed » consideratio actualis rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est » enim in potestate hominis considerare, vel non considerare : » et ideo consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur » ad finem charitatis, id est ad honorem Dei, vel utilitatem » proximi. Sed in fide utrumque (scilicet tum assensus in veri- » tatem revelatam, tum consideratio rei revelatæ, quæ creditur) » subjacet libero arbitrio, et ideo quantum ad utrumque actus » fidei potest esse meritorius. »

IV. Nota. Theologia fundamentalis, uti supra diximus, duplici methodo tractanda est, una quæ logice actum fidei

catholicæ antecedit, et altera quæ hunc actum sequitur et ex eo fluit. Verumtamen ad duplicem hanc methodum adhibendam opus non est, ut theologiæ fundamentalis materiam bis tractemus, prius scilicet secundum unam, ac dein secundum alteram methodum; nam una eademque demonstratione utrique satisfit. Etenim fontes, unde utraque methodus fere omnia sua argumenta haurit, sunt materialiter iidem, et nonnisi ex parte rationis sub qua considerantur, ab invicem distinguuntur. Utraque nempe methodus utitur testimonio S. Scripturæ et Traditionis atque Ecclesiæ definitionibus; sed prior ea sæpe nonnisi ut humana testimonia habet, altera vero ea semper ut divinæ auctoritatis testimonia respicit. Ergo una eademque demonstratione ex hisce fontibus hausta satisfit utrique methodo : habebitur demonstratio vel prioris vel posterioris methodi, secundum quod hi fontes priori vel posteriori ratione supra indicata considerentur.

§ IV.

Q. Quomodo apte distingui potest historia theologiæ catholicæ?

R. *Apte in Theologiæ catholicæ historia tres epochæ distingui possunt : prima ab initio Ecclesiæ usque ad S. Anselmum († 1109) quæ dicitur patristica; secunda a S. Anselmo usque ad initium sæculi XVI, quæ dicitur scholastica; tertia ab initio sæculi XVI ad nostram usque ætatem.*

In prima epocha veritates fidei non fuerunt scientifice in unum doctrinæ corpus redactæ, sed separatim exponebantur. Præterea illæ veritates præcipue tractabantur methodo positiva et polemica; minus vero methodo scholastica.

Ab initio secundæ epochæ veritates fidei ordine cohærente inceperunt tradi, et mox in perfectum doctrinæ corpus collectæ sunt. Maxime in hac epocha exculta fuit pars scholastica; minus vero pars positiva et polemica.

In tertia epocha fidei veritates exponuntur in unum corpus collectæ; et fere æquali cum cura tractari solent tum positive, tum scholastice, tum polemice.

Animadvertatur etiam in his singulis epochis theologiam per fere unius sæculi spatium maxime floruisse, ac dein mox in deterius lapsam esse. In prima epocha maxime floruit post concilium Nicænum; in secunda post concilium Lateranense IV, et in tertia post concilium Tridentinum.

—

I. Annotationes in epocham patristicam. In hac epocha, uti diximus, fidei veritates nondum systematice in unum corpus sunt collectæ, sed separatim exponuntur, ac potius sub positivo et polemico, quam sub scholastico respectu excoluntur. Hujus rei autem si causa quæratur, haud dubium est eam in ipsis rerum adjunctis inveniri. Tunc temporis enim Ecclesia in gentibus omnis veritatis ignaris atque barbaris erat fundanda et stabilienda; multum dimicandum erat tum contra paganismi calumnias, tum contra plurimas hæreses hic et illic surgentes; et illi, qui ingenio scientiaque pollebant, fere omnes altiora in Ecclesia gerebant munera curisque sacri ministerii detinebantur. Jamvero aperte liquet, quasi necessario inde evenisse, ut non essent tunc viri docti, quibus licuerit se totos studiis sacris tradere, eaque cum illa pace et tranquillitate, quæ ad verum scientiæ profectum requiruntur, explorare; sed contra, omnes qui scientia sacra instructi erant, se impendere debuerint ad peculiaria scripta, prouti circumstantiæ id expostulabant, edenda; qualia erant speciales quædam pro fidelibus aut pro monachis circa fidem et mores instructiones, apologiæ contra paganorum calumnias, hæreticarum doctrinarum confutationes.

Ne quis tamen opinetur partem scholasticam et systematicum ordinem penitus in hac epocha neglecta fuisse. Etenim non pauci sunt Patres, inter quos omnes eminet S. Augustinus, qui in peculiaribus suis tractatibus sat magnam huic parti theologiæ

dederint operam, et ita fundamenta posuerint, super quæ postea medii ævi doctores splendida scientiæ ædificia excitarunt. Pariter non penitus defuit systematica theologiæ expositio, jam enim a primis sæculis pro rei necessitate confectæ sunt quædam instructiones catechisticæ, quæ fidei doctrinam fere totam complectebantur; ac etiam post aliquod temporis spatium jam apparuerunt quædam systematicæ theologiæ tentamina.

Inter eos omnes, qui in epocha patristica scripserunt, inprimis speciali memoria digni sunt illi Patres, qui immediati Apostolorum auditores et discipuli fuerunt, et ideo Patres *apostolici* vocantur. Hi autem sunt *S. Barnabas* (m. circiter anno 70); *S. Clemens Romanus* (m. circiter anno 101); *S. Ignatius martyr* (m. 107 vel 114); *Auctor epistolæ ad Diognetum* (m. circiter anno 117); *Hermas* (m. 100 vel 150); et *S. Polycarpus* (m. 168).

Post ætatem apostolicam, in Ecclesia græca inter cæteros maxime emicuerunt *Clemens Alexandrinus* (m. 217) *Origenes* (m. 254) et *Didymus* (m. 395), qui principes fuerint scholæ Alexandrinæ; dein etiam *S. Athanasius* (m. 373), *S. Basilius* (m. 379), *S. Gregorius Nazianzenus* (m. 389), *S. Joannes Chrysostomus* (m. 407); et tandem *S. Joannes Damascenus* (m. 760), qui omnium primus totam antecessorum suorum doctrinam theologicam in unum corpus colligere tentavit. — In Ecclesia autem latina præcipue claruerunt *Tertullianus* (m. 240), *S. Cyprianus* (m. 258), *S. Hilarius* (m. 367), *S. Ambrosius* (m. 397), *S. Hieronymus* (m. 420), *S. Augustinus* (m. 430), et *S. Gregorius Magnus* (m. 604).

II. Annotationes in epocham scholasticam. In hac epocha tres ætates sunt distinguendæ : ætas formationis, ætas splendoris et ætas decrescentiæ.

a) Parens theologiæ scholasticæ jure censetur S. Anselmus (m. 1109), Archiepiscopus Cantuariensis, vir non minus vitæ sanctitate quam ingenii acumine et copia doctrinæ celebris, qui

omnium primus scholasticæ disquisitionis principia clare proposuit, eaque nondum quidem toti fidei doctrinæ, sed tamen principalioribus ejus partibus applicavit. — Principia illa ita definivit *Medit.* XXI : « Non tento, Domine, penetrare altitu- » dinem tuam, quia nullatenus illi comparo intellectum meum; » sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam » credit et amat cor meum : neque enim quæro intelligere ut » credam, sed credo, ut intelligam; » h. e. scientiam non pono ut fundamentum fidei meæ, sed fidem pono ut fundamentum scientiæ meæ theologicæ. Pariter dicit *De fide Trinit.* c. 2 : « Nullus christianus debet disputare, quomodo quod Ecclesia » Catholica credit et ore confitetur, non sit, sed semper eamdem » fidem indubitander tenendo, amando et secundum illam » vivendo, humiliter quantum potest, quærere rationem, quo- » modo sit. Si potest intelligere, gratias Deo agat; si non potest, » non immittat cornua ad ventilandum; sed submittat caput ad » venerandum. » — Præcipua ejus scripta sunt : 1° *Monologium*, in quo Dei existentia et attributa, atque divina Trinitas methodo scholastica tractantur; cui libro uti appendices accedunt *Proslogium* et *De Processione Spiritus Sancti adversus Græcos;* 2° Opuscula *de casu Diaboli, de concepto virginali et originali peccato,* in quibus scientifice de peccato originali disseritur; 3° Liber *Cur Deus homo*, in quo explicatur dogma de redemptione nostra per Christum; 4° Opuscula *de libero arbitrio,* et *de concordia præscientiæ et prædestinationis necnon gratiæ Dei cum libero arbitrio,* in quibus exponitur doctrina de gratia et de libero arbitrio.

Post S. Anselmum venit Hugo a S. Victore (m. 1141), qui scripsit *Summam Sententiarum*, in qua fere omnes theologiæ quæstiones ordine disposuit, easque ope sententiarum S. Augustini et cæterorum Patrum solvit; atque librum *de Sacramentis fidei christianæ* h. e. de mysteriis fidei christianæ, in quo etiam systematicus habetur ordo, sed demonstratio e S. Scrip-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tura hauritur. Verum hisce operibus opposuit Abælardus (m. 1142) librum suum *Sic et non*, in quo circa 150 quæstiones Patrum sententias, sibi saltem in specie contradicentes refert, quin eas explicet aut inter se componat; et suam *Theologiam Christianam* in qua fidei veritates non ex Dei revelatione sed ex humana ratione demonstrat; dicebat nempe : « nec quia Deus » hoc dixerit, sed quia hoc sic esse convincitur, recipitur. » S. Bernardus (m. 1153) autem, strenuus ille fidei catholicæ propugnator, hunc rationis abusum, qui in Abælardi methodo dominabatur, patefecit et debellavit.

Omnibus autem ætatis formationis scriptoribus palmam præripuit Petrus Lombardus, Theologiæ in urbe Parisiensi professor, et tandem ibidem Archiepiscopus, vulgo *magister sententiarum* nuncupatus (m. 1164), qui in suo opere : *Libri quatuor sententiarum* secundum methodum jam ab Hugone adhibitam, totam fidei doctrinam systematice et scholastice, sententiis S. Scripturæ et Patrum innixus (unde operis nomen), exposuit atque demonstravit. Hoc autem opus utpote ex omnibus, quæ hucusque in lucem prodierant, maxime completum, optime dispositum, perspicuum et doctrinæ communiter receptæ consentaneum, summo applausu est exceptum, et in scholis commune theologorum manuale mox evasit. Præterea omnes qui hoc tempore circa Theologiam scripserunt, librum Petri Lombardi interpretati sunt, ita ut teste Fleury, 244 numerari possint, qui eum commentariis illustraverint.

Scriptoribus jam citatis addendi sunt et sequentes, qui, quamvis minus celebres sint, tamen et suam attulerunt operam ad theologiam formandam : Richardus a S. Victore, Robertus Pullus, et Gulielmus Auxerrensis (in initio sæc. XIII), cujus *Summa aurea* ex parte suæ formæ quasi transitum constituit ab epocha formationis ad epocham splendoris.

b) Theologia scholastica culmen gloriæ et spendoris attigit ab anno 1230 ad 1340; quo tempore eadem quidem, ac in præce-

denti ætate, adhibita est methodus, sed majori cum perfectione; nam scriptores magis magisque ordinem et unitatem prosecuti sunt; pleniori modo errorem confutarunt veritatemque catholicam stabilierunt; forma syllogistica, quæ claritatis in disputando est mater, constanter usi sunt; et in stylo suo potius perspicuitatem quam ornatum intenderunt. Tractata autem fuit hac ætate scientia theologica aut in *Commentariis circa S. Scripturam*, aut in *Commentariis circa librum sententiarum*, aut in monographiis, quæ *Quodlibeta* aut *Quæstiones disputatæ* solebant vocari, aut in *Summis theologicis*.

Præcipui hujus ætatis theologi sunt : 1° *Alexander Halensis* (m. 1245) anglus, Professor Parisiensis et Franciscanus, *doctor irrefragabilis* dictus, qui primam scripsit Summam theologicam.

2° *Albertus Magnus* (n. 1193, m. 1282), Professor Parisiensis et Dominicanus, qui philosophiam aristotelicam in scholam intulit.

3° *S. Bonaventura* (m. 1274) Franciscanus, *doctor seraphicus* dictus, qui præ cæteris omnibus eminet mentis acie in rerum connexione perspicienda.

4° *S. Thomas Aquinas* (n. 1225, m. 1274) Dominicanus Alberti Magni discipulus, *Doctor angelicus* dictus, qui omnium scholasticorum princeps unanimi consensu habetur. Cæteros enim omnes antecellit tum S. Scripturæ et Traditionis scientia, tum idearum copia et claritate, tum methodi et styli didactici perfectione, tum scriptorum numero varioque genere. Præcipua ejus opera sunt : *Commentarius in Petrum Lombardum; Quæstiones disputatæ,* in quibus fere omnes majoris momenti theologicæ quæstiones sat late evolvuntur; *Summa contra Gentiles*, in qua tractantur illa philosophiæ puncta, quæ cum theologia sunt connexa, et omnigena proponuntur argumenta contra quodvis incredulitatis genus; et tandem *Summa Theologica,* quæ in fine ejus vitæ est scripta, et cætera ejus opera

fama momentoque procul dubio superat; fuit enim in scholis ut classicus liber loco Petri Lombardi accepta, plurimis commentariis illustrata et in linguam græcam, arabicam et sinensem versa. Hæc tribus constat partibus, quarum altera iterum in duas subdivisa est. *Prima pars* agit de Deo in se et ad mundum relato; *secunda* de Deo tamquam fine hominis ejusque actionum quibus cum Deo conjungitur, aut ab ipso separatur; et quidem *prima secundæ* de actibus humanis, peccatis et virtutibus generatim, et *secunda secundæ*, præmissa doctrina de justificatione, de iisdem speciatim; et *tertia*, de Christo redemptore, de sacramentis, atque de resurrectione et iis, quæ eam sequuntur.

5° *Henricus Gandavensis*, seu *Henricus Goethals* Gandavensis (n. 1220 m. 1293), discipulus Alberti Magni et *doctor solemnis* dictus, qui scripsit *Commentarium in Petrum Lombardum* (sed hic ineditus est), librum *Quodlibetica*, et tandem *Summam Theologicam*.

6° *Joannes Duns scotus* (n. 1266, m. 1308), Franciscanus *Doctor subtilis* dictus, qui Oxfordiæ discipulus fuit Gulielmi Varronis, quocum castigare cœpit scholastica scripta sæculi decimi tertii, et postea Parisiis in eo perrexit. Ad hoc autem fere totam suam dedit operam; et quamvis magna mentis acie præditus, parum tamen ad theologiæ profectum contulit; cujus rei præcipua causa residet tum in defectu scientiæ scripturisticæ et traditionalis, quo ipse laborat, tum in ejus styli obscuritate.

c) Ineunte sæculo XIV, a plerisque vera theologiæ methodus incepit negligi. Sepositis S. Scriptura et Traditionis fontibus, sola adhibita sunt ratiocinia et disquisitiones philosophiæ; atque quæstiones inutiles, curiosæ et spinosæ propositæ, ad quas solvendas innumeræ distinctiones eæque subtilissimæ sunt excogitatæ, novaque vocabula ac novæ loquendi formulæ introductæ, quibus lingua theologica magnam contraxit barbariem. Maxime ad hæc contulit acerrima illa disputatio, quæ inter S. Thomæ discipulos (Thomistas) et Scoti asseclas (Scotistas)

exarsit. Verum huic rectæ methodi neglectui accessit et aliud malum, falsa nempe Nominalismi doctrina, variique errores de constitutione Ecclesiæ, quæ hic et illic in scholas catholicas penetrarunt. Quibus omnibus attentis, facile intelligitur, quomodo theologia scholastica, sæc. XIII tanto fulgens splendore, mox decreverit et in miserum lapsa sit statum.

Auctores hujus ultimæ scholasticorum ætatis, qui præ cæteris rectius veram theologiæ viam secuti sunt, et majori fruuntur fama, sunt hi duo : *S. Antoninus* (n. 1389 m. 1459), Archiepiscopus Florentinus, qui scripsit *Summam Theologicam*, in qua fere omnes theologiæ moralis quæstiones proponit, minus vero de rebus dogmaticis tractat; et *Dionysius Ryckel* Carthusianus ex diœcesi Leodiensi (m. 1471), qui plurima et optima scripsit opera theologica.

Citandus hic etiam est Joannes Ruisbroek (m. 1381) belga et canonicus Abbatiæ in Groenendal prope Bruxellas, qui ob pulcherrima sua scripta ascetica, nomen obtinuit *doctoris divini* et *excellentissimi contemplatoris*. Quidam eum de pantheistico errore accusarunt, sed omnino falluntur, uti ex pluribus ejus scriptorum textibus constat. Satis erit ad eum plene defendendum hæc verba citare e libro de *Præcipuis quibusdam virtutibus* : « Cum enim, ait, ut ex natura Deus » essemus, facere Deus non potuerit (hoc enim ipsi soli competit), » fecit ut Deus essemus ex gratia, ad possidendum simul cum » ipso in perpetua dilectione, unam beatitudinem, unum gau» dium idemque regnum. Ideo fecit nos ad imaginem et simili» tudinem suam, quo videlicet in illa imagine illius capaces » essemus, et in virtutibus quantum sinit humana conditio, ipsi » similes efficeremur. » Quæ sententia pantheismum damnat, et accuratam exhibet notionem supernaturalis ordinis.

III. Annotationes in ultimam theologiæ epocham.

Sæculo XV finiente tres exortæ sunt causæ, quæ magnam vim in jacentem theologiam exseruerunt eamque a lapsu erexerunt,

scilicet : ars typographica; studium litteraturæ antiquæ, per Græcos fugitivos, Imperio orientali a Turcis occupato, in Italia et inde etiam per alias Occidentis partes latius propagatum; et tandem varii contra Ecclesiam catholicam impetus, e quibus Protestantismus est ortus. Nec istæ causæ theologiam sub uno alterove respectu sed in toto suo ambitu promoverunt: ita ut in hac epocha simul exculta ipsa fuerit quoad tres suas partes : positivam, scholasticam et polemicam. Major enim librorum diffusio et antiquæ litteraturæ studium viam ad scientiæ sacræ profectum aperuerunt; et dein bellum contra Ecclesiam excitatum a Protestantibus, qui præcipue e S. Scriptura, quam ut unicum revelatæ doctrinæ fontem habebant, theologos coegit ut totum scientiæ suæ ambitum explorarunt : partem positivam excolere debebant, cum Protestantes maxime e Scriptura contra fidem arguerent; partem scholasticam, ut contra Protestantes verum dogmatum sensum proponerent tuerenturque; et partem polemicam, cum omnia scientiæ sacræ arma contra Protestantes, acerimos Ecclesiæ hostes, essent convertenda.

In hac epocha quinque ætates sunt distinguendæ : a) *ætas formationis* ab initio sæc. XVI ad finem concilii Tridentini; b) *ætas gloriæ et splendoris* a fine concilii Tridentini ad 1660; c) *ætas lentæ decrescentiæ* ab an. 1660 ad 1760; d) *ætas ruinæ* ab an. 1760 ad 1830; e) et tandem *ætas instaurationis* ab an. 1830 ad nostros dies.

a) In ætate præparatoria non habentur scripta quæ totam complectantur theologiam, sed tantum monographiæ. Hæ autem magno sunt in numero et solidam theologiæ cognitionem magnumque studii sacri amorem produnt. Speciali autem memoria præ cæteris digna sunt hæc opera : *De Logis theologicis* Melchioris Cani (m. 1560), Dominicani; — *De Natura et Gratia* Dominici Soto, theologi concilii Tridentini; et *De Justificatione* Andreæ Vega pariter hujus concilii theologi; quæ duo opera in explicationem decreti Tridentini de justificatione sunt scripta;

— *De Beata Maria Virgine* et *Summa doctrinæ christianæ* seu *Catechismus* Canisii (n. 1521, m. 1597); — *Catechismus Romanus* seu *Catechismus Concilii Tridentini,* ex ordinatione hujus concilii scriptus.

b) Post Tridentinum concilium theologia, hujus concilii decretis fulta et acerrimis Protestantium impugnationibus ad laborem et pugnam constanter excitata, longe majorem gloriam, quam in ulla alia ætate, tam sub solidæ scientiæ quam sub fecunditatis respectu, adepta est.

Quoad theologiam dogmaticam præcipue excelluerunt in *Hispania :* Franciscus Toleto S. J. (m. 1596); — L. Molina S. J. (m. 1600) qui librum scripsit maxime notum *de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis;* — Salmeron S. J. (m. 1585); — Vasquez S. J. (m. 1604); — De Valentina S. J. (m. 1603); — Suarez S. J. (m. 1617); — Thomas Sanchez S. J. (m. 1610); — Gaspar Sanchez S. J. (m. 1628); — Didacus Ruiz S. J. (m. 1632), qui eruditione, scientia et mentis acie inter omnes eminet; — Ripalda S. J. (m. 1648); — Franciscus de Lugo S. J. (m. 1658); — Card. Joannes de Lugo S. J. (m. 1660) et Salmanticenses; — in *Italia :* Bellarminus S. J. (m. 1621) cujus præcipuum opus est : *Disputationes de controversiis fidei adversus hujus temporis hæreticos;* — in *Gallia :* Isambertus (m. 1642); — in *Belgio :* Becanus S. J. (m. 1624); — Lessius S. J. (m. 1623); — Malderus (m. 1633) Episcopus Antverpiensis; — Wiggers (m. 1639) doctor Lovaniensis; — Sylvius (m. 1649) professor in universitate Duacensi; — in *Anglia :* Stapleton (m. 1598) qui professor fuit Duaci et Lovanii; — et Richardus Smith (m. 1655).

Pro theologia morali præcipue citandi sunt : Petrus de Navarra (m. 1594); — Petrus Binsfeld (m. 1598) Episcopus Trevirensis; — L. Molina; — Joannes Azor S. J. (1607); — Vasquez S. J.; — Thomas Sanchez S. J. — Suarez S. J. — Lessius S. J.; — Bonacina (m. 1631); — Ægidius Coninck S. J. (m. 1633) professor Lovaniensis; —Paulus Laymann S. J. (m. 1625).

Speciali memoria etiam digni sunt Petavius (m. 1647) et Thomassinus (m. 1695), qui ambo theologiam patristicam seu doctrinam Patrum summa cum laude excoluerunt.

c) Theologica scientia decrescere incepit statim ac errores Jansenismi et Gallicanismi atque philosophia cartesiana in scholas catholicas penetrarunt. Non enim habetur pro scientia fortius venenum quam error. Ab anno nempe 1670, quo tempore doctrinæ jansenianæ et cartesianæ jam late diffusæ erant, videmus quidem doctrinam patristicam et historiam sacram adhuc studiose excoli, sed de die in diem scientia theologica proprie dicta e pristina sua gloria magis magisque decidebat. Non amplius nova magnaque theologicæ scientiæ monumenta in lucem eduntur; sed quicumque de re sacra scribunt plerumque unice colligunt atque compendiose proponunt, quæ a majoribus sunt tradita.

Præcipui hujus ætatis theologi sunt : Platel S. J. (m. 1681), qui optimam scripsit synopsin totius theologiæ; — Sporer, germanus (m. 1700); — Cardinalis Noris (m. 1704); — Tournely, professor Duacensis (m. 1729); — Billuart belga, Dominicanus (m. 1757); — Benedictus XIV (m. 1758); — Berti italus (m. 1766); — Amort germanus (m. 1775); — S. Alphonsus de Liguorio (m. 1787), et Wurceburgenses.

Notetur doctrinam Cardinalis Noris et Berti maxime ad errores Jansenismi accedere eisque omnino affinem esse; attamen ab Ecclesia non fuisse damnatam.

d) Versus annum 1760 incepit pro theologia vera ætas ruinæ, cujus causa habetur tum in falsis philosophiæ systematibus tunc ubique evulgatis, et in novitatis spiritu, quo tota societas erat imbuta; tum in guberniorum conatibus ad Ecclesiam potestati civili submittendam; tum in ingravescente de die in diem indifferentismo et impietate. Hoc enim tempore ab Ecclesiæ persecutoribus universitates, seminaria clericorum et congregationes religiosæ fuerunt distracta; et, hisce scientiæ et pietatis arcibus

destructis, necessario scientia theologica e societate exul facta est. Præterea viri docti, qui supererant studiisque sacris adhuc vacabant, ita etiam isto novitatis spiritu infecti erant, ut antiquæ scholasticorum doctrinæ valedicerent, imo eam despicerent, et philosophiæ systemata recenter inventa et proposita theologiæ applicare tentarent. Quibus in rerum circumstantiis theologia non potuit tota sua gloria non spoliari et ad imum usque non descendere.

In tota hac ætate nonnisi unum habetur opus theologicum completum, quod omnino est orthodoxum et antiqua doctrina nixum, scilicet *Institutiones theologicæ* L. Liebermann, S. Theologiæ Doctoris et diœcesis Argentinensis (Strassburg) vicarii generalis, qui obiit an. 1844.

e) Circa annum 1830, finita vel saltem languescente persecutione, universitates, seminaria et domus religiosæ diu suppressa, nova donata sunt vita, et cum eis theologia quoque e misero statu, in quo jacebat, surrexit, novumque vigorem induit. Pace aliquatenus in societate restituta, multi e clero sacris studiis operam dare inceperunt, qui, pessimos fructus falsorum philosophiæ systematum errorumque Jansenismi et Gallicanismi constanter præ oculis habentes, rursus viam a magnis theologis olim tritam ingressi sunt, reliqueruntque novitates in fine sæc. XVIII evulgatas. Resumptum fuit solidum Scripturæ et Traditionis studium; rursus magno in honore habita est doctrina S. Thomæ et antiquorum scholasticorum; et si hic illic quædam novæ sententiæ, ab antiqua doctrina recedentes, in lucem sunt editæ, mox tamen derelictæ sunt atque ad unitatem reditum est. Et eo usque perfecta est nostris diebus hæc unitas atque cum antiquitate concordia, ut cum anno 1880 sapientissimus et doctissimus Pontifex noster S. D. Leo XIII encyclicam ad omnes Episcopos mitteret, qua proponebat, ut S. Thomæ philosophiam patrocinarentur et in scholis suis docerent, omnes scholæ catholicæ unanimiter hilari cum

animo et vero gaudio has litteras pontificias acceperint, et ex corde spoponderint se fideliter votis sanctissimi Domini obsecuturos.

Primi collapsæ theologiæ restauratores fuerunt : Perrone S. J. in Italia; Klee, Mœlher et Staudenmaier in Germania.

Post ipsos plures exorti sunt scriptores theologici : in *Gallia* Ill^s^ Bouvier et Ill^s^ Gousset ediderunt theologiam dogmaticam et moralem; — in *Italia* Gury S. J.; Scavini et Ballerini S. J. scripserunt de theologia morali; atque Cardinalis Franzelin S. J. et Palmieri S. J. de theologia dogmatica; — in *Germania* ad doctrinam scholasticam rursus in honorem restituendam maxime contulerunt Kleutgen S. J. opere suo de theologia et philosophia Scholasticorum, Carolus Werner scriptis suis in S. Thomam et Suarezium, et Stöckl sua historia de philosophia scholastica; atque dogmatica opera ediderunt Dieringer, Friedhoff, Berlage, Schwetz, Albertus de Bassano (Knoll), Jungmann nunc professor Lovaniensis, Oswald, et Scheeben professor Seminarii Coloniensis; — in *Belgio* de re theologica præcipue scripserunt Em. Card. Dechamps, Laforet qui fuit rector universitatis Lovaniensis, et Beelen hujus universitatis professor; — in *America* (ac deinde Romæ), opera dogmatica edidit Mazella S. J. olim professor in Collegio ad Woodstock Marylandiæ, nunc S. R. E. Cardinalis.

IV. Nota in historiam theologiæ fundamentalis.

Theologia fundamentalis non semper a tempore, quo theologia systematice tractari incepit, perfectam illam formam, sub qua nunc exponitur, obtinuit. In scholastica enim epocha, sub qua fidei fundamenta non impugnabantur, constituebat theologiæ fundamentalis materia partem tractatus de fide, et sat breviter exponebatur. Verum exorto protestantismo, qui solam Scripturam ut revelatæ doctrinæ fontem admittebat, rejiciebatque omnino traditionem atque Ecclesiæ auctoritatem, jam speciali modo de fidei fontibus, deque Ecclesiæ auctoritate, rerum

adjunctis id postulantibus, fuit tractatum; et postea nato naturalismo seu rationalismo, quo omnis divina revelatio omnisque divina institutio fidei fontium et Ecclesiæ negatur, tota de fidei fundamentis doctrina clara in luce fuit posita, speciali modo tractata et perfecta forma donata. Cum autem nostris diebus potius fidei fundamenta quam quædam specialia fidei puncta impugnentur, in theologicis institutionibus necessario incipiendum est, tradendo summa cum cura et longe lateque exponendo fidei fundamenta, seu specialem præmittendo theologiæ fundamentalis tractatum.

In theologia fundamentali præcipue excelluerunt : *Melchior Canus*, auctor libri *De locis theologicis*, quod primum est magnum opus de fidei fundamentis speciatim agens; *Bellarminus; Becanus; Fratres Walenburgici* (sæc. XVII) qui scripserunt tractatum *De Controversiis fidei; Huetius* (sæc. XVII), qui scripsit librum cui titulus : *Demonstratio evangelica; auctores theologiæ Wurceburgensis* (sæc. XVIII); *Stephanus Wiest*, in fine sæc. XVIII; ac dein fere omnes auctores principaliores, qui in sæc. XIX de theologia scripserunt.

Quanti facienda sit nostris diebus theologia fundamentalis clare docemur e sequentibus verbis Concilii Vaticani in Const. *Dei Filius* : « Tum nata est, aiunt Patres, et late nimis per » orbem vagata illa *rationalismi* seu *naturalismi doctrina*, » quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto, per » omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus » Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et » moribus populorum excluso, meræ quod vocant *rationis vel* » *naturæ regnum* stabiliatur. Relicta autem projectaque » christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa » tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, » atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, » omnemque justi rectique normam negantes, ima humanæ » societatis fundamenta diruere connitantur. Hac porro impie-

» tate circumquaque grassante infeliciter contigit, ut plures » etiam e catholicæ Ecclesiæ filiis a via veræ pietatis aberrarent, » in iisque, diminutis paulatim veritatibus, sensus catholicus » attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, » *naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam* » perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem » tenet ac docet sancta Mater Ecclesia depravare, integritatem- » que et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur. » E quibus verbis liquet Ecclesiam maxime in votis habere, atque tamquam absolute necessarium proponere, ut hac ætate contra illos tam numerosos adversarios, qui omnem in divinam revelationem fidem omnemque supernaturalem ordinem respuunt atque impugnant, clare demonstretur atque exponatur Deum vere per Christum locutum esse, et hanc Christi doctrinam in Scriptura et Traditione contineri, atque ab Ecclesia Romano-Catholica infallibiliter nobis proponi. Præterea Ecclesia non tantum de hac summa necessitate nos monuit, sed etiam in dicto concilio præcipua theologiæ fundamentalis puncta definivit, ut sic theologis pro fide certantibus tutam et planam sterneret viam.

§ V.

Q. Quanti momenti est theologica scientia in Ecclesia?

R. *Scientia theologica* 1° *est Ecclesiæ docenti absolute necessaria ut munus suum doctrinam Christi integre et intacte conservandi et docendi impleat;* 2° *est absolute necessaria in iis omnibus, qui in Ecclesia ex officio, quo funguntur, alios fidem docere debent, ut possint fidem implantare, implantatam conservare et fideles ad pietatem movere; et quo altius est hujusmodi docendi munus, eo altior quoque theologica scientia requiritur;* et 3° *in omnibus fidelibus est summe utilis saluberrimosque fert fructus.*

—

I. Explicatio et demonstratio primæ assertionis. Ecclesia docens, i. e. S. Pontifex cum Episcopis, ad doctrinam Christi integre et intacte conservandam atque docendam, debet, uti docetur in Tractatu de Ecclesia, hæc tria implere munera : munus *testis*, seu munus testandi has et illas veritates per Christum esse revelatas; munus *magistri*, seu munus sensum dogmatum declarandi eorumque instituendi analysim; munus *judicis* seu judicandi de orthodoxia sententiarum quæ sparguntur, dirimendi controversias et errores dogmati oppositos arcendi et damnandi. Verum hæc omnia præstare nequit, nisi post serium de istis rebus institutum studium; nam ad testandum quædam sint omnes illæ veritates a Christo revelatæ, debet fidei fontes totos scrutari, et perfecte cognoscere quomodo sententiæ definiendæ vere in eis contineantur; ad sensum dogmatum declarandum et varia puncta in eis contenta proponenda, debet zelose inquirere exactam et plenam rerum definitionem, penetrare in quantum fieri potest dogmatum essentiam, atque nexum eorum cum aliis veritatibus conspicere; et tandem ad munus judicis exercendum, apprime debet cognoscere essentiam doctrinarum de quibus judicandum est, plene perspicere fidei doctrinam, quæ in discrimen vocatur, et occultum detegere venenum, quod sæpe in quibusdam formulis latet. Certe fruitur Ecclesia docens infallibilitatis dote in suo docendi munere; atvero hæc infallibilitas non fluit ex immediata Dei inspiratione qua doceretur, quid sit definiendum, proponendum aut damnandum, sed ex mera divina assistentia. Jamvero hæc assistentia, uti ipsa vox indicat, non levat pro Ecclesia necessitatem laboris proprii, studii scilicet; sed unice hoc studium juvat, ad illud nempe efficaciter excitando illudque infallibiliter ad felicem ducendo exitum. Ergo Ecclesia docens eget necessario scientia theologica ut munus suum docendi impleat.

Observetur hic non asseri, theologicam scientiam esse necessariam in his vel illis personis, sed unice eam esse necessariam

in Ecclesia, h. e. oportere ut in Ecclesia scientia theologica a quibusdam excolatur, et quidem a tot personis, ut dici possit scientiam theologicam vere in Ecclesia excoli. Liquet autem eos, qui Ecclesiam docentem componunt, non teneri ut per se ipsos theologicam scientiam totam perlustrent, sed optime posse aliorum investigationibus uti. — Similis necessitatis, quæ existit pro communitate et non pro singulis aut pro determinatis communitatis membris, exemplum habemus in matrimonio, quod necessarium est humano generi, quia ipsum alioquin cito penitus interiret, et tamen non est necessarium aut singulis aut quibusdam determinatis hominibus.

II. Explicatio et demonstratio secundæ assertionis. Quod illi omnes, qui in Ecclesia munus docendi habent, ut possint fidem implantare et conservare atque pietatem excitare, debent theologica scientia esse instructi, quæ eo major debet esse quo altior est muneris docendi gradus, sequentibus demonstratur argumentis :

a) S. Paulus id clare declarat *ad Tit.* I, 10 scribens : « *Oportet Episcopum esse... amplectentem eum, qui secundum* » *doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari* » *in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere.* » Quorum verborum sensus est : volo Episcopum esse instructum vera fidei doctrina, ita ut non solum alios docere possit, sed etiam sit potens, h. e. sufficiens et idoneus, qui exhortetur ad pietatem et ad omne genus virtutis, idque per sanam, integram et incorruptam evangelii doctrinam; ac dein eos omnes, qui sanæ doctrinæ resistunt et obloquuntur firmis rationibus revincere. Jamvero, ut quis hæc præstare valeat, indubie sat magna indiget theologica scientia. — Verum quidem est, S. Paulum probabiliter hic solum de Episcopis stricte dictis et non de meris sacerdotibus loqui; verum quod de Episcopis hic docet, etiam sacerdotibus munere docendi decoratis applicari debet. Cum episcopis enim partem ministerii episcopalis exe-

quuntur, et ita necessario tenentur ad eam habendam scientiam, quæ ad istud verbi ministerium requiritur.

b) Id etiam constat ex modo quo fidei doctrina fuit proposita a Christo Domino, ab Apostolis et a Patribus, qui magistri nostri sunt in docendi munere. Christus passim argumentationibus ex principiis fidei et ex ratione ductis, tamquam omnino necessariis ad persuadendam hominibus viam salutis, uti solebat, ut Matth. XXII; Marc. XII; Luc. XI; Joan. X et multis aliis in locis. Pariter S. Pauli et aliorum Apostolorum canonicæ epistolæ ejusmodi argumentationibus plenissimæ sunt : præsertim epistolæ ad Romanos, ad Corinthios et ad Galatas. Dein S. Patres nihil aliud in suis commentariis faciunt, quam argumentari theologice, vel ad eruendum verum Scripturæ sensum, vel ad veritatem confirmandam, vel ad redarguendos contrarios errores.

c) Ipsa etiam nativa intellectus nostri ad fidei actum ponendum conditio manifeste theologicam scientiam in iis, qui fidem docendi munus habent, exigit. Constat enim intellectum nostrum testimonio alterius credere non posse, nisi antea evidenter viderit illud, attenta testantis scientia et veracitate, posse et debere fide accipi. Unde qui munus fidem docendi habent, ita debent Christi doctrinam prædicare, ut pateat eam posse et debere fide accipi; ad quod requiritur, ut fidei fundamenta clare proponant et demonstrent, ut ostendant doctrinam, quam docent, illam ipsam esse quæ proponitur ab Ecclesia, quæque in Scriptura et in Traditione continetur, ut solvant argumenta contraria, quæ afferri solent. Et liquet eo perfectiorem et profundiorem requiri fidei demonstrationem et objectionum solutionem, quo personæ instruendæ sint doctiores, majoremque in credendo patiantur difficultatem. Nec nimia cum cura potest doctrina fidei fidelibus exponi, et ex omni parte in eis muniri, cum experientia luculenter constet fidem in cordibus fidelium maxime impeti a dæmone, a pravis affectibus, ab incredulorum

insidiis multosque graviter inde moveri atque naufragium in fide pati. Verum ut hæc præstari possint, requiritur sane theologica scientia. Ergo in iis omnibus, qui munere docendi in Ecclesia funguntur, absolute necessaria est scientia theologica; et hæc scientia, uti per se patet, eo major debet esse, quo altius est munus, quod quis obtinet.

Hæc plene confirmat S. Augustinus, ubi L. XIV *de Trin.* c. 1 dicit : « *huic scientiæ (theologiæ) tribuitur id, quo fides* » *saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* » Nam, cum nihil possit esse sine suo generante, conservante et defendente, liquet ex S. Augustini doctrina sequi, fidem implantari et conservari sine theologia non posse, ac proinde iis, quibus munus incumbit fidem implantandi et conservandi, theologicam scientiam absolute esse necessariam. — Nec contra Augustini sententiam opponi potest, quod fides est donum a solo Deo infusum, ac quod proinde ipsa a scientia prædicatoris et doctoris non dependet. Etenim ubi dicimus theologiam gignere, nutrire et fovere fidem, non intelligimus id fieri *effective,* quasi nempe theologia infunderet fidei habitum, sed *dispositive* et *præparative*, quia scilicet ostendendo veritates fidei credi posse et debere et solvendo argumenta contraria, disponit animum humanum ad suscipiendam fidem, et tunc in eum sic dispositum Deus infundit fidei habitum. Eo fere modo, quo homo dicitur generare hominem, non quia producit materiam et animam, sed quia disponit materiam quantum oportet, ut Deus in eam sic dispositam infundat animam; ita quodammodo, theologus dicitur fidem gignere, nutrire, defendere et roborare, disponendo nempe animam ad fidem per Dei donum recipiendam, retinendam et augendam.

Eadem ratione hac de re locutus est Clemens Alexandrinus *Lib. I. Pœdag.* c 1. : « *Sicut ægroto corpore,* inquit, *medico* » *opus est, ita his quorum æger est animus, opus est doctore,* » *qui nostram animam ad cognitionem deducat.* »

III. Explicatio et demonstratio tertiæ assertionis. Theologicam scientiam in omnibus, qui eam excolunt, saluberrimos producere fructus, facile intelligitur. Fundamentum enim omnis sanctitatis est cognitio de Deo rebusque divinis, nam hac cognitione deficiente, fieri sane non potest ut quis Deo serviat; et hæc cognitio in supernaturali ordine, in quo versamur, ex fide in divinam revelationem est accipienda. Verum, si fidei cognitio est omnis sanctitatis fundamentum, eo perfectior poterit esse sanctitas, quo perfectior est hæc cognitio. Ergo liquet scientiam theologicam ad sanctitatem maxime conducere, et ita saluberrimos in illis omnibus, qui ipsam excolunt, producere fructus.

Recte igitur dicere possumus theologiam esse lapidem in Ecclesiæ ædificio omnino necessarium; instrumentum omnino necessarium in eorum omnium manu qui munere fidem docendi funguntur; et omnibus optimum ad propriam sanctificationem adjumentum.

Pro coronide hic addemus quæ dicit S. Hieronymus *Epist.* 155, de voluptate, quam anima in theologico studio capit : « Quid, ait, hac voluptate, jucundius? qui cibi, quæ mella sunt » dulciora, quam Dei scire prudentiam, et in abdita ejus intrare, » et sensum conditoris inspicere, et sermones Domini Dei tui, » qui ab hujus mundi sapientibus deridetur, plenos docere spiri- » tuali sapientia. »

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER PRIMUS

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

seu

TRACTATUS DE VERITATE REVELATIONIS CHRISTI

PROOEMIUM

I. Distributio materiæ hujus tractatus. Cum ad plenam de alicujus facti existentia scientiam habendam duo sint cognoscenda : an nempe factum istud sit possibile, et an revera existat, liquet in hac demonstratione, qua ostendi debet Christi doctrinam esse verum Dei verbum seu veram Dei revelationem, duas illas quæstiones esse proponendas atque solvendas. Quapropter totam hanc materiam in duas dividemus partes : in priori inquiremus de revelationis possibilitate, seu inquiremus an et qualis revelatio fieri possit, ut sic ostendamus doctrinam Christi posse

veram Deí revelationem esse; ac dein in posteriori demonstrabimus hanc Christi doctrinam id revera esse.

II. Errores in hoc tractatu confutandi. Sectæ antichristianæ seu quæ Christi doctrinam non admittunt duplicis sunt generis : aliæ non omnem revelationem ut impossibilem sed revelationem a Christo factam rejiciunt; aliæ autem omnem revelationem ut impossibilem rejiciunt.

a) Ad priorem classem præcipue pertinent *Judæi*, qui unice revelationem veteris testamenti admittunt; et *Mahumetani* qui Mahumetum ut Dei prophetam seu legatum habent.

b) Ad posteriorem classem præcipue pertinent recentioris ætatis increduli, *Rationalistæ* seu *Naturalistæ* vocati, de quibus Vaticanum Concilium ita loquitur : « Tum (collapsa scilicet apud Protestantes S. Scriptu» turæ auctoritate) nata est et late nimis per orbem » vulgata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, » quæ religioni christianæ utpote supernaturali insti» tuto per omnia adversans, summo studio molitur, ut » Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a » mentibus humanis, vita et moribus populorum » excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ re» gnum stabiliatur. » Ipsi igitur omnem proprie dictam revelationem tollunt, et alium Dei cultum non admittunt, ac illum, qui e *naturalibus nostris facultatibus* vel e *ratione nostra* fluit : unde nomen *naturalistarum* et *rationalistarum* acceperunt, utpote unice cultum a natura vel a ratione procedentem admittentes.

Attamen, quamvis revelationem proprie dictam rejiciant, nomen tamen revelationis in suis theoriis servarunt; sed per illud juxta sua principia nihil aliud intelligunt, ac rationis doctrinam, quam ut Dei verbum considerant. Ita Cousin in sua *Histoire de la Philosophie morale, Leçon VIII*, dicit : « *Verum prin-* » *cipium revelans jura hominum* nihil aliud est ac » *Ratio, Ratio humana, quæ suprema est potestas.* »

Quicumque igitur omnem stricte dictam revelationem rejiciant atque solum cultum a ratione præscriptum admittant, sub nomine Rationalistarum seu Naturalistarum veniunt; verumtamen, cum isti omnes non uno eodemque motivo nixi hanc doctrinam admittant, ex varia ratione, qua sunt moti, in varias classes solent dividi, e quibus præcipue sequentes memoria sunt dignæ :

1° *Naturalistæ pantheistæ*, qui revelationem propterea rejiciunt, quia putant totum universum et idcirco etiam animam humanam esse ipsum ens divinum seu divinæ essentiæ emanationem vel evolutionem; atque ideo etiam omnem scientiam, quam homo e ratione sua haurit, a Deo immediate emanare. Clare enim liquet quod, distinctione inter Deum et mundum aut inter intellectum divinum et humanum negata, locus amplius non est revelationi proprie dictæ, et alia jam non potest haberi doctrina, ac illa quæ e ratione nostra fluit.

2° *Naturalistæ Deistæ*, qui revelationem ideo negant, non quia Deum personalem et a mundo vere

distinctum non agnoscunt, sed quia contendunt, eum omnino a mundo esse separatum mundumque nullatenus gubernare; ac proinde omnia, quæ in mundo fiunt, immediate et totaliter ex naturæ viribus legibusque fluere, atque nunquam quid in eo immediate a Deo vere effici aut effici posse. Qui enim hujusmodi de Deo deque ejus ad mundum relationibus doctrinam defendunt, necessario omnem revelationem ut prorsus impossibilem rejicere debent. Nam si Deus nihil in mundo immediate efficere possit, et omnia, quæ in mundo eveniunt, unice et necessario e naturæ viribus fluant, liquet Deum non posse homini facere revelationem, cum hæc evidenter sit immediata Dei in hominem actio, seu actio talis quæ non a naturalibus viribus sed a solo Deo procedat.

3° *Rationalistæ proprie seu stricte dicti*, qui immediatam Dei in mundum actionem omnem uti Deistæ non negant, imo hominem a Deo in rebus ad divinum cultum pertinentibus gubernari et juvari concedunt, sed qui ideo revelationem rejiciunt, quia tenent rationem humanam omnino esse independentem et nulli auctoritati, nequidem supremæ auctoritati Dei, sese submittere posse aut debere. Hac enim rationis independentia seu autonomia admissa, liquet omnem revelationem esse rejiciendam. Nullatenus igitur contendunt isti increduli revelationem impossibilem esse quia Deus in mundum et in hominem actionem exercere non posset, nam admittunt mundum a Deo gubernari, et in specie quoad divinum cultum admittunt, Deum

singulari cura omnes et singulos homines dirigere, quatenus per vires rationis eos impellat ad veritatem inquirendam, ac dispositione suæ providentiæ singulis præbeat occasiones sese instruendi, virosque suscitet præstantiori ingenio præditos, qui alios veritates doceant, quas ipsi perfectius fuerint assecuti. Verum revelationem proprie dictam omnino rejiciunt, quia dicunt ad naturam intelligentiæ nostræ pertinere, ut plena autonomia gaudeat seu omnino sit independens (1).

(1) Totum hoc systema clare describit rationalista *Wegscheider* in suis *Instit. Theol.* In §. 11. ita declarat rationem esse unicum fontem omnis veritatis religiosæ. « Rationalismus, ait, est ea cogitandi lex » sive regula, qua tum in omnibus rebus, quæcumque nobis in vita » offeruntur, tum in rebus illis gravissimis, quæ ad religionem mo- » resque pertinent, examinandis judicandisque, rationis recte adhi- » bitæ ut summæ animi facultatis normam strenue sequendam nobis » esse statuimus. » Et infra : « est, ait, ea sentiendi et cogitandi lex, » qua nullo alio modo a Deo religionem hominibus esse *revelatam* » arbitrati nisi eo, qui et naturæ rerum et rationi tamquam testi et » interpreti divinæ providentiæ vim suam declarantis plane conve- » niat, revelationis cujuscumque *opinatæ supernaturalis* argumen- » tum examinandum et judicandum censemus ex ideis ad religionem » moresque spectantibus, quas rationis ope animo informatas habe- » mus, atque ex aliis rebus cognitis, quarum veritas intelligenti » cuique ac docto existimatori cognita est. » Dein adjutorium, quod Deus homini in ordine ad divinum cultum tribuit, sequenti ratione exponit § 12 : « Sola, ait, *revelatio naturalis*, sive manifestatio Dei, » quæ fit per opera naturæ, videtur recte defendi posse, quam in » *universalem* seu communem et *particularem* seu singularem divi- » dere licet. Et *universalis* quidem naturalibus animi facultatibus » aliisque universæ rerum præsidiis efficitur, quibus homo ad conci- » piendam colendamque rerum divinarum notitiam adducitur. *Parti-* » *cularem* vero et mediatam, alio quidem sensu quam veteres, » dicimus eam, quæ continetur complexione rerum secundum natu-

4° *Semirationalistæ*, qui revelationis possibilitatem quidem non negant, sed revelationem ut revelationem, seu ut infallibile Dei verbum, nolunt accipere, atque contendunt rationis humanæ esse, ut de intrinseca revelatorum dogmatum veritate judicet, et aliter dogmata ista non debere a nobis accipi, ac mens nostra ea intrinsece comprehendit; quia, aiunt, ratio nostra potens est ad omnes veritates intelligendas, et idcirco nihil potest aut debet admittere, quod intrinsece non intellexerit. In hoc igitur systemate non rejicitur, sicut in rationalismo mox exposito, revelationis proprie dictæ possibilitas, verum revelatio, quæ admittitur, ita tractatur, ut non amplius maneat Dei verbum, nam nihil ex ea admittitur, nisi in quantum ab humana mente intrinsece intelligitur; ac proinde revera revelatio omnino tollitur. Præcipui hujus systematis auctores fuerunt Hermes et Gunther, ambo ex Germania.

Notanda. 1° Omnes naturalistæ pantheistæ et deistæ

» ram evenientium, quibus, Deo auctore, nonnulli homines præter » cæteros excitati sunt ad veræ religionis principia cognoscenda » eaque, popularium quidem desideriis accommodata et singulari » quodam religionis instituto sancita, insigni cum successu aliis » tradenda. Absolvitur ejusmodi revelatio tum singularibus, quibus » nuntius et quasi ejus interpres ornatus cernitur, ingenii animique » donis, tum insignibus providentiæ divinæ documentis in vita illius » externa conspicuis. Quo magis autem ille præsidiis istis a Deo » repetendis ad Dei ipsius voluntatem accommodate usus fuerit, et » sancto quodam fervore plenus et virtutis pietatisque studio excel- » lens divinæ vere doctrinæ i. e. per se veræ Deoque dignæ aptisque » institutis propagandæ semina sparserit; eo verius apud alios » homines doctoris seu legati divini auctoritate florebit. »

atque omnes rationalistæ proprie dicti, admittunt et defendunt in re divini cultus theoriam *progressus continui*. Juxta ipsos in initio mundi probabiliter exstitit feticismus; dein natus est polytheismus crassior, qui paulatim expolitus atque expurgatus est; et postea ex hoc polytheismo ad majorem perfectionem adducto, orta est doctrina christiana, quæ antecedentes doctrinas religiosas omnes elevatione, puritate et perfectione multum superat. Verumtamen hæc ipsa Christi doctrina summum perfectionis fastigium nondum attigit, ac proinde haud secus ac præcedentes cultus sua vice est perficienda; nam, aiunt, neque Christus neque Apostoli ita semper docuerunt, ut Judæorum erroribus et paganorum mythis et commentis nihil concesserint, suamque doctrinam eis non *accommodaverint*, uti dicitur; neque etiam plenam et summam veritatis cognitionem obtinuerunt. Perficiendam autem dicunt Christi doctrinam per hodiernas scientiæ inventiones hodiernamque civilisationem, uti aiunt, quibus religiosa doctrina se absolute submittere et conformare debet.

2° Naturalistæ et rationalistæ omnes, ubi de fidei christianæ dogmatibus tractant, ea omnino rationis suæ judicio, ut supremæ veritatis normæ, juxta sua principia submittunt; et inde plurima ex eis, uti v. g. positivas Dei institutiones, tamquam superstitiones et fabulas respuunt, alia autem omnino adulterant. Pari modo S. Scripturam explicant, plurima loca ut mythos rejiciendo, alia autem mala interpretatione

corrumpendo. Et ubi in philosophia versantur, eam non ut theologiæ ancillam, sed contra ut dominam habent, eique munus adscribunt Christi doctrinam perficiendi et ab erroribus emundandi. Præcipui autem scriptores naturalistæ seu rationalistæ sunt : Cousin, Jouffroy, Damiron, Julius Simon, Laurent, Strauss, Renan, Schoppenhauer, Bückner, Hartmann, et Spencer.

3° Juvabit hic advertere errorem hunc Naturalistarum seu Rationalistarum de humanæ rationis autonomia seu independentia aliis verbis vocari *libertatem conscientiæ*.

Libera enim dicitur conscientia, quatenus homo in re religiosa immunis est a quacumque auctoritate, etiam a magisterio Dei, ac proinde ab obligatione revelationem admittendi, et obedientiam præstandi Ecclesiæ. — Per vocem autem *conscientia* hic intelligitur ipsa ratio nostra, quatenus nobis dictat, quid quoad divinum cultum facere debeamus.

III. Methodus in demonstrationibus adhibenda. Cum duplici demonstratione res hic sint probandæ, una, quæ fidem antecedit et ad eam ducit, atque altera, quæ fidem sequitur et ex ea fluit, sequentem inibimus viam.

Argumenta philosophica, ubi habentur, priori loco dabimus; dein proferemus argumenta S. Scripturæ et Traditionis, quæ duplici sub respectu in hac materia possunt accipi, nimirum ut testimonia mere historica, vel ut testimonia divina fruentia auctoritate; ac tandem

proponemus rationes theologicas S. Scripturæ et Traditioni innixas, quæ etiam secundum modum, quo isti fontes accipiuntur, aut valorem mere humanum aut valorem theologicum habebunt. Inde, qui demonstrationem priorem, quæ nempe antecedit fidem, desiderabit, assumet argumenta philosophica atque cætera argumenta directe e S. Scriptura et Traditione desumpta rationesque theologicas, quæ indirecte ex eis sunt deductæ; sed S. Scripturam et Traditionem unice ut humana testimonia habebit. Qui vero aliam demonstrationem, quæ nempe ex fide fluit, quæret, argumenta philosophica relinquet, sed cætera omnia assumet, atque S. Scripturam et Traditionem uti divinæ auctoritatis fontes habebit.

Proponemus etiam, ubi habentur, Ecclesiæ definitiones, cum id absolute sit necessarium ut demonstratio posterior, quæ verbo Dei est nixa, compleatur. Quoad demonstrationem autem priorem, hæ definitiones non habent nisi valorem testimonii humani; sed valor iste est maximus, cum Ecclesia, etiamsi consideretur ut mera societas humana, ob præsulum suorum eximiam scientiam et sanctitatem, eorumque magnum numerum, summam habeat auctoritatem.

PARS PRIOR

De Divinæ Revelationis Possibilitate

PRÆNOTANDA

Ad declarandum, an et qualis revelatio de Dei cultu sit possibilis, sequentia sunt investiganda : — *a)* Debemus inprimis tractare de *cultu Dei naturali*, ad cognoscendum an revelatio sit possibilis a parte *materiæ circa quam* versatur. Si enim ad hominem non pertineret ut Deum colat, liquet quod Deus de divino cultu revelationem facere non posset. — *b)* Debemus dein inquirere de *physica ejus possibilitate a parte Dei*, seu inquirere an Deus facultatem habeat revelationem homini faciendi; et quid revelare possit, utrum unice veritates, quas intellectus humanus intrinsece intelligere potest, an vero etiam veritates, quæ intellectum nostrum superant. — *c)* Postea examinandum est, an revelatio sit physice *possibilis a parte hominis*, seu an homines eam ut divinam revelationem certo agnoscere possint. Si enim media eam cum plena certitudine cognoscendi deessent, certe rueret revelationis possibilitas. — *d)* Tandem scrutandum etiam est, an revelatio sit *moraliter possibilis a parte Dei*, seu an ob convenientiam, utilitatem aut etiam necessitatem suam, cum sapientia et sanctitate Dei congruat. Si enim revelatio esset res inutilis aut nociva, certe Deus, utpote sapientissimus et sanctissimus, eam facere non posset.

CAPUT PRIMUM

De Religione seu Dei cultu naturali

Materiæ distributio. Ut cognoscamus an et quomodo Dei cultus seu Religio nobis sit naturalis, sequentia sunt investiganda : 1° an homo certam cognitionem aliquam obtinere possit de rebus ad Dei cultum pertinentibus ; nam si de illis, uti quidam contendunt, nulla posset haberi certitudo, nulla religio posset subsistere : 2° an ratione certo demonstrari possit fundamentale naturalis religionis punctum, existentia nempe Dei personalis et a mundo distincti : 3° quomodo, existentia Dei demonstrata, naturæ lex expostulet cultum Dei et qualem nempe expostulet cultum, an non tantum internum sed et externum, an non tantum privatum sed et publicum seu socialem : 4° utrum naturæ lex permittat quoad divinum cultum indifferentismum, ita ut unusquisque, prout voluerit, possit sibi religionem seu divini cultus doctrinam eligere ; an vero præscribat ut unicam veram doctrinam amplectamur et sequamur.

§ I.

De certitudine in religione naturali

Q. 1. An mens humana mediis naturalibus, hoc est, solo lumine rationis ducta, cognoscere potest cum vera certitudine, veritates supersensibiles ordinis naturalis tum speculativas tum morales, abstractione facta ab eorum numero et a majori vel minori perfectione cognitionis.

R. *Tenendum est mentem humanam id certo posse.*

—

I. Explicatio. Dicitur *veritates suprasensibiles*, h. e. quæ sub sensibus non cadunt sed intellectu apprehenduntur, quales

sunt veritates religionem constituentes, uti existentia Dei, immortalitas animæ, officium Deum colendi, leges naturæ a nobis servandæ, etc. — Dicitur *veritates naturalis ordinis*, quia veritates supernaturalis ordinis, uti ipsa vox indicat, necessario et absolute rationem superant. — Dicitur *abstractione facta ab eorum numero et a majori vel minori perfectione cognitionis*, ut clare exprimatur, hic unice quæri, utrum aliquid de naturali religione cum certitudine cognosci possit, an vero circa eam scepticismus sit admittendus; et nullatenus hic poni quæstionem de numero hujusmodi veritatum quæ ratione cognosci possunt, et de majori vel minori hujus cognitionis perfectione.

II. Gradus certitudinis. Est *veritas philosophica* et *fidei dogma*. In Vaticano enim concilio definitum est, Dei existentiam, quæ indubie est veritas suprasensibilis, naturali ratione certo cognosci posse, uti constat e sequenti canone Const. *Dei Filius* : « *Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem* » *et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali* » *rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, ana-* » *thema sit.* »

III. Errores. 1° Plurimi hujus ætatis increduli, omnigenis inventionibus in re physica recenter factis inflati, atque de omni veritate secundum physicam experientiam judicare volentes, dixerunt nullam homini esse certitudinem de rebus suprasensibilibus. Inde concludunt : *a)* moralia præcepta regulamque justi et injusti, seu boni et mali, a gubernio, i. e. a legislatoribus communi plebis suffragio electis, esse determinanda; *b)* unumquemque posse quoad cætera, sequi illum cultum illaque præcepta, quæ vult, modo ipsa tamen cum lege civili, omnis justitiæ suprema norma, non pugnent.

2° In scholis catholicis etiam fuerunt nostra ætate, qui circa hoc punctum erraverint. Quidam enim, ad facilius rationalismum seu naturalismum confutandum, et revelationis divinæ

existentiam efficacius demonstrandam, docuerunt hominem per suam rationem, sine divinæ revelationis ope, vel nullam omnino cognitionem vel saltem nullam cognitionem suprasensibilem obtinere posse; et inde *traditionalistæ* vocati sunt, utpote revelationem per traditionem nobis conservatam tamquam ultimum fundamentum vel omnis cognitionis, vel saltem omnis cognitionis suprasensibilis habentes. De Bonald, qui defendebat necessitatem sermonis ad usum rationis acquirendum, et impossibilitatem repetendi sermonem ex institutione humana, inclinabat ad omnem intellectualem cognitionem homini revelatione destituto denegandam. Alii autem, uti P. Ventura et Bonnetty, unice contendebant humanam rationem revelatione non suffultam esse impotentem ad notitiam aliquam de rebus spiritualibus et moralibus capessendam.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica. A)* Contra incredulos, de quibus mox diximus, ita ratiocinamur : *a)* Non possunt ipsi affirmare, quod homo nullam veritatem suprasensibilem potest cognoscere, nullumque præceptum morale rationis dictamine propositum debet sequi, quin sibi contradicant; nam eo ipso, quod hanc theoriam affirmant, adstruunt in se veram et certam cognitionem de rebus suprasensibilibus. Prior enim assertio de impotentia hominis ad suprasensibile cognoscendum est veritas suprasensibilis speculativa, et altera de hominis in amplectendo divino cultu libertate, est veritas suprasensibilis moralis. Tam evidens et necessaria igitur est aptitudo mentis nostræ ad res suprasensibiles cognoscendas, ut impugnari non possit, quin ab impugnatore suo supponatur et admittatur. *b)* Sibi contradicunt etiam, ubi affirmant quod unusquisque se gubernio civili submittere debet. Dicunt enim unumquemque esse liberum ab omni morali officio, quia ratio nostra verum suprasensibile attingere non potest. Sed si nullus homo potest cum certitudine attingere verum suprasensibile, neque legislatores, sive pauci sive plurimi, poterunt cum certitudine

definire verum et justum. Ergo debet concludi quod nec ad civilem legem servandam tenemur, quia nec ipsa est certe vera et justa. *c)* Si respuatur omnis cognitio suprasensibilis, evertitur omnis scientia humana. Etenim haberi non potest scientia sine notionibus existentiæ, essentiæ, ordinis, finis, causæ et effectus, veri et falsi, boni et mali etc., et sine principiis uti v. g : *esse et non esse non est idem; non datur effectus sine causa.* Jamvero hæc omnia sunt res suprasensibiles, quæ per sensuum experientiam solam non sunt apprehensæ; ergo. *d)* Non major est causa cur ea, quæ sensus attestantur, admittamus, quam ea quæ ratio ita necessario vera et certa judicat, ut aliter judicare nequeat. Si enim quis rejicit aptitudinem rationis nostræ ad res suprasensibiles cognoscendas, quo motivo ductus admittet sensuum veracitatem? Nonne æque evidens est veracitas rationis, ac veritas sensuum? — Præterea liquet quod, admissa hac doctrina, necessario pervenimus ad assimilandum hominem brutis animantibus, nam ipse, haud secus ac bestiæ terræ, unice res certo cognoscet per sensus; atque inde ad negandum totum ordinem moralem, seu ad purum materialismum inducimur.

B) Contra traditionalistas vero hæc proponimus : ista doctrina admitti nequit, quia evertit et ipsam fidem atque ita ad negandam omnem suprasensibilium rerum cognitionem ducit. Fidei enim actus, ut elici ab homine possit, plures supponit in ratione cognitiones de rebus suprasensibilibus, quæ ipsam tempore antecedant. Etenim ut possimus credere, debemus prius certo cognoscere rem credendam a persona fide digna esse traditam, seu debemus cognoscere factum vel existentiam testimonii, et auctoritatem testantis. Jamvero si contendatur nullam cognitionem in mente humana haberi posse sine fide, eo ipso negatur hæc necessaria fidei præambula in homine posse existere, atque ita fundamentum fidei et proinde ipsa fides destruitur.

2° *e S. Scriptura.* Res clare demonstratur ex S. Paulo

Rom. II, 14 et 15 : « *Quum enim gentes, quæ legem non ha-* « *bent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem* « *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis* « *scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis con-* « *scientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accu-* « *santibus aut etiam defendentibus ;* » quæ verba sequenti paraphrasi elucidari possunt : « Quando gentiles, scriptam le- « gem sicut Judæi non habentes, ratione duce et magistra « faciunt ea opera quæ lex mosaica præcipit, istiusmodi ho- « mines illius legis expertes, ipsimet sibi per suam rationem « illius legis vicem supplent; quippe qui eo ipso quod hæc « opera faciunt, factis ostendunt, esse mandata ejus legis in « eorum mentibus inscripta, contestantibus illud, una cum « externo opere, ipsorum quoque conscientia et cogitationi- « bus inter se eos accusantibus aut etiam defendentibus. » In hoc enim loco vult Apostolus ostendere, quod Gentiles, quamvis scriptam legem non habeant sicut Judæi, tamen lege non carent; ipsi, ait, sibi sunt lex, h. e. ratio eorum ipsis dictat quid debeant in re morali facere et vitare. Et hanc suam assertionem demonstrat ex eo quod apud gentiles legis divinæ præcepta servantur, et quod eorum conscientia ipsos laudat ubi bene agunt et accusat ubi peccant : quæ duo facta necessario supponunt certam notitiam legis in mente existentem. Ergo clare liquet ex hoc textu hominem solis suis rationis viribus pervenire posse ad certam cognitionem suprasensibilium, ad certam cognitionem veritatum moralium. — Addi hic possunt omnia Scripturæ testimonia, e quibus constat existentiam Dei per rationem solam plene demonstrari posse.

3° *e Traditione.* Patres aperte hanc veritatem testantur : ita ad locum citatum *Ep. ad Rom.* scribit S. Chrysostomus : « Ad « cognitionem legis perveniunt insita ipsis manuductione, vir- « tute propria naturæ; » S. Cyrillus : « Sine institutione, quæ a « lege est, rationibus quæ a natura sunt, naturales cogitationes

» legis loco sunt; » et S. Basilius : « Lex quæ non percipitur » aliqua lectione, sed profluo naturæ fonte in singulis exprimitur » et humanis hauritur ingeniis. »

4° *e ratione theologica*. Firma theologica ratio desumitur ex eo quod fides divina seu fides in divinam revelationem fundamento suo destituitur, si rationi humanæ denegetur potentia, ut per se ipsam cognitionem obtineat veritatum supersensibilium, quemadmodum supra ostendimus. Jamvero existentia et necessitas fidei divinæ est doctrinæ catholicæ dogma. Ergo. — Hic addi possunt omnia theologica documenta, quæ de rationis usu ante fidem in Introductione p. 21-26 citavimus.

V. Objectiones. 1° Ratio humana, aiunt increduli, in pluribus errat; ergo in omnibus errare potest, ac proinde res suprasensibiles cum certitudine cognosci non possunt.

R. Ex eo quod ratio humana in pluribus errat, non sequitur quod ipsa semper erret, vel quod in omnibus errare possit, et medium errorem corrigendi non habeat; sed hoc solum inde concludi potest, quod nempe ipsa non est in omnibus infallibilis. Jamvero ex eo quod ratio humana non est infallibilis in omnibus, nullatenus sane fluit eam cum certitudine nihil cognoscere; ergo ruit objectio. — Præterea possumus et hoc reponere : sensus nostri externi etiam in pluribus errant; ergo, admisso adversariorum principio, dicendum quoque esset, nihil per sensus externos de mundo sensibili cum certitudine cognosci posse.

Obj. 2° Nulla est veritas suprasensibilis utcumque præstans, aiunt increduli, cui non contradicatur a quibusdam philosophis; dum facta experimentalia a nemine vocantur in dubium. Ergo conjici inde potest, rationem impotentem esse ad certam suprasensibilium notitiam suppeditandam.

R. Staret objectio, si ad alicujus rei certitudinem requireretur communis hominum consensus; atvero certitudo non a communi hominum consensu sed ab evidentia ratiocinii et

principiorum, quibus nitimur, dependet. Ergo ex aliquorum de rebus metaphysicis dissensu falso concluditur, eas cum certitudine cognosci non posse. — Præterea falso asserunt adversarii, quod facta experimentalia nunquam in dubium sunt vocata, nam semper fuerunt idealistæ et sceptici, qui sensuum experientiam negaverint, atque ipsam mundi realitatem in dubitationem adduxerint. Ergo si adversariorum principia hic applicemus, dicendum est, ipsa facta experimentalia cum certitudine cognosci non posse. — Concedimus quidem quod circa facta experimentalia minor existit contradicentium numerus, quam circa res metaphysicas; sed inde concludi non potest contra rationis nostræ ad res suprasensibiles cognoscendas facultatem. Hoc autem solum inde constat quod nempe facilius est homini avertere oculos a luce veritatum, quæ sensum transcendunt, quam ab iis, quæ sensui subjectæ sunt.

Obj. 3° P. Ventura hæc objicit : ita se habent, ait, veritates spirituales et morales in ordine ad cognitionem intellectualem, sicut in ordine ad cognitionem sensitivam se habent objecta procul a sensibus posita. Atqui hæc secunda non cognoscuntur nisi prius ea nobis aliquis describat. Ergo nec priores veritates. — Fundamentum *majoris* est, ait, disproportio major existens inter res sensibiles et spirituales, quam inter sensibilia præsentia et absentia.

R. Tota hæc objectio in eo nititur, quod nempe, uti ait Ventura, res sensibiles nullatenus ad rerum suprasensibilium cognitionem nos ducere possint. Jamvero dicimus hoc principium esse prorsus falsum; quod ita demonstramus.

Procul dubio inter res sensibiles et spirituales, et maxime Deum, non datur proportio entitatis seu perfectionis, quia priores sunt diversæ et longe inferioris naturæ quam alteræ; atvero datur alia connexio inter eas, connexio nempe effectus et causæ, qua adducimur ad res metaphysicas cognoscendas. Ex quocumque enim effectu potest cognosci existentia et aliquo

modo etiam natura causæ. Jamvero res sensibiles manifeste postulant causam primam, causam omni defectu carentem omnique perfectione fruentem, et proinde causam immaterialem. Ergo ex eis ad res suprasensibiles cognoscendas adducimur.

Nec dicatur hominem de ente spirituali nullam habere posse ex seipso ideam, ac proinde ex rebus sensibilibus ad Deum, supremum ens spirituale, concludere non posse; nam anima nostra seipsam per actus suos cognoscit, et ita necessario ideam habet de ente spirituali. Id clare proponit S. Thomas P. I, Q. 88, A. 1, ad 1. dicens : « Illud quod mens nostra de cognitione » incorporalium rerum accipit, per seipsam cognoscere potest. » Et hoc adeo verum est, ut etiam apud Philosophum dicatur, » quod scientia de anima est principium quoddam ad cognos- » cendum substantias separatas. » Et pariter S. Augustinus dicit : « Mens sicut corporearum notitias per sensus corporis » colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam. (*Lib. IX.* » *De Trin. III.*) »

Addendum et hoc est, quod si nulla existeret connexio inter res sensibiles et res spirituales, ut contendit Ventura, neque etiam, habita per revelationem notitia rerum spiritualium et moralium, mens nostra valeret de eisdem ex sensibilibus ratiocinari, quia nempe solido principio demonstrationis, scilicet logica inter sensibilia et supersensibilia connexione careret. Attamen admittit Ventura post revelationem de rebus sensibilibus ad suprasensibilia concludi posse.

Obj. 4°. Opponit P. Ventura et hanc difficultatem : Intellectus finitus, ait, creare non potest in ordine cognitionis, sicut non potest creare in ordine physico. Ergo intellectus humanus in omnibus suis cognitionibus aliquid præsupponit, quasi materiam, scilicet sensibile individuum, cujus universalem naturam intelligit : ita ut nullius rei cognitio intellectiva in nobis detur, sine respectivo sensibili phantasmate ipsius rei. Hoc autem individuum in rebus spiritualibus, cum per sensus haberi

non possit, necesse est ut intellectus humanus illud habeat ope externi magisterii.

R. Si spiritualia cognosceremus per ideam adæquatam et perfectam, staret objectio P. Venturæ; atvero eas unice cognoscimus per comparationem ad corpora sensibilia, et ita sine creatione in ordine cognitionis intellectus noster ea cognoscere potest. Id clare docet S. Thomas, 1ª, Q. 84, A. 7, ad 3 : « Incorporea, ait, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur a nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata; sicut veritatem cognoscimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur. Deum autem, ut Dionysius dicit, cognoscimus ut causam, et per excessum *(perfectionum)* et per remotionem *(imperfectionum)*. Alias autem incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideo cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint phantasmata. »

VI. Nota de extensione et intensione cognitionum rationis nostræ quoad res spirituales. Supra exposuimus quæstionem de rerum suprasensibilium cognitione, abstractione facta ab extensione vel intensione ejusdem cognitionis. Pro pleniori autem hujus rei intelligentia, hic addemus quæ de istius cognitionis extensione docet S. Thomas. Tamquam principium statuit, P. 1, Q. 12, A. 12 : « Tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia. » Et inde quoad cognitionem divinorum concludit : « Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc intellectus noster pertingere, quod divinam essentiam videat; quia creaturæ sensibiles sunt effectus Dei virtutem causæ non adæquantes. Unde ex sensibilium cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, et per consequens nec ejus essentia videri. Sed quia sunt ejus effectus a causa dependentes, ex eis in hoc

» perduci possumus, ut cognoscamus de Deo *an est;* et ut » cognoscamus de ipso ea quæ necesse est ei convenire, secun- » dum quod est prima omnium causa excedens omnia sua cau- » sata. Unde cognoscimus de ipso habitudinem ipsius ad crea- » turas, quod scilicet omnium est causa; et differentiam » creaturarum ab ipso, quod scilicet ipse non est aliquid eorum » quæ causantur; et quod hæc non removentur ab eo propter » ejus defectum, sed quia superexcedit. » Cognitis autem veritatibus speculativis, cognoscuntur facile veritates morales, cum ipsæ nihil aliud sint, quam veritates speculativæ ad directionem actuum humanorum applicatæ.

§ II.

De demonstratione existentiæ Dei.

Q. An ratio humana solis suis viribus existentiam Dei certo demonstrare potest?

R. *Tenendum est rationem humanam per solas suas vires eam certo demonstrare posse.*

—

I. Explicatio. De existentia Dei inquirentes, per *Deum* intelligimus, juxta intelligentiam usumque communem, ens supremum, a quo mundus tamquam a prima sua causa dependet.

II. Gradus certitudinis. Est *veritas philosophica et fidei dogma.* Ab Ecclesia enim in Conc. Vaticano id tamquam fidei dogma definitum est, uti in §. superiori vidimus.

III. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica.* Argumenta philosophica, quibus Dei existentia demonstratur, distribui solent in *metaphysica,* quæ ex rerum mundanarum natura desumuntur; *physica,* quæ mundi ordo suppeditat; et *moralia,* quæ unanimis hominum consensus præbet.

a) Optimum habetur argumentum metaphysicum in contingentia mundi : mundus est ens contingens, seu ens cui ita

competit existentia, ut sine ulla repugnantia posset ipsi non convenire. Jamvero omne ens contingens supponit existentiam entis necessarii, seu entis vi suæ essentiæ existentis, a quo existentiam suam accepit; et hoc ens necessarium vocamus Deum. Ergo ex contingentia mundi clare demonstratur existere Deum seu ens supremum a quo tamquam a causa prima mundus dependet. — *Prob. maj.* Quod autem mundus est contingens, facile probatur : si enim ejus partes consideremus, in nulla earum existendi necessitas reperitur, neque in corporibus cœlestibus, neque in animantibus, neque in plantis, neque in materia inerti; ac præterea continua earum corruptio et mutatio clare ostendunt ipsas non necessario existere; nam quod existit necessario, corrumpi aut mutari non potest. Sed si omnes et singulæ partes mundi essentialiter contingentes deprehenduntur, certe totus mundus est essentialiter contingens : nam contingentia ad rei essentiam pertinet et per collectionem non tollitur. — *Prob. min.* Quod existentia entis contingentis necessario postulat existentiam entis necessarii per se liquet. Etenim ens contingens, utpote de se ad existendum vel non existendum indifferens, ex seipso, i. e. ex sua essentia, existentiam non habet, ac proinde ab alio ente debet esse productum. Sed ultima causa, a qua est productum, debet esse ens necessarium, quia secus ipsa non esset ultima sed tantum subordinata causa, cum ens contingens sit necessario ab altero productum. Nec dicatur mundi contingentis existentiam explicari posse per infinitam causarum contingentium seriem; nam repugnat numerus infinitus etiamsi successivus sit; ac dein, data numeri infiniti possibilitate, hæc series infinita causarum contingentium non minus requireret entis necessarii existentiam quam una causa contingens, cum intrinsece repugnet, ut causa contingens per se existat.

b) Argumentum physicum ita proponi potest : In mundo est ordo constans, qui est conspiratio omnium naturarum in unum

finem, scilicet in perfectionem, unitatem et pulchritudinem ipsius universi. Jamvero ordo et maxime ordo constans non a fortuitis casibus sed ab intellectu procedit, atque iste intellectus omnia constanter in mundo ordinans non est ipse mundus vel aliquod ens mundanum. Ergo existit causa ordinatrix et gubernatrix mundi, a mundo distincta. Hanc autem causam vocamus Deum; ergo ex ordine mundi demonstratur Deum existere.

c) Ex unanimi hominum consensu sequenti ratione existentia Dei demonstrari potest : omnibus temporibus et omnibus in locis homines persuasi fuerunt, numen aliquod supremum existere. Errarunt quidem circa naturam Dei sed tamen Divinitatem aliquam semper agnoverunt. Hunc consensum jam antiquissimi philosophi testati sunt. Ita Cicero L. 1. *De Leg.* c. 8. dicit : « Nulla gens, ait, neque tam immansueta, neque tam fera est, » quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen » habendum sciat; » et Plutarchus *Adv. Col. Ep.* : « Si totum » peragraveris orbem, invenies quidem urbes muris, literis, » regibus carentes; urbem vero sine templis et sine diis nemo » vidit unquam; et facilius arbitror urbem sine solo, quam sine » deorum persuasione consistere posse. » Pariter S. Hieronymus *Ep. ad Nep.* scribit : « Totius mundi hæc una vox est : Deus » est. » Præterea tam manifestus et certus est iste consensus, ut nemo unquam serio ejus existentiam impugnaverit. — Jamvero iste consensus hujusmodi est naturæ ut non possit nisi ex maxima rei evidentia explicari; et hoc probatur duplici ex capite : ex ipsa hominis depravatione, et ex oppugnationibus atheorum. *Ex ipsa hominis depravatione :* homo passionibus agitatur, maximeque inclinatur ad eis satisfaciendum; et liquet quod facilius eis indulgere poterit, si semel sibi persuaserit non existere Deum justissime et severissime peccata punientem, cum in hoc casu nihil sibi haberet pertimescendum. Nihilominus passiones nunquam a cordibus hominum depellere potuerunt tam alte animo defixam persuasionem existentiæ Dei, et qui

Deum non agnoscunt venerando, agnoscunt saltem vel timendo vel blasphemando. *Ex ipsis oppugnationibus atheorum* : procul dubio si sophismata aliquid possunt, hac in re plurimum valere debuissent, cum maxime pravis passionum inclinationibus consona essent. Jamvero athei sententiam communem nullatenus evertere aut mutare potuerunt. Ergo aperte constat consensum istum non ab errore vel a depravata hominum voluntate, sed contra a maxima rei evidentia procedere. — Cum igitur constet circa Dei existentiam unanimem hominum haberi consensum, et hunc consensum ex plena rei evidentia profluere, aperte liquet Deum vere existere.

2° *e S. Scriptura.* E SS. Litteris clare docemur Dei existentiam ratione naturali certo cognosci posse. Ita *Sap.* XIII, 1 et seqq. hæc legimus : « *Vani* (i. e. stulti, insipientes) *sunt omnes* « *homines, in quibus non subest scientia Dei* (qui non cognos- « cunt Deum); *et de his quæ videntur bona non potuerunt* « *intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnove-* « *runt quis esset artifex* (i. e. qui ex consideratione pulchritu- « dinis mundi non agnoverunt ejus artificem)... *A magnitu-* « *dine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator* « *horum videri* (i. e. ex magna pulchritudine rerum creatarum « ratiocinando seu concludendo (cognoscibiliter) potest earum « creator cognosci)... *Si enim tantum potuerunt scire, ut* « *possent æstimare sæculum, quomodo hujus dominum non* « *facilius invenerunt* (i. e. si tam potens sit eorum intellectiva « facultas, ut occultam sæculorum rerumque naturalium natu- « ram perscrutari possint, quomodo, quod facilius est, Deum « non cognoverunt)? » Ex hisce clare patet hominem posse *scire, intelligere, cognoscere invenire Deum.* Et quisnam est fons, unde hanc cognitionem hauriat? Nulla fit mentio revelationis proprie dictæ, imo fons ab ipsa omnino distinctus proponitur, scilicet : *quæ videntur bona, opera, magna species* seu *pulchritudo creaturarum.* Atqui ex operibus et effectibus

agnoscitur artifex conclusione prorsus *rationali*. Ergo solo lumine rationis ex rebus mundanis possunt homines intelligere eum *qui est*, i. e. Deum. — Præterea comparat Scriptura cognitionem quam ex mundo de Deo haurimus, cum multiplici cognitione nostra de rerum mundanarum natura pariter ex mundi consideratione hausta; et dicit facilius inveniri posse Deum, quam occulta naturæ. Jamvero hæc cognitio de naturæ occultis certe sola ratione acquiritur; ergo et sola ratione existentia Dei cognoscitur.

Eamdem doctrinam proponit S. Paulus *ad Rom. I.* 18 et seqq. dicens : « *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem* » *et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injus-* » *titia detinent. Quia quod notum est Dei manifestum est in* » *illis : Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius* » *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspi-* » *ciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut* » *sint inexcusabiles.* » Quod ita paraphrastice exponit Ill. Beelen : « Nam in doctrina Evangelii revelatur, vindictam Dei » cœlestis esse superventuram contra summam impietatem et » iniquitatem eorum, qui veram quam habent de Deo notitiam, » per improbitatem suam prohibent ne vitam eorum moderetur, » nam in ignoratione Dei non sunt; quod enim notum est de » Deo, hoc in ipsorum animis manifestum est. Deus enim hoc « illis manifestavit. Nam ea quæ de Deo oculis sunt impervia, » videlicet æterna ejus potentia et reliqua attributa, hæc jam » inde a mundo condito intellectu ex rebus creatis apprehensa » cernuntur, ut adeo inexcusabiles sint meritoque damnandi, » quia quamquam Deum cognoscerent, eumdem tamen non ut » talem coluerunt. » In hisce verbis Apostolus, ut ostendat Gentiles in peccatis suis esse inexcusabiles, modum proponit, quo ipsi Deum cognoverint. Jamvero illum modum ita definit : *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* ; h. e. Deus oculis invisibilis, per intellectum ex rebus creatis

ratiocinantem apprehenditur. Ergo clare docet hominem naturali rationis suæ lumine Deum cognoscere posse. — Opponunt Traditionalistæ, forsan ab Apostolo præsupponi traditionem primitivam ex revelatione Adæ facta manantem, quæ ex rerum creatarum contemplatione tantum *confirmaretur;* ac proinde ex citato textu concludi haud posse, quod homo e consideratione mundi Dei existentiam valet cognoscere. Verum frustra id objicitur; etenim si ita res se haberet, haud recte ratiocinatus esset S. Paulus; nam princeps Deum cognoscendi medium omisisset et unice commemorasset medium accidentale. Dein, quam absurda sit illa evasio liquet e *cap.* II. ejusdem epistolæ, ubi Judæi revelationem habentes immediate gentilibus revelatione destitutis et unice Deum rationis dictamine cognoscentibus opponuntur. — Addi hic possunt textus *Act. Ap.* XIV, 15, 16; XVII, 27.

3° *e Traditione.* Plurima habentur perspicua Patrum testimonia, quæ expresse hanc doctrinam proponunt; citabimus tantum sequentia. Ita loquitur Tertullianus *De testimonio Animæ* c. 1. : « Dic testimonium, o anima rudis et simplex et » non christiana. Non eam te advoco, quæ scholis formata, » bibliothecis exercitata, academiis et porticibus atticis pasta » sapientiam ructas. Te simplicem et rudem et idioticam appello, » qualem habent, qui te solam habent, illam ipsam de compito, » de trivio, de textrino totam... Nam te quoque domi et foris ita » audimus pronuntiare : *quod Deus dederit;* et : *si Deus voluerit.* Ea voce et aliquem esse significas, et omnem illi con- » fiteris potestatem, ad cujus spectas voluntatem. *Deus bonus* » et *Deus benefacit* tua vox est, et *Deus te benedicat* tam facile » pronuntias, quam necesse sit christiano, ac perinde ejus super » nos potestatem consistere confiteris. De conscientia tibi sup- » petit ea vox : *Deus videt omnia;* et *Deus reddet;* et *Deus* » *inter nos judicabit.* » Pariter S. Chrys. *Ad pop. Antioch.* hom. IX. n. 2 dicit : « Cœli enarrant gloriam Dei. Quomodo

» igitur quæso, narrant. Vocem non habent, os non possident, » non est ipsis lingua, quomodo igitur narrant. Per ipsum » aspectum... Tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba » clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens. Et » Scytha, et Barbarus, et Indus, et Ægyptus et omnis homo » super terram incedens hanc vocem audiet. »

4° *e ratione theologica.* Illa ratio theologica, quam in §. præcedenti exposuimus, hic etiam valet. Si enim Dei existentia ratione cognosci non posset, rueret fidei in Deum possibilitas.

IV. Errores. Increduli et Traditionalistæ, de quibus in §. præcedenti locuti sumus, cum contendant hominem naturali sua ratione de rebus suprasensibilibus nihil cum certitudine cognoscere posse, necessario negant existentiam Dei sola ratione posse demonstrari.

Citandi hic etiam sunt Athei, qui docent Deum non existere, atque Pantheistæ, qui, cum doceant ipsum mundum esse Deum, seu Deum a mundo non esse distinctum, atheis sunt æquiparandi : distinctione enim inter Deum et mundum negata, negatur eo ipso Deus, siquidem per Deum intelligitur ens supremum a quo mundus tamquam a causa sua prima dependet. — Doctrina autem pantheistica triplici præsertim modo explicatur : *a)* Vel statuitur unica substantia infinita et immutabilis, cujus cætera entia omnia sunt meræ modificationes. *b)* Vel dicitur *esse* absolutum, purum et universale, seu ideam *esse* abstractam et universalem necessario impulsu sese evolvere in omnia, fieri omnia, ista evolutione ad perfectionem et conscientiam sui pervenire, seu Deum fieri in mundo et per mundum. *c)* Vel dicitur ex unica substantia de se emanare universitatem rerum, quæ sunt manifestationes illius substantiæ, ac eamdem cum ipsa essentiam retinent. — Hoc systema refellitur ex argumentis mox expositis, siquidem ipsa directe demonstrant existentiam entis supremi a mundo distincti, et a quo mundus dependet tamquam effectus a causa sua prima. Etenim illa

omnia quæ proposuimus ostendunt, omnes res mundanas talis esse naturæ ut ex seipsis non existant, sed postulent causam primam a qua dependeant. Verum adhuc latius refelletur hoc systema, ubi in Tractatu *de Deo* de divina essentia agemus.

V. Objectiones contra argumentum ex contingentia mundi. 1° Contingentis idea supponit ideam necessarii; quia ens contingens est ens non necessarium. Ergo quando cognoscimus contingens, jam ens necessarium cognoscimus; ac proinde ex contingentia rerum mundanarum existentia entis necessarii, quod antea jam cognitum esse debeat, demonstrari non potest.

R. *Dist. antec.* Contingentis idea supponit ideam necessitatis, *transeat;* supponit cognitionem entis necessarii vere existentis, *nego.* Nec dicatur ideam necessitatis haberi non posse nisi ex cognitione entis necessarii vere existentis, nam hauriri potest ex multis, quæ in ordine ideali vi principii contradictionis necessaria cognoscimus. — Falso ergo contenditur ens ut contingens cognosci non posse, nisi antea cognoscatur existentia entis necessarii, ac proinde falso inde concluditur ex rebus contingentibus existentiam entis necessarii deduci non posse, quasi cognitio existentiæ entis necessarii necessario ideam contingentiæ antecederet.

Obj. 2° Per ea quæ necessaria non sunt, nequit demonstrari id quod est necessarium. Entia autem contingentia necessaria non sunt. Ergo.

R. *Dist. maj.* Per eas præmissas, quæ nullam necessitatem habent, seu quæ non sunt certæ; *conc.;* per ea entia, quæ non sunt necessaria; *nego.* — Ubi enim præmissæ non sunt certæ, seu nullam necessitatem habent, nequeunt conclusionem dare certam; verum ubi præmissæ sunt certæ, sive ipsæ sint de re necessaria vel de re contingente, semper pariunt conclusionem certam. Jamvero natura rerum contingentium evidenter postulat causam primam quæ sit ens necessarium; ergo.

Potest et hoc modo difficultas ista plene confutari : conclusio

omnis syllogismi est necessario bona, si nihil contineat, quod non sit in præmissis. Jamvero ubi ex rerum mundanarum contingentia ad Dei existentiam concludimus, nihil habetur in conclusione, quod non sit in præmissis. Etenim præmissæ sunt: mundus est ens contingens; et ens contingens necessario supponit causam primam a qua dependet; ergo ubi dicimus mundum necessario supponere causam primam seu Deum a quo dependet, nihil asserimus, quod non habeatur in præmissis. Ergo.

Obj. 3° Si ab entibus contingentibus concluditur ad ens necessarium; hoc ens necessarium fit dependens ab illis, seu mundus est ipsa conditio seu causa, qua posita, existit Deus.

R. In hac objectione turpiter confunditur causa vel modus nostræ cognitionis Dei cum causa seu modo existentiæ ejus; nam ex eo quod Deum ex rebus contingentibus cognoscimus, concluditur Dei existentiam ab istis rebus esse dependentem, cum tantum nostra de Dei existentia cognitio ab eis ideo sit dependens. Si enim ab effectu concluditur ad causam, non hæc causa, sed nostra de ipsa cognitio fit ab eo dependens. Ita quando per calorem quem sentio, agnosco ignem in fornace latentem, calor manet effectus, et non fit causa vel conditio ignis, sed medium quo cognoscitur ignis existentia. Proinde ubi Dei existentiam ex mundo cognoscimus, mundus est causa cognitionis nostræ, sed nullatenus causa est existentiæ Dei.

Obj. 4° S. Thomas admittit mundum posse æternum esse, ac proinde infinitam seriem causarum contingentium ab invicem dependentium non repugnare. Jamvero hæc series causarum initio careret, atque ita existere posset sine ente necessario, a quo sit producta. Ergo existentia mundi contingentis intelligi potest, quin admittatur existentia entis necessarii.

R. S. Thomas haud simpliciter admittit mundum posse æternum esse, sed hoc solum docet, rationes nempe, quæ ad repugnantiam creaturæ æternæ demonstrandam allegantur, ad

valorem veræ demonstrationis non assurgere. Præterea videtur contra S. Thomam certo admittendum, quod series infinita causarum vere repugnat; uti in philosophia docetur. Verum quidquid teneatur de hujusmodi seriei causarum contingentium possibilitate, ista series tamen sine ente necessario, a quo sit creata, intelligi nullatenus potest, uti expresse docent S. Thomas iique omnes, qui possibilitatem creaturæ æternæ admittunt. Et ratio est, quod essentialiter repugnat ut ens contingens a se existat, et idcirco non magis series infinita entium contingentium quam unum ens contingens a se existere potest.

Obj. 5° Cum certitudine ex mutabilitate mundi cognosci non potest eum totum esse contingentem; nam videmus quidem ejus accidentia esse mutabilia, sed idem non constat de ejus substantia. Ergo cum certitudine ex mundi contingentia ad Dei existentiam concludi non potest.

R. Cum accidentia naturaliter fluant e substantia, cui inhærent, necessario sequuntur conditionem hujus substantiæ, nec fieri potest, ut essentialiter ab ipsa differant. Jamvero essentialis differentia existeret, uti patet, inter substantiam et accidentia, si, dum substantia est ens necessarium, accidentia essent res contingentes. Ergo ex contingentia accidentium rerum mundanarum legitime concluditur ad contingentiam totius mundi. — Præterea attributa entis necessarii, uti demonstratur in Philosophia et in Tractatu *de Deo*, sunt necessario infinita ac proinde immutabilia; ergo ex mutabilitate accidentium mundi legitime concludimus ad ejus contingentiam.

VI. Objectiones contra argumentum physicum. 1° Argumentum ex ordine mundi desumptum inefficax est ad Dei existentiam demonstrandam, si aliunde iste ordo explicari possit. Jamvero aliunde explicari potest, scilicet ex fortuito atomorum concursu. Ergo.

R. Falso asseritur ordinem mundi ex fortuita atomorum complexione explicari posse. Etenim complexio nulla fieri potest,

nisi præsupponantur plures vires jam existentes, quæ confluere possint. Sed undenam ista virium aptitudo? Liquet in hac explicatione recurrendum esse ad seriem infinitam causarum concurrentium; quæ series in se repugnat, et etiamsi non repugnaret, tamen exigeret causam primam ordinatricem, quemadmodum diximus de serie infinita causarum contingentium. — Notatu etiam digna sunt, quæ dicit Cicero de hoc fortuito atomorum concursu, L. II. *De natura Deorum*, c. 37 : « Quodsi, ait, mundum efficere potest concursus atomorum, cur » porticum, aut templum, aut domum, aut urbem non potest, » quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe id » temere de mundo effutiunt (quidam philosophi), ut mihi qui- » dem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum suspexisse » videantur. Qui existimat mundum effici ornatissimum et pul- » cherrimum ex eorum corporum concursione fortuita, non intel- » ligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti » formæ litterarum vel aureæ vel quælibet, aliquo conjiciantur » posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps » legi possunt, effici, quod nescio an ne in uno quidem versu » possit valere fortuna. »

Obj. 2° Mundus, aiunt, nobis magna ex parte ænigma est, et de ordine ipsius sufficiens judicium ferre haud possumus, quia totum universum, et omnium partium connexionem non videmus. Ergo ex ordine mundi, utpote nobis haud satis cognito, ad existentiam Dei concludere non licet.

R. Quamvis nonnulla dentur, quæ in hac rerum universitate nobis satis perspecta non sint, plurima tamen ita cognoscimus, ut de eorum optimo ordine et mira congruentia dubitare non possimus. Et hæc jam sufficiunt, ut tum ad pulchritudinem mundi, tum ad causam ordinatricem mundi concludere possimus.

VII. Objectiones contra argumentum morale. 1° Non datur circa existentiam Dei consensus unanimis, nam quavis ætate exstiterunt athei qui neque studio neque ingenio caruerunt.

R. Inprimis videtur ut certum tenendum quod athei, qui citantur, corde non tenuerunt, quæ docuerunt. Atvero dato etiam quod athei exstiterint, nihil inde contra nos probatur. Agimus enim de consensu, qui universalis est non physice sed moraliter, ac proinde peculiaris exceptio eum non infirmat, sed confirmat, eo nimirum modo quo in ordine physico monstra non carentiam sed magis constantiam ordinis demonstrant.

Obj. 2° Communis de Dei existentia persuasio sat probabiliter fuit vel a legislatoribus ad populos in officio continendos, vel a sacerdotibus lucri causa propagata. Ergo.

R. Universalis ille consensus ex legislatorum facto explicari non potest. Etenim Dei cognitio etiam inventa est in iis efferatis populis, quæ nullis legibus coërcebantur; ac dein quomodo potuissent legislatores Dei timore uti illumque humanis passionibus tantopere oppositum, hominibus incutere ad eos in officio continendos, nisi præsupponatur in eis clara et certa de Dei existentia cognitio? — Præterea quod ad sacerdotium attinet, liquet a fraude sacerdotum repeti non posse communem illam de Dei existentiam; nam alias prius supponi debent sacerdotes, quam Deus, ad cujus cultum sacerdotes instituti sunt. Sublata enim idea Dei, nullum jam locum habere potest sacerdotium, quod ad Deum honorandum assumitur.

Obj. 3° Si omnium gentium consensus ad Dei existentiam demonstrandam valeat, eodem modo etiam valet ad veritatem polytheismi confirmandam, nam maxima pars hominum polytheismo olim fuit dedita.

R. Inprimis negamus consensum circa polytheismum tam universalem sub ratione temporis vel loci fuisse, ac universalis sub hisce respectibus est de Dei existentia persuasio. Nullo enim monumento ostendi potest, jam ante diluvium plures deos agnitos fuisse. Post diluvium quoque non omnes gentes huic superstitioni adhæserunt; nam populus judaicus unum Deum coluit. Neque etiam præter Judæos defuerunt unius Dei cultores, ut Job,

Ninivitæ aliique. Præterea ubique locorum homines sapientiores, ratione duce, unitatem Dei agnoverunt, uti constat ex famosa Antisthenis sententia : « *populares Deos multos, naturalem* » *unum esse.* »

Præterea consensus in polytheismum intrinsece spectatus cum consensu circa existentiam Dei comparari non potest, siquidem non est, sicut ille, necessariis ad certum præbendum argumentum notis stipatus. Et in primis ipse non est verus consensus in aliquam doctrinam. Etenim polytheismus non est una doctrina, sed complexus plurimarum doctrinarum inter se pugnantium, ac proinde a veritate aberrantium : unde consensus in polytheismum non est consensus in unam eamdemque doctrinam, sed merus consensus in recessu a veritate ad amplectendos varios errores. Nec dicatur, omnes polytheistas tamen convenire in hoc puncto, in adstruenda nimirum pluritate deorum; nam eam unice adstruunt proponendo sua systemata, quæ utpote inter se pugnantia necessario sunt falsa; ac proinde non magis valet eorum opinio de pluritate deorum, ac valent ipsorum systemata de variis divinitatibus. — Dein consensus unanimis tunc solum præbet certum veritatis argumentum, ubi circa prima et immediata principia versatur vel circa consecutiones faciles et immediatas. Atvero quæstio de unitate Dei ad hujusmodi puncta non pertinet, sed potius inter difficiliores et occultiores materias est recensenda, nam facile concluditur ad Dei existentiam, sed nonnisi cum magno labore scrutatur homo Dei naturam. Ergo.

VIII. Objectiones generales contra demonstrationem de existentia Dei : 1° Prima veritas non demonstratur; atqui Deus est prima veritas; ergo Dei existentia demonstrari nequit.

R. Observetur inprimis hanc objectionem non impetere Dei existentiam, et unice inferre, quod ipsa est veritas per se nota. — Nihilominus quoniam existentia Dei non est veritas per se nota, reponimus Deum quidem esse primam veritatem, at quoad ordinem existentiæ, non vero quoad ordinem cognitionis nostræ.

Deus quidem ante omnia entia fuit; sed ipse a nobis ante cætera omnia non cognoscitur. Non enim ex contemplatione Dei ad cæteras res cognoscendas descendimus, sed contra ex aliis veritatibus ad Dei cognitionem ascendimus. Jamvero quod primum est in ordine cognitionis demonstrari nequit; sed Deus in ordine cognitionis non est primum. Ergo.

Obj. 2° Circa veritates, quas ratio plene demonstrat, non habentur controversiæ, uti patet ex veritatibus mathematicis, quæ a nemine negantur. Jamvero circa Dei existentiam multæ controversiæ exortæ sunt. Ergo.

R. Falso ex hoc consensu circa veritates mathematicas concluditur, circa nullas veritates, quas ratio plene demonstrat, controversias existere posse. Etenim controversiæ oriuntur non ex sola rei incertitudine, sed etiam ex voluntatis influxu atque ex adhibita methodo. Voluntas nempe, ubi veritas sibi non placet, intellectum ab ea recte consideranda avertere potest; et methodus, si sit minus clara, cavillationibus potest præbere ansam. Istæ autem causæ non existunt in mathesi; voluntas enim in operatione mathematica, in qua nullum malum invenit, intellectum non impedit; et methodus, quæ in ea adhibetur, methodus scilicet æquatoria, cavillationibus non relinquit locum. Contra vero, ubi agitur de Dei existentia demonstranda, voluntas, cum a Deo supremo Domino et justissimo vindice multum timendum habeat, potest intellectum alligare; ac præterea methodus analytica, qua in hac demonstratione ut ascendamus de mundo ad Deum est utendum, magis quam propositiones æquatoriæ, cavillationibus favet.

Obj. 3° Si homines tam certo et tam facile Dei existentiam per rationem cognoscerent, possent omnes statim, ubi interrogantur, exponere argumenta, quibus ad Dei existentiam admittendam adducuntur. Jamvero ubi a persona rudiori quæritur, quomodo per rationem cognoscat Deum existere, responsum non obtinetur. Ergo.

R. Falso asseritur, quod si quis facile et certo Dei existentiam per rationem possit cognoscere, debet quoque semper posse, ubi interrogatur, suæ cognitionis rationem reddere; uti e sequentibus patebit :

Prænotandum hic est duplicis generis haberi intellectuales operationes : aliæ sunt *spontaneæ*, quæ repræsentatione phantasiæ determinantur, aliæ vero *reflexæ*, quæ ex imperio voluntatis fiunt; et inter utrasque sequens existit discrimen : 1° operationes spontaneæ sæpe sui conscientiam non faciunt, dum contra reflexæ, quæ ex actu voluntatis procedunt, eam semper faciunt; 2° Operationes spontaneæ ad conclusiones tam longinquas pertingere non possunt quam reflexæ, quia consideratio intellectus spontanee agentis constanter mutatur ex summa phantasiæ mutabilitate; 3° Intellectus spontanee agens vehementius et celerius operatur, quam ubi agit ex voluntatis imperio; et ratio est quod voluntas tantum partialiter intellectum ad particulare objectum considerandum attrahere potest; hanc videlicet considerationem partim impedit spontanea operatio quæ continuo ponitur circa varia objecta constanter per phantasiam repræsentata. Durum enim est intellectui phantasiam non sequi, et eo tendere, quo ipsum vocat voluntas; et inde reflexionis habitus monnisi diuturno exercitio acquiritur, atque rudes hoc habitu carentes inepti sunt ad omnem reflexionem, quæ aliquatenus est longior.

Istorum principiorum ope respondetur : per ratiocinium spontaneum intellectus etiam rudium facillime ad Dei cognitionem pervenit, nam hæc veritas haud longe a principio suo distat; ac dein in omnibus objectis intellectui a phantasia oblatis offenditur contingentia rerum, earum ortus atque interitus, mirabilis earum pulchritudo, aptissimusque ordo; a quibus intellectus, ut vidimus, immediate ad Deum concludit. — Verum rudes non possunt facile rationem reddere cognitionis suæ, tum quia nonnisi difficulter reflexe reproducere sibi possunt ratiocinium suum spontaneum,

nam ob maximam actus celeritatem termini intermedii non clare apparent; tum etiam quia copiam verborum non habent ut res abstractas enuntient.

IX. Quæstiones subsidiariæ.

Q. I. *An existentia Dei non est veritas per se nota, seu quæ demonstratione non indigeat?*

R. Existentia Dei est quidem veritas per se nota secundum se, non vero per se nota quoad nos. — Quod hæc propositio *Deus existit* est per se nota secundum se, non dubitatur, nam nota existentiæ ad Dei essentiam pertinet. Jamvero omnis propositio, in qua prædicatum ad ipsam subjecti essentiam pertinet, est per se nota secundum se. Ergo. — Verum hæc propositio non est per se nota quoad nos; nam ut talis propositio habeatur, oportet ut immediate cognoscamus subjecti essentiam, et in ea prædicatum deprehendamus. Jamvero in hoc mundo non videmus immediate Deum seu divinam essentiam, ac proinde non videmus in ea existentiæ notam Deo convenire; sed solummodo Dei existentiam et aliquatenus ejus essentiam cognoscimus concludendo ex rebus mundanis. Ergo. — Præterea argumenta in quavis ætate a philosophis et theologis ad existentiam Dei demonstrandam proposita, clare etiam ostendunt, eam non esse veritatem per se notam quoad nos. Si enim res fuisset per se evidens, non laborassent doctores ad eam demonstrandam.

Q. II. *An tamen existentia Dei ex solo ideali Dei conceptu deduci non potest?*

Plures, inter quos S. Anselmus, opinantur sequenti ratiocinio hanc veritatem inde demonstrari posse. Dei nomine, aiunt, significatur id, quo majus excogitari non potest. Atqui ens, quo majus excogitari non potest, realiter existit; quia secus aliquid ipso majus excogitari posset. Ergo ex conceptu Dei, sub notione entis, quo majus excogitari non potest, recte et apodictice infertur ejus realis existentia. — Atvero dicendum videtur hoc ratiocinium infirmum esse, et ex solo ideali Dei conceptu existentiam Dei

demonstrari non posse. Admitti quidem potest *major* syllogismi, sed neganda est *minor* et *consequentia*. Etenim ex eo quod sub nomine Dei cogitamus supremum ens, seu ens quo majus excogitari non potest, deducunt Deum realiter existere, dum inde deduci tantum potest Deum, si existat, necessario seu per se existere. Et re quidem vera, ubi quærimus *an Deus sit*, idea nostra de Deo non exprimit Deum realiter existentem, nam secus supponeremus Deum existere, ac proinde de ejus existentia amplius inquirendum non esset; sed unice exprimit, quid Deus sit, si existat, seu unice declarat essentiam Dei ab ejus existentia reali, de qua inquiritur, abstractam. Jamvere in hujusmodi ideæ analysi certe nota realis existentiæ inveniri non potest. Ergo. — Vitium argumentationis S. Anselmi consistit igitur in arbitrario transitu ab ordine *logico*, sive *ideali*, ad ordinem *ontologicum*, sive *realem*. In hac idea entis, quo majus excogitari non potest, deprehenditur quidem, quod istud ens, si existat, debeat necessario et per se existere, quia secus non esset supremum ens; et ideo ex prædicto ratiocinio jure merito concluditur Deum, si existat, necessario existere; verum, uti vidimus, falso inde concluditur Deum existere realiter.

Q. III. *An Atheismus est possibilis?*

Duplex atheismus est distinguendus : alius negativus, qui est *carentia notionis existentiæ Dei;* alius positivus, qui est *positiva negatio existentiæ Dei*. Qua distinctione attenta respondemus :

a) Fieri nequit, ut dentur athei negativi, seu homines adulti et sana mente fruentes, qui Deum per tempus sat longum prorsus ignorent. Etenim ab una parte res mundanæ, quæ tum ex sua contingentia, tum ex mirabili suo ordine aptissimæ sunt ad nos in cognitionem primæ causæ seu Dei ducendos, quotidie ante oculos hominis versantur. Et ab altera parte intellectus noster naturaliter essentias et causas rerum sibi obversantium quærit, haud secus ac oculus noster naturaliter res præsentes aspicit. Ergo notio existentiæ Dei sub vago saltem conceptu causæ

primæ, homini ratione utenti, deesse non potest. Id etiam clare innuitur a S. Paulo, ubi *ad Rom.* I, 19, 20 de gentilibus in universum affirmat, Deum ab ipsis ex mundi contemplatione fuisse notum, et ipsos ideo esse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, eum tamen glorificare noluerunt; et ab auctore libri *Sapientiæ*, qui *cap.* XIII, 1, stultum dicit omnem hominem, qui ex rebus mundanis Deum non cognoscit.

b) Possunt dari et dantur positivi athei practici, qui nimirum Deum existere ratione cognoscentes sic tamen vitam moralem ducunt ac si Deus non esset; sed videtur dicendum positivos atheos, qui revera de doctrina sua persuasi sint, dari non posse. — Dicitur : *qui revera persuasi sint*, ne negetur fieri posse, ut aliquod dubium saltem ad breve tempus suboriatur. — Res autem ita demonstratur : facillime et clarissime ab omnibus hominibus intelligitur Deum existere, et idcirco, ubi quæstio ponitur : *an Deus existit,* statim omnes intelligunt eum revera existere. Jamvero intellectus non magis potest simul intelligere aliquid esse et non esse, ac oculus non potest simul aliquid videre et non videre. Ergo. — Sane voluntas pravis seducta passionibus intellectum a veritate consideranda potest avertere, atque ita etiam dubitationem aliquam per breve tempus forsan injicere; verum ubi intellectus ad rem attendit, quod necessario facit quotiescumque aliquid de ea affirmat vel negat, non potest efficere ut veritatem, quæ menti suæ obversatur, non videat et neget. Intellectus enim a voluntate est dependens quoad applicationem ad actum, sed ubi est applicatus, independenter a voluntatis influxu seu necessario agit. — Hinc Seneca in Lib. 1. *de Ira* ait : « Mentiuntur qui dicunt se non sentire esse Deum, nam etsi tibi » affirment interdiu, noctu tamen et soli dubitant. » Et ipse Bayle, vir certe in hac re minime suspectus, hæc habet in suo Dictionnario : « Probabile admodum est eos, qui in cœtibus » hominum communiores religionis veritates impugnare affec- » tant, plus quam revera sentiunt, dicere. Vanitas magis quam » conscientia in eorum disputationibus locum habet. »

§ III.

De cultu jure naturæ Deo exhibendo.

Q. I. An homo, Deo cognito, tenetur ex rationis dictamine Deo cultum exhibere, et quam necessario ad id tenetur?

R. *Tenetur homo, ratione id dictante, Deum, ubi eum cognovit, colere; atque ita necessario ut nec Deus ipse eum hoc officio absolvere possit.*

—

I. Explicatio. Ubi dicimus hominem debere Deum colere, per *cultum* intelligimus testimonium excellentiæ alterius et submissionis propriæ, ita ut ad plenam ejus rationem hæc tria requirantur : 1° actus intellectus excellentiam alienam apprehendentis; 2° actus voluntatis hoc judicium intellectus acceptantis seque ei submittentis; et 3° actus protestativus excellentiæ alienæ et submissionis propriæ erga eam. Hæc autem submissio infert voluntatem ea omnia officia implendi, quæ ex ista excellentia alterius fluunt. — Inde cultus, quem dicimus ab homine Deo deberi, consistit in libera voluntatis approbatione divinæ excellentiæ ab intellectu apprehensæ, et in libera ejus submissione ad ea omnia implenda officia, quæ ex ista excellentia fluunt.

Notetur non deesse errores circa essentiam cultus Deo debiti : nonnulli enim, *Intellectualistæ* dicti, tenent totum cultum *per actum intellectus seu per cognitionem absolvi.* Ita Schelling docet religionem seu Dei cultum nihil aliud esse ac intuitionem infiniti in finito seu scientiam de Deo rebusque divinis; et multi pantheistæ idem defendunt. Verum nemo non videt, hanc sententiam esse absurdam, siquidem aperte cum communi sensu pugnat. Etenim ubi quæritur an homo, cognita Dei existentia, debeat eum colere, non intelligitur sane per cultum ipsa cognitio, sed actus voluntatis huic cognitioni

innixus. — Alii autem contendunt totum divinum cultum consistere in *sensione* quadam aut in *cœco quodam affectu*, qui non mentis dictamine sed instinctiva inclinatione naturæ nostræ nititur. Hanc sententiam tuetur inter alios multos pantheistas et incredulos Ernestus Renan, qui eo immanis audaciæ venit, ut asserere ausus sit D. N. Jesum-Christum, Deum benedictum in sæcula, nihil aliud docuisse in mundo, quam merum sensismum omni dogmatica doctrina destitutum (1). Verum quam falsa sit hæc sensismi opinio in oculos incurrit, cum aperte naturæ nostræ contradicat. Talis est enim conditio voluntatis nostræ, ut de se sit potentia cœca et nihil appetere possit, nisi prælucente intellectus dictamine; ergo absurde contenditur cultum, quem Deo debemus, consistere in affectu quodam, qui ab omni determinata doctrina est independens. Ablato enim omni dogmate, nullus affectus amplius est possibilis, quia nihil potest appeti, nisi sit præcognitum.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas philosophica* et *fidei dogma*. Etenim constat e Vaticano Concilio

(1) Sequentia enim scripsit in suo opere : *Vie de Jésus*, chap, 28 : « Jésus a fondé la religion absolue, n'excluant rien, ne déterminant rien, » si ce n'est le sentiment. Ses symboles ne sont pas des dogmes arrêtés, » mais des images susceptibles d'interprétations indéfinies. *On chercherait* » *vainement une proposition théologique dans l'Evangile.* Toutes les profes- » sions de foi sont des travestissements de l'idée de Jésus, à peu près » comme la scolastique du moyen-âge, en proclamant Aristote le maître uni- » que de la science achevée, faussait la pensée d'Aristote. Aristote, s'il eût » assisté aux débats de l'école, eût répudié cette doctrine étroite; il eût été » du parti de la science progressive contre la routine, qui se couvrait de son » autorité; il eût applaudi à ses contradicteurs. De même, si Jésus revenait » parmi nous, il reconnaîtrait pour disciples non ceux qui le renferment » tout entier dans quelques phrases de catéchisme, mais ceux qui tra- » vaillent à le continuer.... Quelles que puissent être les transformations » du dogme, Jésus restera en religion *le créateur du sentiment pur;* le » sermon sur la montagne ne sera pas dépassé..... *En ce sens nous sommes* » *chrétiens, même quand nous nous séparons sur presque tous les points de* » *la tradition chrétienne qui nous a précédés.* »

hominem e naturalibus suis facultatibus Deum cognoscere ut omnium *principium* et *finem*, finem scilicet ad quem per actus cultus ex absoluta necessitate tendere debet; et perspicue etiam id continetur in fidei fontibus.

III. Demonstratio. 1° *e ratione philosophica. a)* Per se liquet voluntatem, quæ est potentia libera, id debere approbare et amplecti, quod intellectus ut verum proponit, nam secus ipsa esset facultas sine duce, et connexio facultatum animæ destrueretur. Jamvero intellectus clare nobis proponit supremam Dei excellentiam, qua est causa prima seu creator omnium et ideo supremus Dominus, cui omnia etiam liberæ voluntates sunt submissa; qua ut creator est supremus benefactor noster; qua ut creator est etiam tota spes nostra pro futuro; qua ut supremus Dominus jus habet ut de peccatis contra legem ejus admissis pœnitentiam agamus. Ergo voluntas debet hanc excellentiam Dei approbare, et ipsi utpote infinite nobis superiori plene se submittere, seu debet Deum adorare ut creatorem omnium ejusque leges acceptare ut supremi Domini, debet gratias referre pro beneficiis acceptis, spem suam in Deo ponere bonaque nova ab ipso postulare, et si in peccatis sit pœnitentiam agere : quod est colere Deum.

Nec minus aperte patet divinum cultum ita esse necessarium, ut nec ipse Deus possit hominem hoc officio absolvere. Etenim cultus ille nihil aliud est ac practica agnitio excellentiæ divinæ et conditionis nostræ respectu ad Deum. Sed Deus, qui est summa sapientia, veritas et sanctitas, permittere sane non potest ut voluntarie rejiciatur veritas et falsitas admittatur. Ergo. — Nec dicatur veritatem non rejici et falsitatem non admitti, ubi cultus Dei mere negligitur; ac proinde ex prædicto ratiocinio concludi non posse, quod ipse Deus in officio ipsum colendi dispensare nequit. Etenim non potest negligi *practica* agnitio divinæ excellentiæ, quin eo ipso hæc excellentia practice negetur; nam qui in actionibus suis Deum ut supremum

dominum non vult agnoscere, vel se ipsum vel alium quemdam ut supremum dominum necessario practice agnoscet, et ita Deum rejiciet.

b) Huic demonstrationi accedit et consensus Gentilium. Ita Plato *Ep.* VIII dicit : « Deus quidem hominibus sapientibus » lex est; insipientibus autem voluptas est lex; » dein in *Socratis Apologia* de ipso narrat, « quod maluit Deo parere » quam hominibus; » et *De Leg.* L. IV. hæc habet : « Deus » rerum omnium nobis sit mensura maxime, et multo magis, » quam quilibet homo. Qui igitur Deo, qui talis est quem modo » diximus, gratus vult esse, debet omnino quantum fieri potest » ut ipse talis maxime evadat elaborare, ac proinde totum se ad » illius similitudinem conformare. Ex hac ratione, ex hominibus » ille qui sapiens est atque temperans, Deo est amicus, ei enim » est similis : contra, qui nec sapiens est nec temperans, Deo » dissimilis est et diversus et injustus; et sic de cæteris eadem » plane ratione est constituendum. Atque cum his consentaneam » esse illam rationem intelligimus, omnium rationum, mea » quidem sententia, et pulcherrimam et verissimam : bonum » virum decere sacrificare Deo et cum Deo versari : nimirum ut » eum precationibus et donariis et omni cultu obsequioque pro- » sequatur; et in ea re pulcherrimam, optimam efficacissimam- » que viam sterni ad felicitatem, et id quoque ad viri boni » officium etiam atque etiam pertinere... Piorum labor (ad Deum » colendum) omnium opportunissimus est. Hic nimirum est » universæ nostræ vitæ princeps primariusque finis, hæc meta » ad quam debemus collimare. » Pariter apud Ciceronem *De nat. Deorum* L. 1. c. 41, ipsi Epicureæ scholæ discipuli dicunt : « Est eorum (Deorum) eximia quædam præstansque natura, ut » ea debeat ipsa per se ad colendam se elicere sapientes. »

Præterea apud omnes populos sive ab antiquo sive recentius cognitos aliquis invenitur Dei cultus, ita ut absentia vel negatio omnis divini cultus nonnisi in paucis reperiatur hominibus; imo

illi, qui videntur omnem cultum rejecisse aut rejicere, sæpe indirecte, usurpando nempe ritus superstitiosos, necessitatem divini cultus fassi sunt. Jamvero commune istud factum, haud secus ac consensus in Dei existentiam cui omnino est simile, unice explicari potest ex evidenti rei necessitate. Ergo.

2° *e S. Scriptura.* Rationem nobis evidenter declarare, quod omnino tenemur Deum colere eique servire, expresse docet S. Paulus *ad Rom.* I. 20, 21, dicens : « *Invisibilia enim ipsius a* » *creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciun-* » *tur,... ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent* » *Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt.* » Cum enim dicat Paulus gentiles esse inexcusabiles, quia, cum Deum cognovissent, eum non glorificaverunt neque gratias ei egerunt, necessario supponit eos, ratione dictante, certo cognovisse quod homini officium Deum colendi absolute incumbat. — Dein idem adhuc manifestius inculcat in c. II ejusdem Epistolæ, in quo demonstrat quod gentiles, quamvis legem scriptam non habuissent sicut Judæi, tamen sine lege circa divinum cultum non fuerant, sed hujusmodi legem in suis cordibus, h. e. in sua ratione, invenerant.

3° *e Traditione.* Innumera hac de re sunt Patrum testimonia; citabimus tantum textum S. Hier. *ad Algas.* Ep. 121 : « Naturalis lex est illa, qua gentes legem litteræ non habentes » naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, quia rationalis animæ » natura, ut creatorem sentiat, ut proximum suum non lædat, » ut non faciat quod pati non vult, rationali quadam lege intel- » ligit; unde inexcusabilis est omnis homo, qui vel auctorem » suum negat, vel malum facit, quod per legem naturæ non » ignorat esse malum. »

4° *e ratione theologica.* Si ratio naturalis non dictaret, quod homo absolute tenetur Deum colere eique sese submittere, eo ipso caderet obligatio revelationem fide amplectendi, et ita totus supernaturalis Dei cultus rueret. Etenim si homo ex natura sua

nullum officium erga Deum implendum habeat, quomodo possit teneri ad revelationem divinam fide amplectendam eamque sequendam?

IV. Objectiones. 1° Nequit Deus quidquam intendere prorsus inutile : sed cultus a creaturis exhibendus est prorsus inutilis; tum quia Deus in seipso perfectissimus et felicissimus hoc cultu non indiget; tum quia sinit Deus undique grassari impietatem, quod sane voluntati divinæ cultum vere exigenti omnino repugnat.

R. ad 1^{um}. Negandum est fundamentum quo argumentatio ista nititur. Etenim utilitas et necessitas alicujus actus non ex sola indigentia illius, pro quo fit, sed etiam ex servando justitiæ ordine desumuntur. Ita quamvis dives non egeat restitutione decem francorum, et rex non egeat nostra ob acceptum beneficium gratitudine, restitutio tamen et gratitudo non sunt ideo actus inutiles aut non necessarii; nam quamvis ab indigentia divitis aut regis non exigantur, a justitia tamen absolute imponuntur. Jamvero, quod ad Dei cultum attinet, certe Deus eo non eget ad suam perfectionem et felicitatem acquirendam, sed justitiæ ordo eum reclamat; et ideo non est inutilis, sed contra omnino necessarius. Cum enim Deus sit Creator et Dominus noster, et nos simus creaturæ ejus, debemus ex justitia operari secundum quod ipse Deus est, et secundum quod nos creaturæ ejus sumus. « Deo, inquit S. Thomas, 2^a 2^{æ} Q. 81. A. 7, reverentiam et honorem exhibemus, non propter seipsum, quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjicitur; et in hoc ejus perfectio consistit. »

R. ad 2^{um}. Impietatis per orbem extensio non præjudicat voluntati divinæ cultum hominum absolute exigenti, cum Deus hanc impietatem non in perpetuum sed ad breve hujus vitæ tempus tantummodo toleret, et hoc elapso tempore justam voluntatis suæ transgressoribus infligat pænam.

Obj. 2° Solus cultus Deo dignus est cultus infinitus, cum Deus sit perfectio infinita. Jamvero homo Deum infinite colere non potest. Ergo non potest eum digne colere, et proinde cultum ei præstare non tenetur.

R. Distinguo *majorem* : solus cultus Deo dignus est cultus infinitus, scilicet *objective* infinitus, seu quo agnoscitur Deum habere excellentiam infinitam, *concedo;* est cultus infinitus, scilicet *subjective* infinitus, seu actus perfectionis infinitæ, *nego;* nam unusquisque, uti ratio dictat, tantum debet secundum naturæ suæ perfectionem excellentiam Dei agnoscere.

Distinguo pariter *minorem* : homo non potest colere Deum cultu objective infinito, *nego;* cultu subjective infinito, *concedo.* — Et nego proinde *consequentiam* qua asseritur hominem non posse Deum digne colere, ac proinde ad Deum colendum non teneri; nam ad digne Deum colendum hoc solum requiritur, ut nempe homo secundum suas vires infinitam Dei excellentiam agnoscat; jamvero hoc facere potest; ergo.

Q. 2. An homo ex rationis dictamine tenetur Deum non solum interno sed etiam externo cultu honorare?

R. *Homo ex rationis dictamine vere tenetur Deum etiam externo cultu honorare.*

—

I. Explicatio. Per cultum externum intelligitur honor Deo exhibitus per sensibiles corporis actus; cujusmodi sunt *adoratio corporalis, sacrificium, oblationes, jusjurandum* et alia similia.

II. Gradus certitudinis. Est *veritas philosophica;* et si non sit *fidei dogma,* saltem est *veritas theologica,* cum clarissime e fidei fontibus deducatur.

III. Errores. Manichæi cultum externum inficiati sunt, quia corpora dicebant a principio malo oriri. Thomasius (sæc. XVII) in libro I. *Jurisprudentiæ divinæ* c. II, concedit quidem cultum externum esse bonum, sed sustinet eum per rationis

dictamen non præscribi. Et Thomasio consentiunt plures philosophi increduli moderni, præsertim Ahrens, antea in Bruxellensi universitate professor, in suo *Cours de Droit naturel*. P. III. C. I. Idealistæ philosophi Germaniæ necessario omnem cultum externum respuunt.

IV. Demonstratio. 1° *e ratione philosophica. a)* Cultus externus est inprimis necessarius, ex eo quod sine ipso cultus internus consistere nequit. Experientia enim notum est actum internum diu consistere non posse, nisi cum actu externo conjungatur; nam deficiente externa expressione, paulatim interna flamma decrescit, donec penitus extinguatur, dum contra ea præsente vivificatur ac roboratur, et eo fit vividior, quo vehementior est actus externus. Et hoc factum optime cum humana natura consonat. Ipsa enim nec mere corporalis est, nec mere spiritualis, sed animam et corpus inter se substantialiter conjuncta complectitur; atque inde anima agit in corpus, et corpus in animam. Jamvero, quia omnis operatio necessario sequitur naturam sui principii, ex illa animæ et corporis unione fluit operationes eorum naturaliter esse conjunctas atque ab invicem esse dependentes.

b) Necessitas externi cultus demonstratur etiam ex ipso fine creationis. Etenim quemadmodum omnia, quæ in mundo sunt, fuerunt a Deo creata, ut singula, eo quo possunt modo, externam Dei gloriam promoverent, ita et tota humana natura ad hunc finem est condita. Jamvero homo duplici fruitur facultate Deum laudandi, suamque reverentiam ei exhibendi; nam non tantum interne Deum colere sed etiam externe ejus laudes celebrare potest. Ergo utroque modo tenetur homo Deum colere : secus enim Deus homini tribuisset aliquam facultatem eum laudandi, quin simul vellet ut homo ea uteretur; quod sane absurdum est et plane fini creationis repugnat.

c) Necessarius quoque est cultus externus ut cultus socialis, cujus necessitatem mox demonstrabimus, possit existere; nam

homines nonnisi sensibilibus signis consociari possunt, et idcirco ad cultum sodalem requiruntur necessario actus externi seu cultus externus.

d) Huc accedit quod cultus externus ubique et omni tempore invaluit. Constat enim ejus usum tam universalem et constantem fuisse, ut nequidem ulla efferata et barbara gens reperta fuerit, quæ sensibilibus etiam signis obsequium suum erga Deum non exprimeret. Jamvero hic consensus certe non nisi ex evidenti rei necessitate explicari potest, haud secus ac consensus de existentia Dei et de necessitate Deum colendi. Ergo.

2° *e S. Scriptura.* Etiamsi in S. Scriptura non expresse assereretur quod homo e jure naturæ tenetur Deum externe colere, hæc obligatio tamen sufficienter colligeretur ex completa illa cultus externi œconomia, quam libri sacri a Deo tum in veteri tum in novo testamento institutam referunt. Nisi enim cultus externus a natura nostra omnino exigeretur, non intelligeretur quomodo Deus, qui necessario magis attendit ad cordis affectum quam ad opera externa, tanta cum cura hunc cultum ordinasset atque eum sub peccato imposuisset.

— Verum et expresse in Scriptura necessitas cultus externi exprimitur; nam in psalmis et in libris moralibus V. T. plures occurrunt adhortationes, quibus omnes gentes incitantur, ut Deum tum interne tum externe colant; jamvero istæ adhortationes nihil aliud certo sunt ac juris naturalis declaratio.

3° *e Traditione.* S. Augustinus contra Faustum Manichæum L. 19, c. 11 hæc dicit : « Sacramentorum (h. e. signorum » sacrorum) vis inenarrabiliter plurimum valet, et ideo eorum » contemptus sacrilegos facit. » Et in libro *de Cura pro mortuis gerenda* c. IV hæc habet : « Orantes de membris » corporis sui faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua » figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, » et si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis » voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his

» indiciis, ut humanus ei pandatur animus; sed his magis sei-
» psum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius
» et vehementius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis
» fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque
» rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui
» eos facit, augeatur : ac per hoc cordis affectus qui ut fierent
» illa præcessit, quia facta sunt, crescat. »

V. Objectiones. 1° Actus exteriores, quibus cultus externus continetur Dei majestate sunt indigni, cum exprimere videantur Deum interiorem nostrum animum non introspicere et externa communicatione sicut homines egere.

R. Externi illi actus essent Deo vere indigni, si cum hoc fine, qui eis in objectione adscribitur, ponerentur; atvero talem finem non obtinent. Ideo autem usurpantur, quia, ipsis neglectis, nequidem possemus Deo sufficientem exhibere cultum internum, nec coleremus Deum eo cultu, qui nostræ naturæ est proprius, nec cultus socialis posset consistere; uti docet S. Thomas III, *Contra Gentiles*. c. 119 : « Exercentur etiam ab hominibus
» quædam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed
» quibus seipsos provocent in divina; sicut prostrationes, genu-
» flexiones, vocales clamores et cantus : quæ non fiunt quasi Deus
» iis indigeat, qui omnia novit et cujus voluntas est immutabilis,
» et affectum mentis et etiam motum corporis propter se non ac-
» ceptat; sed ea propter nos facimus, ut per hæc sensibilia opera
» intentio nostra dirigatur in Deum et affectio accendatur. Si-
» mul etiam per hoc Deum profitemur animæ et corporis nostri
» auctorem, cui spiritualia et corporalia obsequia exhibemus. » Et idem principium solemniter est propositum a Tridentina synodo (Sess. XXII, c. V.) per sequentia verba : « Cum natura hominum
» ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad
» rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater
» Ecclesia ritus quosdam instituit. »

Obj. 2° Cultus externus est occasio superstitionis. Igitur est malus et proinde a jure naturæ non est præceptus.

R. Dinstinguo *antecedens* : cultus externus est occasio per se et ex natura sua, superstitionis, *nego;* per accidens et ex malitia hominum, *concedo*. Sed quod est tantum per accidens et ex hominum malitia mali occasio, non ideo est malum; nam secus nihil honesti remaneret in mundo, cum humana malitia omni re abuti quærat. Ergo. — Quod autem cultus externus non est per se mali occasio clare apparet, cum ipse procedat a cultu interno, et essentialiter ad cultum internum ordinetur.

Obj. 3° Ea quæ ad cultum externum pertinent non sunt de dictamine rationis naturalis; ergo neque ipse cultus externus est de dictamine rationis naturalis, seu de jure naturæ.

R. Distinguo *antecedens* : ea quæ ad cultum externum pertinent, non sunt de dictamine rationis nostræ quoad determinationem suam specificam, *concedo;* quoad determinationem genericam *nego*. Jamvero ut cultus externus possit dici de dictamine rationis, non oportet ut ratio ipsum præscribat seu determinet in specie, seu ut singulos ejus actus præscribat; sed satis est, ut præscribat eum in genere seu ut præscribat aliquos actus externos assumi debere in divinum cultum. Ergo. — Quod ratio humana præscribit ut actus aliqui externi ad Deum colendum usurpentur, supra demonstravimus; in specie autem non dictat ratio quales actus assumendi sint, sed hoc relinquit positivæ Dei vel hominum institutioni.

Obj. 4° Doctrina catholica clare proponit verum Dei cultum consistere in solis actibus internis. Ita Christus apud *S. Joannem* IV, 24, dicit : « *eos, qui adorant eum (Deum), in spiritu et veritate oportet adorare;* » S. Augustinus pariter dicit : *Ep.* 140 : « *Deus non colitur nisi amando;* » et Minutius Felix in Octavio : « *apud nos religiosior est, qui est justior.* » Non ergo colendus est Deus signis externis et corporeis.

R. Objectio valeret, si in propositis textibus excluderetur et respueretur cultus externus; atvero id nullatenus fit. Etenim unice in eis docetur verum Dei cultum haberi non posse sine

affectu interno, seu fundamentum omnis veri cultus esse actum internum; atque id proponitur contra Judæos aut contra gentiles, quibus tota divini cultus ratio in ritibus externis erat.

Q. III. An homo ex dictamine rationis tenetur etiam publico seu sociali cultu Deum honorare?

R. *Homo ex rationis dictamine vere tenetur Deum etiam publico seu sociali cultu honorare.*

—

I. Explicatio. Per cultum *socialem* seu *publicum* ille intelligitur cultus, qui a societate hominum precibus et cæremoniis a superiore vel consuetudine definitis peragitur. Ille cultus opponitur cultui privato, quem quis, ab aliis sejunctus, Deo offert.

II. Gradus certitudinis. Est *veritas philosophica*, et si non sit fidei dogma, saltem est *veritas theologica*, utpote clarissime e fidei fontibus deducta.

III. Errores. Illi omnes qui cultum externum rejiciunt, negant necessario etiam cultus publici necessitatem; sed præterea fere omnes rationalistæ et increduli moderni, principio libertatis cultuum et conscientiæ nixi, etiam eum omnino respuunt.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica. a)* Hujus cultus necessitas desumitur ex eo quod sine ipso cultus internus et externus subsistere non possent. Etenim homo ex naturali sua conditione, quemadmodum experientia constat, societatis auxilio eget, ut debitam perfectionem tum in corpore tum in anima obtineat, et inde ex naturæ impulsu societatem init. Atvero si pro quavis re obtinenda aut perficienda societatis juvamine eget, a fortiori illo eget pro cultu divino, qui ob innumeras tentationes pravis passionibus excitatas rerumque obscuritatem et sublimitatem, cætera vitæ humanæ opera difficultate longe superat. Ergo liquet cultum internum et externum apud homines consistere non posse, si juvamen sociale seu cultum socialem non habeant. — Hæc sequentibus verbis proponit

S. Thomas I. *De regimine Principum,* XIV : « Ad hoc, inquit, » homines congregantur in unum, ut simul bene vivant : quod » *consequi non posset unusquisque singulariter vivens. Bona* » *autem vita est secundum virtutem.* Virtuosa igitur vita est » congregationis humanæ finis. »

b) Accedit unanimis consensus hominum ; nam quemadmodum ubique et semper exstitit cultus entis supremi, ita etiam ubique et semper ille delatus est non privato tantum modo sed et publico seu sociali. Id enim testantur sacerdotia, aræ, templa, et alia similia publici cultus elementa, quæ ubique inveniuntur. Jamvero universalis ille et constans in publicum cultum consensus, haud secus ac consensus de Dei existentia, non alia ratione explicari potest, ac manifesta rei evidentia. Ergo.

2° *e S. Scriptura.* Certo constat necessarium esse cultum socialem, ex sociali œconomia pro divino cultu tum in veteri tum in novo testamento a Deo instituta ; nam hujus institutionis ratio alia proferri non potest, nisi quod ipsa naturæ nostræ conditio socialem cultum exigit. Quod enim aliud motivum potuisset Deus intendere? — Præterea plures in veteris testamenti libris habentur textus qui gentes ad socialem Dei cultum, reges nempe et principes cum populis, superiores cum inferioribus adhortantur ; et sane in eis nihil aliud gentibus proponi potest, ac naturalis lex.

V. Objectio. Si cultus socialis est necessarius, anachoretæ sunt damnandi, cum a societate separati vivant, et ita publicum cultum exhibere Deo non possint.

R. Anachoretæ non vivunt a societate religiosa separati, uti in objectione contenditur. Separati quidem sunt ab aliis quoad locum, sed vera manent membra Ecclesiæ ; servant nempe fidem, quam Ecclesia prædicat, agnoscunt legitimos ejus superiores, ejusque leges amplectuntur. Ergo non ut privati tantum sed etiam ut Ecclesiæ membra Deum colunt, et ita socialem Deo exhibent cultum.

§ IV.

De Indifferentismo

Q. Utrum ratio approbat indifferentismi doctrinam, qua cuivis licet religionem quam libuerit amplecti; an præscribit autem veram religionem eamque solam esse profitendam?

R. *Ratio indifferentismum damnat, et præscribit veram religionem eamque solam esse profitendam.*

—

I. Explicatio. Indifferentismus quandoque significat illam doctrinam, quæ tenet religionem seu Dei cultum esse rem prorsus indifferentem et nequaquam necessariam; sed ordinarie et proprie intelligitur de moderna hac doctrina, quæ sequenti formula enuntiari potest : *Licet homini pro arbitrio indifferenter quamcumque religionem profiteri.* Hic autem de indifferentismo in posteriori sensu intellecto agimus.

Notetur indifferentismum, posteriori et proprio modo intellectum, haud differre a tolerantismo religioso seu dogmatico, qui docet omnes religiones, quamvis maxime inter se oppositas, æque esse bonas et laudabiles; verum omnino distingui a tolerantismo civili seu politico, qui nihil aliud est, ac legum dispositio, qua variorum cultuum liberum permittitur exercitium. De hoc tolerantismo civili sermo fiet in *Tract. de Ecclesia.*

II. Errores. Nostra ætate pantheistæ, deistæ et rationalistæ fere omnes indifferentismum admittunt, eumque habent uti unum e pretiosioribus hodiernæ scientiæ seu *civilisationis* fructibus et summum pro humana societate progressum : imo quotidie clamant præcipuum crimen, de quo Ecclesia catholica accusari et puniri debet, ejus intolerantiam dogmaticam esse, qua, aiunt, fraternum amorem et charitatem inter homines destruit, et ita societatem subvertit.

III. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas philosophica* et *fidei dogma*. Axioma enim est apud catholicos extra unam veram religionem, quæ est religio Romano-Catholica, non dari salutem; et in Syllabo Pii IX sequentes Indifferentistarum propositiones sunt damnatæ : Prop. XV : « Liberum cuique » homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam » rationis lumine ductus veram putaverit; » Prop. XVI : « Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis » reperire æternamque salutem assequi possunt; » et Prop. XVII : « Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, » qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. »

IV. Demonstratio. 1° *e ratione philosophica*. Falsitas doctrinæ indifferentismi clare patet, si ad ea attendamus, quæ ad legitimum cultum requiruntur. Cultus, uti supra diximus, consistit in agnitione excellentiæ alterius personæ et in submissione erga ipsam; ac proinde ut cultus, quem alicui personæ præstamus, sit legitimus, oportet, ut in persona, quam colimus, plane illam agnoscamus excellentiam, quæ ipsi inest, et non aliam; atque ei plane illam præstemus submissionem, quæ ejus excellentiæ convenit, et non aliam. Jamvero variæ religiones seu varii cultus in mundo existentes ex eo inter se differunt, quod aliam atque aliam excellentiam Deo tribuant, aliam atque aliam submissionem ei præstent, dum Deus tamen non varias excellentias inter se oppositas sed unam tantum excellentiam possidet, neque variæ submissiones inter se oppositæ ei conveniunt, sed una tantum. Ergo liquet non omnes cultus esse æque bonos et legitimos, sed illum solum bonum et legitimum esse ac proinde ab homine amplectendum, qui exacte hanc excellentiam in Deo agnoscit, quæ ipsi revera inest, atque exacte hanc submissionem ei præstat quæ ejus excellentiæ correspondet.

In oculos incurrit quam absurdum sit hoc indifferentismi systema, ubi ipsum cultui quem filii parentibus suis, famuli suo

hero, subditi suo regi præstare debent, applicamus. Quis enim sanæ mentis contendet filiis, famulis et subditis liberum esse eo quo volunt modo parentes suos, herum vel principem suum colere eisque servire? Sed si indifferentismus legitimus non est in cultu parentum, dominorum et principum hujus mundi, cur legitimus est in cultu Dei? ubinam est ratio differentiæ?

2° *e S. Scriptura.* Quod ratio indifferentismum in cultu divino non approbat, sed contra rejicit, clare docet S. Paulus *ad Rom.* I, 21, 23 ubi dicit gentiles esse inexcusabiles quia, « *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* » *aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus* » *suis,... et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in simi-* » *litudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et* » *quadrupedum et serpentium.* » Hisce enim in verbis accusantur gentiles, quod, postquam Deum cognovissent, non glorificassent eum sicut Deum, seu non agnovissent in ipso illam excellentiam, quam ratione deprehenderant, nec correspondentem huic excellentiæ submissionem præstitissent. Ergo manifeste supponit S. Paulus, rationem, qua sola gentiles circa divinum cultum illuminatos censet, nobis dictare non omnes cultus æque bonos esse, sed unicum tantum verum haberi cultum et hunc solum esse amplectendum.

3° *e Traditione.* Satis erit hæc verba citare, quibus S. Augustinus librum suum *de Vera Religione* incipit : « Cum omnis, » ait, vitæ bonæ ac beatæ via in vera religione sit constituta, qua » unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur prin- » cipium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur, et » perficitur et continetur : hinc evidentius error deprehenditur » eorum populorum, qui multos deos colere, quam unum verum » Deum et Dominum omnium maluerunt, quod eorum sapientes, » quos philosophos vocant, scholas habebant dissentientes et » templa communia. »

V. Objectiones. 1° Omnis theoria, quæ cum præcepto chari-

tatis in proximum aut cum bonitate Dei pugnat, est rejicienda. Jamvero *intolerantia religiosa seu dogmatica,* cum eos omnes, qui veram religionem seu Dei cultum non sequuntur, damnet, vere charitatem offendit et cum Dei bonitate pugnat. Ergo.

R. Falso asseritur intolerantiam dogmaticam, cum omnes, qui verum Dei cultum non sequuntur, damnet, vere charitatem in proximum lædere et cum Dei bonitate pugnare; ac proinde ruit objectio. Et re quidem vera, quomodo intolerantia dogmatica eos, qui falsum sequuntur cultum, damnat? Inprimis eos damnat de errore; qua in re certe charitas et bonitas non læduntur, quia ipsa sane non postulant ut doctrinam veram occultemus aut etiam falsam ut veram habeamus. Si igitur indifferentismus est falsus, nullatenus læditur charitas aut bonitas, ubi proponimus hujus systematis falsitatem. — Dein damnat quoque de reatu culpæ et pœnæ eos omnes, qui voluntarie seu cum sufficienti rei cognitione falsum sequuntur cultum, quod etiam nullatenus charitatem aut bonitatem offendit. Ipsa quidem offenderentur, si diceremus eos omnes, qui etiam sine rei cognitione falsum sequuntur cultum, reos esse et pœna dignos, quia culpa et pœna necessario supponunt actum cum sufficienti deliberatione positum; sed ubi, supposita intolerantiæ dogmaticæ veritate, dicimus eos omnes, qui voluntarie falsum cultum sequuntur, culpa et pœna esse reos, non magis charitatem et bonitatem offendimus, quam dum affirmamus eos, qui cum plena cognitione rem alienam invito domino auferunt seu qui furantur, peccare et pœnis esse dignos. Ergo.

Obj. 2° Intolerantia dogmatica dissolvit unionem inter familiæ membra, inter cives, et inter gentes; et idcirco rejicienda est tamquam pro vita sociali summe nociva et damnosa.

R. Falso asseritur per intolerantiam dogmaticam unionem socialem dissolvi; quod ita demonstramus. Unio socialis enim consistit in hisce duobus punctis : in unione voluntatum seu in charitate mutua, qua unus quærit bonum alterius, et in unione

intellectuum seu in una eademque doctrina ab omnibus admissa. Jamvero intolerantia dogmatica nullatenus destruit unionem voluntatum seu mutuam charitatem, cum nullo modo præscribat, ut odio habeamus homines falsum sequentes cultum, sed contra ut odio tantum habentes ipsorum errorem omni charitate in affectu et in opere ipsas personas prosequamur. Præterea non magis, uti liquet, hæc intolerantia dogmatica unitatem voluntatum destruit, ac intolerantia injustitiæ, adulterii, homicidii etc., cum unice sit intolerantia mali seu peccati; jamvero quis dicet mali intolerantiam charitatem destruere? Dein quod ad unionem intellectuum attinet, nec eam destruit intolerantia dogmatica, sed contra ad eam stabiliendam maxime confert, dum vero indifferentismus eam penitus evertit. Liquet enim per intolerantiæ doctrinam, quæ tenet lege naturæ præceptum esse, ut omnes unum verum Dei cultum sequantur, hominum intelligentias ad unitatem vocari, sed contra per indifferentismum, qui omnes cultus ut æque bonos habet, varietatem doctrinarum religiosarum directe foveri et ita unitatem intellectuum everti. — Non igitur intolerantia dogmatica sed potius indifferentismus tamquam causa haberi debet, qua societatis unio dissolvatur.

VI. Corollaria. I. Omnis homo, qui in pacifica possessione veritatis non conquiescit, tenetur de vera religione inquirere. Tenetur enim homo Deum colere, et quidem non eo modo, quo ipse vult, sed amplectendo et sequendo unum verum Dei cultum; ac proinde, si nondum in veri cultus cognitione conquiescat, hoc est, si adhuc ignoret omnino quis sit verus cultus, aut de legitimitate sui cultus rationabiliter dubitet, tenetur inquirere; nam qui tenetur ad finem, tenetur ad medium, quod in hoc casu est, veri cultus inquisitio.

II. Ubi de vera religione inquirit, non potest, ubi sermonem audit vel recogitat de religione revelata, omnem religionem revelatam ab examine suo a priori excludere, cum revelatio non sit res evidenter impossibilis. Etenim cum ipsa non sit evidenter

impossibilis, ante examen certo notum non est, an vera religio non sit a Deo revelata; et idcirco si quis velit sincere de vera religione inquirere, non potest ab examine suo religionem revelatam excludere. Qui enim eam a priori excluderet, sine ulla ratione rejiceret qualemcumque religionem revelatam, et ita ad tutam et certam conclusionem pervenire non posset.

III. Inter varias religiones, christiana religio singulari veritatis charactere ob admirabilem suam propagationem, eximiam suam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem præfulget; ac proinde qui de vera religione inquirit, debet christianam religionem, ubi eam novit, speciatim examinare. Nam eam sane doctrinam debet præcipue scrutari, quæ præ cæteris veritatis charactere insignita est.

CAPUT SECUNDUM

De physica revelationis possibilitate a parte Dei

PRÆNOTANDA

In hoc capite inquirere debemus, quemadmodum supra dictum est, an Deus revelationem facere possit, et quid possit revelare, utrum veritates naturales tantum, an vero etiam veritates, quæ intellectum nostrum superant, et mysteria vocantur. Quæ ut clarius exponi et intelligi valeant, pauca prænotabimus de revelationis et mysteriorum definitione et divisione.

I. Definitio revelationis divinæ. Revelatio, sic dicta *a remotione veli*, ubi rei doctrinali applicatur, etymologice significat *manifestationem veritatis alteri factam*; ac proinde revelatio divina de se significat *manifestationem veritatis creaturæ*

intellectuali a Deo factam. — Nunc autem distinguitur duplex hujusmodi divina manifestatio : una quæ fit per rationis nostræ lumen, quod nobis a Deo, naturæ auctore, est datum; et altera quæ fit non per lumen rationis nostræ sed per formalem seu veram Dei locutionem ad hominem. Prior manifestatio est *naturalis*, quippe quæ fiat per naturæ vires, per facultates nempe quæ essentialiter ad hominem pertinent; posterior autem est *supernaturalis*, quia non fit per aliquam naturalem facultatem aut secundum aliquam naturalem legem, sed per immediatam actionem Dei quæ est præter et supra naturæ ordinem, ac præterea a natura nostra, ut sit completa, non exigitur. — Utraque manifestatio vocari posset revelatio divina; attamen, usu sic volente, prior hoc nomen nonnisi improprie obtinet, sed posterior communiter id obtinet atque ut proprium habet. — Inde *revelatio divina stricte seu proprie dicta* est *manifestatio veritatis a Deo extraordinario seu supernaturali modo facta.*

Observetur quod religio supernaturalis, cum per revelationem cognoscatur, haud raro simplicitur *revelatio* vocatur, expressa nimirum causa pro effectu. Etiam ante oculos habeatur incredulos hodiernos, uti supra notavimus, haud raro pro sensu vocis *revelatio* a communi usu recedere, ac per illam nihil aliud ac naturalem cognitionem intelligere.

II. Divisio revelationis divinæ. Revelatio divina stricte dicta, de qua sola hic habetur sermo, dividitur : *A) a parte modi*, quo fit, in *immediatam* et *mediatam*. *Immediata* est revelatio, ubi Deus sive per se sive per ministerium angeli sine interventu alterius hominis alicui veritatem manifestat; *mediata* autem est, ubi per interventum alterius hominis id facit. Ita immediata fuit pro Apostolis revelatio Christi, quia ipsi eam acceperunt sine interventu alterius hominis; mediata autem est quoad nos, qui eam accipimus per vocem Ecclesiæ.

Dein revelatio immediata subdividi potest in *internam* et *externam*. *Interna* est illa, in qua solæ facultates internæ

partem habent; *externa* autem ea vocatur, in qua et sensus externi aliquid conferunt. In interna enim revelatione Deus *a)* aut excitat immediate in mente ideas, aut efficit in phantasia imagines, quarum sensum, si obscurus sit, per ideas infusas pandit, et *b)* personam, cui revelatio fit, certiorem reddit per infusum lumen de revelatione ipsi facta. In externa autem revelatione Deus *a)* veritates manifestat vel per verba vel per alia signa externa, quæ, si obscuriora sint, aliis verbis seu signis externis aut lumine interno explicat; et *b)* hominem de revelatione sibi facta certiorem reddit aut per prodigia externa aut per lumen internum. Exemplum revelationis per ideas in mente infusas habemus in Salomone et in Apostolis, qui acceperunt sapientiam et scientiam infusam; exemplum revelationis per imagines in phantasia depictas habemus in Apocalypsi; et tandem exemplum revelationis per verba externa habemus in doctrina Christi.

B) A parte subjecti cui destinatur revelatio, distinguitur in *publicam* et *privatam*, prouti nempe veritas revelata destinatur omnibus hominibus vel saltem magnæ societati (quemadmodum revelatio mosaica pro Judaica natione est facta), vel iis tantum quibus immediate manifestatur.

C) A parte objecti seu veritatis manifestatæ, distinguitur in revelationem *supernaturalem quoad modum tantum,* et *supernaturalem quod substantiam,* prouti veritas manifestata est naturalis, seu solis rationis viribus cognosci potest, vel est supernaturalis, seu intellectum nostrum superat. In priori casu revelatio vocatur *supernaturalis quoad modum tantum,* quia in ipsa nihil aliud vires naturæ superat ac modus, quo res innotescit; et in altero casu *supernaturalis quoad substantiam,* quia tunc ejus substantia seu veritas manifestata naturalem ordinem, h. e. intellectum nostrum superat.

III. Definitio mysterii. Mysterium *generice* sumptum est veritas, cujus cognitio nos fugit. *In theologia* autem hæc vox

proprie significat *veritatem, quam ratio humana tum quoad existentiam apprehendere, tum etiam,* post cognitam ex revelatione ejus existentiam, *quoad essentiam conceptu proprio intelligere absolute non potest.* — Dicitur *absolute non potest,* ad exprimendum quod res mysteriosa in sensu stricte theologico non tantum respectu quorumdam et in quibusdam circumstantiis, sed respectu cujusvis hominis in quavis circumstantia versantis est impervia. Distinguitur inter existentiam rei et ejus essentiam, quia ut res plene cognoscatur, debent et existentia et essentia ejus nobis esse nota. — Dicitur *conceptu proprio intelligere,* ut post revelationem factam non omnem essentiæ cognitionem, sed tantum cognitionem propriam quæ nempe rei essentiam, sicuti in se est, manifestat et prædicatum subjecto inesse immediate ostendit, excludamus. Ut enim res quoad existentiam possit cognosci, debet necessario aliquatenus etiam nota esse quoad essentiam; debet nempe sub aliqua nota apprehendi, qua ab omni alia re est distincta.

IV. Divisio mysteriorum. Mysterium generice sumptum est, uti diximus, veritas cujus cognitio nos fugit. Jamvero quadruplici modo veritas aliqua nos latere potest. Vel enim 1° veritas quoad existentiam per naturales vires manifestari potest, atque naturali ratione quoad essentiam suam intelligi, sed de facto ex propositionis defectu experientiam fugit. Hac ratione consilia cogitationesque nostræ, quæ penes nos servamus, aliis sunt mysteria; hoc sensu terra et mare multa recondunt mysteria. Vel 2° veritas quoad existentiam naturaliter cognosci potest, sed non quoad totam essentiam suam et ita natura est plena mysteriis, nam multa naturaliter novimus existere, quorum essentiam plene attingere per naturales nostras vires non possumus. Vel 3° veritas quoad existentiam per naturales vires absolute cognosci non potest, sed ubi est cognita, quoad essentiam suam intelligi potest. Ita v. g. institutio Ecclesiæ a Deo facta, aut Ecclesiæ infallibilitas naturalibus

viribus quoad existentiam cognosci non possunt, sed ubi per revelationem sunt cognitæ, secundum essentiam suam facile cognoscuntur. Vel denique 4° veritas ita rationem latet, ut non solum sine revelatione non possit quoad existentiam cognosci, sed neque etiam, postquam per revelationem est nota, conceptibus propriis possit quoad essentiam apprehendi seu non possit intrinsece intelligi.

Inde nascuntur variæ mysteriorum partitiones :

1° in *relativa* et in *absoluta*. *Relativa* sunt, quæ tantum ad certum aliquem intellectum, ex. gr. humanum, sunt mysteria, et *absoluta*, quæ præ quolibet intellectu creato sunt mysteria.

2° in *naturalia* et *supernaturalia*. *Naturalia* sunt, si latent primo vel secundo modo; *supernaturalia* autem, si tertio vel quarto modo latent. — Dein *supernaturalia mysteria* dividuntur in mysteria *primi ordinis*, seu *mysteria proprie dicta*; et mysteria *secundi ordinis*, seu *minus proprie dicta*. Mysteria primi ordinis sunt illa quæ latent quarto modo; mysteria autem secundi ordinis, quæ latent tantum tertio modo.

§ I.

De physica Dei potentia ad revelationem faciendam

Q. An Deus physicam potentiam habet ut aliquid revelet?

R. *Divinæ essentiæ propria est physica potentia revelationem homini faciendi.*

—

I. Explicatio. Hic agimus, uti liquet, de revelatione proprie dicta, quam supra definivimus.

II. Gradus certitudinis. Est *veritas philosophica* et *fidei dogma*. In Vaticano enim concilio, Const. *Dei filius*, Sess. III, can. 2. legitur : « Si quis dixerit fieri non posse... ut per revela-» tionem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edo-» ceatur, anathema sit. »

III. Demonstratio. 1° *e ratione philosophica.* Revelatio est possibilis, si Deus loqui possit hominibus, et homines hanc locutionem suscipere possint; id est si neque ex parte Dei neque ex parte hominis revelatio repugnet; atqui :

A) Non repugnat a parte Dei. Ut revelatio non repugnet a parte Dei, requiritur in Deo scientia et physica potentia ideas suas immediate homini communicandi. Jamvero has duas dotes Deus certe possidet, cum istæ hominibus sint propriæ, et ipse omnes omnium creaturarum perfectiones in *infinito gradu possideat.* Ergo. — Quod enim Deus omnes omnium creaturarum perfectiones possidet ita probatur : quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva, vel *a)* secundum eamdem rationem, sicut contingit in causis, quæ effectus ejusdem speciei producunt, quemadmodum homo generat hominem; vel *b)* secundum perfectiorem rationem, sicut accidit in causis, quæ nobilitate sua excedunt proprios effectus, quod in rebus artificialibus ab homine productis locum habet. Cum ergo Deus sit prima causa effectiva omnium rerum, necesse est ut omnes omnium rerum perfectiones habeat. — Dein quod perfectiones Dei sunt infinitæ, haud minus facile demonstratur. Etenim qualitas, quæ per se existit, seu quæ necessario existit, debet necessario existere, quantum existere potest, seu existere sine limite, seu, quod idem est, existere cum perfectione infinita; nam necessitas illa inest toti istius qualitatis essentiæ, et proinde tota hæc qualitas quantum existere potest, debet per se existere. Ita si calor existeret per se, i. e. ex necessitate suæ essentiæ, non ad certum gradum limitatus calor sed totus calor, qui existere potest, seu calor sine limite existeret, cum hæc necessitas inesset non parti essentiæ caloris sed toti ejus essentiæ simpliciter.

B) Neque repugnat a parte hominis. Etenim ut alicui communicatio veritatis possit fieri, a parte illius cui communicatio fit tantum requiritur, ut ipse intelligentia, qua rem communi-

catam percipere possit, fruatur. Jamvero homo intelligentia est præditus. Ergo. — Non magis certe vetatur homo excipere sermonem Dei, quam communicationem sibi ab aliis hominibus factam.

Huc accedit communis consensus populorum, qui ab antiquissimis temporibus existentiam et proinde possibilitatem revelationis stricte dictæ admiserunt, cum cultum, quem professi sunt, ex divina revelatione oriundum censuerint. Jamvero hic consensus de revelationis divinæ possibilitate certe non ex humanis passionibus (nam ex quanam communi passione hic consensus esset exortus?), sed ex sola rei evidentia explicari potest. Ergo. — Ad stabiliendum hunc consensum, satis erit sequentia citare : Indi religionem suam a divinitate Brahma ejusque legato Manu patriarcha diluviano derivant; Babylonii suam religiosam doctrinam a divinitate Bel per interventum Oannis seu patriarchæ Xysuthri acceptam dicunt; Phœnecii et Ægyptii originem sui cultus tribuunt divinitati *Thaut* qui legatus erat Osiris; in libro sacro Persarum Avezta vocato, docetur deum Ahura-Mezda in initio temporum hominibus revelationem fecisse, eisque legem dictasse, et illos solos esse sanctos, qui hanc legem servant; Mahumetus ab angelo Gabriele *Koranum* sibi datum gloriatur. Eum etiam confirmant oracula a gentilibus consulta, atque expressa antiquorum philosophorum doctrina; ita Jamblicus docet *de Vita Pythagoræ* c. 28 : « Quæ Deo grata sunt, scire difficile est, nisi quis vel eum, » qui Deum audierit, vel Deum ipsum audierit; » Plato *in Epinomide* asserit, « Docere pietatem neminem posse, nisi » Deus tamquam dux et magister præiverit; » et Sancara philosophus Indiæ docet « doctrinam religiosam brahmaticam » non ratione sed sola antiquorum traditione cognosci posse. » (Sancara. Ed. Windischman p. 106.)

2° *e S. Scriptura.* Tota Scriptura de possibilitate divinæ revelationis dat testimonium, cum tota sit in proponenda veteris et novi testamenti revelatione.

3° *e Traditione.* Inutile est congerere Patrum testimonia cum ipsorum scripta nonnisi de doctrina a Deo revelata tractent. Citabimus tamen textum S. Augustini, in quo clarissime proponitur modus, quo Deus revelationem ad hominem facit; *Contra Adimantum Manichæi discipulum.* c. 28, n. 2 : « Multa » genera visionis in Scripturis sanctis inveniuntur. Unum secun- » dum oculos corporis, sicut vidit Abraham tres viros sub ilice » Mambre, et Moyses ignem in rubo, et discipuli transfiguratum » Dominum inter Moysen et Eliam : et cetera hujusmodi. » Alterum secundum quod imaginamur ea quæ per corpus » sentimus : nam et pars ipsa nostra cum divinitus assumitur, » multa revelantur, non per oculos corporis, aut aures, aliumve » sensum carnalem, sed tamen his similia, sicut vidit Petrus » discum illum submitti e cœlo cum variis animalibus. Ex hoc » genere etiam est istud Isaiæ, quod imperitissime impii repre- » hendunt. Non enim Deum forma corporea circumterminat : » sed quemadmodum figurate, non proprie, multa dicuntur, » ita etiam figurate multa monstrantur. Tertium autem genus » visionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspi- » ciuntur veritas atque sapientia : sine quo genere illa duo » quæ prius posui, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem » mittunt. »

IV. Quæstiones subsidiariæ circa modum quo Deus revelationem facere potest.

Q. I. *An revelatio potest fieri tam interne quam externe?*

Si Deus revelationem homini facere potest (quam potentiam Deo propriam esse mox demonstravimus), certe externe eam facere potest, cum homini omnino naturale sit, per externa signa communicationem veritatis ab aliis accipere. — Verum non minus etiam interne eam facere potest. Etenim si Deus interne ideas communicare non posset, id supponeret, quod anima omnino et essentialiter est inhabilis ad communicationem idearum sine sensibus accipiendam. Jamvero hæc inhabilitas

admitti nequit, cum ex ea sequeretur Deum animæ nostræ, post ejus a corpore separationem, meritum vel demeritum ipsius et sententiam contra ipsam latam non posse proponere; quod evidenter est falsum. — Dein si anima nostra cognitionem rerum per sensus accipere potest, quare et alio modo a Deo doceri non posset? — Tandem, quomodo Deus qui intellectuale contulit lumen in animæ creatione, aliud lumen ei adjungere non posset?

Quod revelatio externa est possibilis, certe est *de fide* cum clare in fidei fontibus contineatur talem revelationem revera factam esse. Possibilitas autem revelationis internæ, si non sit veritas *de fide*, saltem est *theologice certa*. Potest forsan dici eam non esse *de fide*, quia nec expresse est definita, nec immediate in fidei fontibus est contenta, sed tantum mediate ex eis deducta.

Q. II. *An revelatio potest fieri tam mediate quam immediate?*

R. Demonstrata revelationis possibilitate, jam patet possibilitas revelationis immediatæ; nam quando revelatio fit, debet saltem alicui immediate fieri.

Verum et mediata revelatio manifeste est possibilis. Etenim supposita revelationis immediatæ existentia, ad mediatæ revelationis possibilitatem, tantum hæc duo requiruntur : 1° quod homo possit ea aliis communicare, quæ a Deo accepit; et 2° quod, ubi talia communicat, media habeat iisdem persuadendi, ea, quæ ipse testatur, esse vere Dei verba. Jamvero utrumque istud requisitum est possibile; ergo. — Imprimis certo potest homo, ea, quæ a Deo accepit, non minus ac alias suas cognitiones, cæteris communicare; et quod dein media habentur, quibus persuadere aliis possit suam doctrinam esse Dei verbum, videbimus infra, in § sequenti. — Huc accedit consensus gentium; nam ipsæ, uti supra vidimus, contenderunt religiones suas esse divinas, seu mediata revelatione a divinitate acceptas.

Quod autem tum immediata tum mediata revelatio est possi-

bilis, est veritas *de fide;* nam immediatam revelationem esse possibilem, expresse continetur in fidei dogmate de revelationis possibilitate; et mediatam revelationem esse possibilem manifeste constat ex historia mediatæ revelationis veteris et novi testamenti, quam fidei fontes nobis exhibent.

V. Objectiones. 1° Revelatio proprie dicta, aiunt, est impossibilis, cum ipsa esset actus particularis in certo tempore a Deo positus, et talis actus immutabilitati Dei omnino repugnet.

R. Imprimis animadvertatur adversarios in hac objectione revelationem ideo dicere impossibilem, quia est actus non æternus sed in tempore positus, et inde immutabilitati Dei repugnans. Sed et docemus mundum non ab æterno sed in tempore esse a Deo creatum, ac proinde si illa objectio staret, valeret etiam contra mundi creationem in tempore factam.

Verum ita directe hanc difficultatem solvimus : staret objectio, si opus a Deo in tempore effectum mutationem in Deo, in divina scilicet voluntate, induceret; hoc est, si Deus, ad tale opus efficiendum, deberet mutare voluntatem suam seu nunc velle, quod antea non voluerat. Atvero hujusmodi mutatio in Deo inde non fit. Quod enim in tempore a Deo efficitur, ab æterno voluntas divina voluit ut id in hoc vel illo determinato tempore efficeretur; et ita, ubi res producitur, nulla fit in divina voluntate mutatio. Ergo ruit objectio. Clare id exponit S. Thomas I. Q. XIX, A. 7 : « Aliud est, ait, *mutare* voluntatem et aliud » est velle *aliquarum rerum mutationem*. Potest enim aliquis » *eadem voluntate immobiliter permanente* velle, quod nunc » fiat hoc et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutare- » tur, si aliquis inciperet velle quod prius non voluit, vel desi- » neret velle, quod voluit. » Pariter dicit S. Augustinus. *De Civ. Dei* XII, 17 : « *Una eademque immutabili voluntate* res, quas » condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et » ut posterius essent, quando esse cœperunt. »

Obj. 2° Si Deus post creationem homini revelationem faciat,

eo ipso se declarat creatorem seu artificem improvidum et imperfectum; nam per hanc revelationem evertit ordinem, quem in creatione stabilivit, et declarat opus, quod peregit, defectu laborare et emendatione egere. Sed talis agendi modus certe cum infinita Dei sapientia pugnat. Ergo. Ita Spinoza et Strauss.

R. Valeret objectio, si revelatio esset donum naturale, h. e. si revelatio omnino requireretur ut humana natura essentiali non laboret vitio et completa sit, quemadmodum ad hoc requiruntur sensus externi, intellectus, et alia similia. Nam si Deus, ubi humanam naturam creavit, hujusmodi donum, quale est v. g. sensus visus vel auditus, ei non contulisset, et postea, animadverso essentiali illo defectu, ei facultatem antea negatam tribueret, certe ita mutaret ordinem prius stabilitum atque aperte ostenderet se nonnisi insipientem et imperfectum esse artificem. — Atvero revelatio non est naturale sed supernaturale donum, h. e. donum humanæ naturæ omnino indebitum eamque elevans ad participanda bona soli Deo per se propria; nam ad solas personas divinas per se pertinet divinum sermonem immediate audire; ac proinde ubi homo revelationem a Deo accipit, particeps fit rei ad solam divinam naturam pertinentis; atque ita a naturali sua conditione elevatur ad participanda divinæ essentiæ bona. Nunc autem ubi Deus hujusmodi donum confert, ordinem naturalem in creatione stabilitum non evertit, neque mutat in suo ambitu, sed illum integrum relinquens ei superaddit donum novi ordinis; nec etiam id faciendo declarat creationis opus defectu laborare et emendatione egere, aut se fuisse artificem improvidum et imperfectum, sed contra ostendit creationis opus esse completum in suo ambitu, cum ei superaddere possit ordinem supernaturalem, atque manifestat suam omnipotentiam et summam bonitatem, cum per hujus doni collationem demonstret, se non tantum naturalia posse et velle dare, sed tam potentem et bonum esse ut hominem suorum propriorum bonorum velit consortem reddere. — Ergo falso asseritur, quod

Deus revelationem faciendo, ordinem creatione stabilitum destruat, et seipsum declaret artificem improvidum et insipientem.

Instare quis posset dicendo : theologi catholici habent revelationem ut naturale donum, siquidem eam dicunt moraliter necessariam ut omnes homines debito tempore, sine admixto errore, sufficienter naturales veritates de Deo ejusque cultu possint cognoscere; ergo ruit solutio data, cum ipsa supponat revelationem esse donum omnino supernaturale.

Respondetur sequenti modo : ubi theologi catholici dicunt revelationem esse moraliter necessariam, nullatenus affirmant uti adversarii id volunt, eam ad naturalem ordinem saltem aliquatenus pertinere, seu a natura humana moraliter exigi ; ac proinde ruit eorum instantia. Etenim id solum affirmare intendunt : homines aliquo egere subsidio præter ordinarias suas vires, ut sufficientem de Deo rebusque divinis cognitionem obtineant; et Deum, inspecto supernaturali ordini, quem instituit, huic indigentiæ subvenisse per revelationem, quæ est supernaturale medium, dum tamen in sua potestate multa ei subveniendi media naturalia habet, qualia sunt suscitatio virorum doctiorum, manifestior impiorum in mundo punitio et alia hujusmodi.

Nullatenus ergo docent catholici, quod humana natura esset vitiosa et mendosa, si revelatio facta non esset, cum admittant multa in ipso naturali ordine haberi media, quibus divina providentia uti potuisset, ad moralem hominibus procurandam possibilitatem religionem naturalem sufficienti modo cognoscendi; et quibus certe fuisset usa, si supernaturalis ordo non fuisset institutus. — Observetur hic, divinam providentiam unum esse ex elementis quibus totus complexus virium alicujus naturæ componitur; atque eam necessario diversam esse debere pro diverso statu, pro statu nempe naturali vel supernaturali, in quo hæc natura versatur.

Instari rursus potest dicendo : Deus qui sapientissime semper agit, præ sapientia sua nunquam opera sine necessitate multiplicat. Eum ergo dedecet ut revelationem naturali rationis lumini addat, cum possit id, quod per revelationem obtineret, eadem cum efficacia obtinere, fortius et perfectius lumen naturale in creatione conferendo, seu animam cum majori perfectione creando.

Ita autem respondetur : falso asseritur Deum fortius et perfectius lumen rationi in creatione conferendo, id ipsum posse obtinere, quod per revelationem obtinet; nam imprimis revelatio, cum sit immediata Dei locutio ad nos, evehit naturam nostram ad intimam cum Deo familiaritatem, quæ tanta est, ut nulli creaturæ per se sit propria, ac proinde ad supernaturalem ordinem eam elevet; cum contra naturalis rationis augmentum naturam nostram quidem perficeret, sed in naturali ordine tantum; ac illam intimam cum Deo familiaritatem non produceret. Præterea, ut mox videbimus, Deus potest per revelationem nobis communicare mysteria, quæ omnem intellectum creatum, quantumvis perfectum, omnino superant, et nonnisi immediata Dei locutione ab ente creato possunt apprehendi. Ergo aperte liquet per revelationem produci effectus qui e naturali rationis lumine, quantumvis perfecto, profluere non possunt; et idcirco eam non inutiliter a Deo simul cum rationis lumine homini conferri.

Obj. 3° Ad naturam humanæ rationis pertinet, ut sit autonoma et independens, seu ut veritati assentiatur, quia rem vidit, et a nemine ad assentiendum cogi possit. Jamvero si revelatio fiat, et homo ei credere debeat, hæc rationis autonomia et independentia evertuntur, et officium ei imponitur, quod omnino cum ejus essentia pugnet. Ergo.

R. Hæc autonomia et hæc independentia rationis duplici modo possunt intelligi. Per hæc enim verba vel significatur, talem esse rationis humanæ naturam, ut nihil tamquam verum amplecti

possit, quod intrinsece non intelligat, seu quod per seipsam non cognoscat sine testimonio alterius; vel significatur tantummodo quod ratio humana nunquam possit aliquid ut verum amplecti, nisi prius viderit id amplectendum esse. — Si prior sensus accipiatur, revelatio est impossibilis, cum ipsa fidem ab homine exigat, et fides in eorum sententia, qui hunc sensum sequuntur, sit impossibilis. Atvero admitti nequit iste sensus, cum, ipso admisso, dicendum foret, hominem neque testimonio alterius hominis credere posse, ac proinde nihil certo cognoscere, præter quod immediate per seipsum attigerit. Quod sane absurdum est, nam negato in homine omni actu fidei, ruit penitus scientia historiæ, geographiæ, aliarumque plurimarum rerum quarum cognitio pro quotidiana vita maxime est necessaria, et unice tamen testimonio obtinetur; ac etiam jam non cognosceret homo quinam sint sui parentes, cum hac de re per seipsum experimentum non habeat. Liquet sane manifesto modo, quod, omni fide sublata et sola immediata cognitione in homine admissa, vita socialis omnino evertitur atque impossibilis redditur; et quod proinde systema illud, quod omnem fidem respuat, nullatenus admitti potest. — Alter autem sensus est verus et legitimus; sed ex eo non sequitur fidem divinæ revelationi præstari non posse. Id enim inde sequeretur, si iste fidei actus esset contra rationem, seu rejiceretur a ratione ut falsus et malus. Atvero longe abest, ut ratio eum rejiciat, cum contra eum præcipiat. Etenim ratio dictat fide accipi ea omnia posse et debere, quæ a teste sufficienti scientia instructo et veraci sunt proposita; sed Deus utpote omniscius et sanctissimus est certe sufficienti scientia instructus et verax; ergo ratio dictat, quod divina revelatio, ubi de ea certe constat, potest et debet fide accipi. Præterea si cum ratione non pugnet, ut humanum testimonium accipiamus, quomodo cum ea pugnaret, ut verbum Dei fide amplectamur? — Liquet igitur autonomiam et independentiam rationis in vero suo sensu intellecta nullatenus per divinam

revelationem everti aut destrui, quemadmodum adversarii contendunt.

Obj. 4° Illud systema certe est rejiciendum, quod inutilem reddat aliquam naturæ nostræ facultatem. Jamvero revelatio divina inutilem redderet intellectum nostrum, cum loco naturalis cognitionis intellectu obtinendæ, poneret cognitionem supernaturalem. Ergo.

R. Falso asseritur intellectum per divinam revelationem fieri inutilem facultatem; nam tantum abest, ut revelatio ejus operationes impediat, ut contra ejus naturales operationes præsupponat, et novis multoque dignioribus operationibus maximum aperiat campum. Etenim antequam homo revelationem fide suscipiat, debet prius ratione cognoscere Deum vere existere, Eum esse summe sapientem et veracem, nobis incumbere onus Deo serviendi ac proinde ejus verbum, si loquatur, fide amplectendi, Deum revera esse locutum; ac dein, ubi revelatio fide est suscepta, rationis est, quemadmodum supra (pag. 24) diximus, e revelatis veritatibus theologicam efformare scientiam. — Inde intelligitur, quam absurde scribat Cousin in præfatione sua ad librum *Manuel de l'histoire de la philosophie* : « Quel est le » fondement de l'altière polémique de la théocratie (théologie) » contre la philosophie? Tout le monde le sait aujourd'hui : un » paralogisme. *C'est avec la raison qu'ils attaquent la raison* » invoquant ainsi l'autorité même qu'ils combattent et qu'ils » entreprennent de convaincre d'impuissance. Un peu de rigueur » et de conséquence a conduit l'école théocratique (théologique) » à réprouver non plus tel ou tel système philosophique, mais » l'esprit commun de tous les systèmes, savoir la libre réflexion, » c'est a dire, la philosophie elle-même. » Nullatenus damnamus et rejicimus, uti vult Cousin, rationem, rationis reflexionem, seu studium, et philosophiam; cum eam habeamus ut pædagogam ad fidem, et ejus servitium omnino necessarium esse agnoscamus ad theologicam scientiam efformandam.

§ II.

De veritatibus quas Deus revelare potest.

Q. Quasnam veritates Deus revelare potest, utrum tantum veritates naturales, an etiam mysteria et qualia?

R. *Non tantum veritates naturales, sed etiam mysteria et quidem mysteria proprie et stricte dicta revelare potest.*

—

I. Explicatio. Admissa divinæ revelationis possibilitate, in dubium serio vocari non potest, an Deus possit revelare mysteria naturalia aut etiam mysteria supernaturalia secundi ordinis (Cfr. definitio supra data p. 107 et 108), quia certe talia mysteria existunt, atque nihil obstat quominus Deus ea homini communicet et homo ea intellectu percipiat. Verum non ita evidenter liquet possibilem esse revelationem mysteriorum proprie dictorum, h. e. eorum, quæ neque quoad existentiam apprehendi, neque etiam, existentia per revelationem apprehensa, quoad essentiam suam conceptu proprio intelligi possunt; et ideo tota præsens demonstratio circa hæc mysteria versari debet.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas philosophica* et *fidei dogma*. In Vaticano enim Concilio, Const. *Dei Filius*. II. Can. 3 definitum est : « Si quis dixerit, hominem ad » cognitionem et perfectionem quæ naturalem superet, divinitus » evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni » possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; ana- » thema sit; » et IV, Can. 1 : « Si quis dixerit, in revelatione » divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed uni- » versa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e natu- » ralibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit. » Et quid intellexerit concilium per *mysteria vere et proprie dicta*, docemur e cap. IV ejusdem Const., ubi hæc leguntur : « Nunquam

» (ratio) idonea redditur ad ea (mysteria) perspicienda instar » veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina » enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, » ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei » velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, » quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per » fidem enim ambulamus et non per speciem. »

III. Errores. Naturalistæ et Rationalistæ omnes negant mysteria eo sensu intellecta, quo ipsa accipimus, a Deo revelari posse. Contendunt nempe multi, veritates, quæ absolute rationem superant, eo ipso esse contra rationem, et non minus repugnare, quam ferrum ligneum et circulus sine peripheria; sed omnes dicunt, quod si ejusmodi veritates existant, nullo tamen modo revelari possunt.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica*. Cum revelatio in genere sit possibilis, manifestum est revelationem mysteriorum tantum repugnare posse, vel quia mysteria non existerent, h. e. quia Deus non haberet veritates mysteriosas revelandas, vel quia homo mysterii revelationem suscipere non posset. Atqui neque ex uno neque ex altero capite habetur repugnantia. Ergo.

A) Non adest repugnantia ex parte existentiæ mysterii, nam certo existunt hujusmodi veritates.

a) Id imprimis fluit ex eo quod intellectus divinus est infinite perfectus, dum intellectus humanus est finitus et limitatus. Etenim quo minus perfectus est quidam intellectus, eo minus veritatem attingere potest, nam operationis perfectio superare nequit suæ causæ perfectionem. Jamvero intellectus humanus est finitus et limitatus, dum intellectus Dei est infinitus et illimitatus. Ergo intellectus humanus infinite minus perfecte veritatem attingere poterit, quam intellectus divinus : quæ autem attingere non potest sunt mysteria; ergo dantur pro humano intellectu vera mysteria. — Nec dicatur, quod veritates

mysteriosæ, postquam a Deo sunt revelatæ, tunc saltem plene intelligi possint; nam per revelationem intellectus humanus novas non obtinet intrinsecas vires, ad veritates intrinsece perspiciendas; atque idcirco, quod ante revelationem intrinsece intelligere non poterat nec post eam potest.

Etiam hoc argumentum sequenti modo proponi potest : Si non concedatur mysteria proprie dicta existere, dici debet, hominem posse omniscium esse, vel Deum non amplius esse infinitum. Etenim si negetur mysteriorum existentia, necessario dici debet scientiam humanam æque perfectam esse ac scientiam Dei; et hæc æqualis inter Deum et hominem scientia explicari non potest nisi dicendo, vel quod homo est omniscius, vel quod scientia Dei est finita et humanæ scientiæ perfectionem non superat. Jamvero primum est summe præsumptuosum, stultum et pantheisticum, et alterum est blasphemum. Ergo.

b) Existentia mysteriorum quoque demonstratur ex modo quo humanus intellectus res cognoscit, seu ex fonte, e quo intellectus humanus cognitiones suas haurit. Homo tantum res externas et animæ suæ operationes immediate apprehendit, ac proinde ea sola immediate et proprie cognoscere potest; cætera autem, uti essentiam animæ suæ et Deum, nonnisi concludendo ex iis quæ immediate apprehendit, potest cognoscere. Jamvero ea omnia quæ immediate apprehendimus nonnisi valde imperfecte Deum repræsentant, cum ipsa sint finita et Deus sit infinitus. Ergo liquet humanum intellectum propriam et adæquatam de Deo obtinere non posse cognitionem; ac proinde dari pro ipso mysteria. — Nec dicatur saltem post revelationem mysteria non manere. Nam revelatio nostrum cognoscendi modum non mutat, seu novas non infundit ideas immediatas, sed tantum ope idearum ante a nobis acquisitarum res mysteriosas manifestat. — Observetur hic singula entia, juxta suam naturam, modum cognoscendi sibi proprium seu fontem proprium unde cognitiones suas hauriunt habere; ita

homo, qui constat ex anima spirituali materiam informante, tantum operationes suæ animæ et res sensibiles immediate apprehendit; angelus autem, qui est spiritus creatus omnis materiæ expers, immediate apprehendit res spirituales omnis materiæ expertes sed creatas; et Deus, qui est spiritus increatus immediate intelligit spirituale increatum.

c) Addi potest et hoc argumentum. Inductione et quotidiana experientia constat, in rerum natura visibili, creata, finita, quamque manibus palpamus, esse plurima, quæ nos latent nostrumque excedunt captum. Ita post investigationes doctissimorum hominum, nemo perfecte novit naturam electricitatis, magnetismi, attractionis corporum, vitæ vegetativæ et animalis, etc. Porro si talia existunt in rebus, quæ sub sensus nostros cadunt, a fortiori et multo majori in gradu reperiri debent in Deo, qui a sensibus tam remotus est. — Nec dicatur inde non posse cum plena certitudine demonstrari dari mysteria, quæ absolute rationem nostram superant, cum opponi possit hanc ignorantiam unice forsan provenire, ex eo quod ratio nostra nondum est satis exculta. Nam si ratio per tot millia annorum omni adhibito conatu non potuit attingere tot naturæ secreta, quanto minus in scrutanda natura divina a sensibus rebusque creatis tam remota adeo proficiet, ut omnia percipiat? Præterea experientia constat entia, quo magis in se sublimia sunt et perfecta, eo minus a nobis perspici. Spirituales substantiæ in se perfectiores sunt quam materiales, sed multo minus intelliguntur, et Deus, qui est ens perfectissimum, adhuc minus perfecte cognoscitur. Quod et Aristoteles jam animadvertit et sequentibus verbis exprimit (Metaph. L. 2. c. 1) : « Intellectus noster, » ait, sic se habet ad prima entium, quæ sunt manifestissima in » natura (quæ maximam intelligibilitatem habent), sicut oculus » vespertilionis ad solem. »

d) Tandem tam manifestum est dari pro homine vera mysteria ut quidam rationalistæ, nimia rei claritate victi, id negare non

audeant. Ita scribit Julius Simon in præfatione sua ad librum : *La religion naturelle* : « On oublie Dieu, ait, on se fait de lui » des idées fausses, mais on ne peut le nier. Il suffit d'ouvrir » les yeux; le monde parle, ou mieux encore, il suffit de penser; » car notre pensée, en se développant, s'élève vers Dieu comme » par une force invincible. A défaut de ma raison, mon cœur » est tout plein de lui. Je ne puis souffrir, je ne puis être » heureux, sans retrouver en moi le sentiment de sa présence. » Il est mon soutien et mon espoir, le fondement de ma raison, » l'étoile de mon amour et de ma volonté. Mais si *je le connais* » *par ses bienfaits et par ses promesses, je ne puis le* » *connaître dans son essence même. La nature de l'infini* » *échappe à mon intelligence imparfaite.* Dieu m'a fait pour » tendre toujours vers lui par toutes les forces de mon intelli- » gence, de mon amour et de ma volonté, et *pour rester* » *infiniment au dessous de lui. Le premier mot de la* » *philosophie doit être de proclamer qu'il existe et le second* » *d'avouer qu'il est incompréhensible.* Nous savons de lui » tout ce qu'il faut pour l'aimer et pour l'adorer. »

B) Neque etiam datur repugnantia a parte hominis; ex eo scilicet, quod homo revelationem mysteriorum suscipere non posset. Etenim si ex hac parte repugnantia adesset, id inde oriretur, quod termini revelatæ propositionis nullatenus possent ab homine percipi, seu pro ipso essent tamquam sermo in lingua ignota prolatus. Jamvero cum in mysteriorum revelatione non essentia rei occultæ sed tantum ejus existentia sit manifestanda, et ad existentiam rei cognoscendam non idea propria et adæquata (seu idea totam rei essentiam declarans) requiratur, sed sufficiat idea impropria et inadæquata, modo sit clara et distincta, (seu per aliquam notam rem ab aliis omnibus distinguat); omnino nihil obstat, quominus in mysteriorum revelatione adhibeantur voces communes et usitatæ, quibus quotidie ad exprimendas res coram oculis nostris

versantes utimur; et quæ proinde facile possunt ab homine percipi. Ergo.

Quod enim ad existentiam rei cognoscendam non requiritur idea adæquata et propria, sed sufficit idea inadæquata, modo sit clara, per se liquet; cum ad cognoscendum quod aliquid existit, satis est, ut illud sub aliqua distinctiva nota apprehendamus. Præterea id quoque manifeste per experientiam constat; ita novimus electricitatem, vitam vegetativam et animalem, lumen, Deum aliaque innumera existere, quin eorum essentia nobis sit plene cognita.

Dein ideam inadæquatam sed tamen distinctivam de rebus quoad essentiam nobis occultis, exprimi posse per voces communes et usitatas non minus liquet. Etenim res occultæ, non minus quam cæteræ res omnes distincte et clare describi possunt secundum similitudinem et dissimilitudinem quam cum aliis rebus a nobis notis habent, et ita etiam verbis usitatis declarari et exprimi. Quæmadmodum enim intelligentiam hominis recte possumus definire dicendo, eam esse *oculum animæ sed oculum alterius et longe perfectioris naturæ ac oculus corporis*, pari modo perfectiones occultæ Dei, quippe quæ omnes similitudinem cum perfectionibus rerum creatarum necessario habeant, describi nobis possunt per voces rebus creatis proprias, uti *natura, persona, sapientia, bonitas,* affirmando nempe perfectiones istis vocibus expressas Deo vere inesse, sed simul negando eas Deo inesse eo modo, quo rebus creatis insunt, et addendo eas Deo inesse modo infinite superiori. — Nec dicatur istas voces creaturis proprias, ubi de Deo adhibentur, falsas de Deo dare notiones, cum perfectiones, quas exprimunt, non sint in Deo, quemadmodum eas entibus creatis inesse intelligimus. Etenim istæ voces nihil falsi Deo adscribunt, quemadmodum etiam vox *oculus* de intelligentia adhibita, ipsi nihil falsi adscribit; nam perfectiones istis vocibus expressæ vere Deo insunt, quemadmodum perfectio *oculi* intelligentiæ inest. Falsa autem adscribe-

rentur Deo, si exprimeretur perfectiones istis vocibus significatas Deo eodem modo ac creaturis inesse, quemadmodum etiam falsa adscriberentur intelligentiæ si, ubi eam vocamus oculum, vellemus significare unam et eamdem esse perfectionem quæ inest intelligentiæ et oculo. Atvero id locum non obtinet; nam quemadmodum, ubi intelligentiam vocamus oculum, intelligimus eam non unius et ejusdem naturæ esse ac est oculus corporeus, sed naturæ longe superioris, ita etiam ubi illæ perfectiones creaturarum Deo adscribuntur, non intelligitur ipsas eodem modo Deo inesse ac creaturis, sed modo omnino distincto et infinite superiori. — Ita ubi in revelatione dicitur, *in Deo esse unam tantum naturam et tres personas*, exprimitur in Deo semel existere id quod nos vocamus naturam, et ter id quod vocamus personam; verum non exprimitur naturam et personalitatem in Deo ejusdem esse conditionis ac in rebus creatis, sed contra intelligitur eas omnino alterius ac infinite superioris conditionis esse.

2° *e S. Scriptura.* Mysteria stricte dicta a Deo posse revelari clare colligitur e S. Scriptura, cum pluries in ea sermo fiat de veritatibus a Deo revelatis, quæ etiam post revelationem conceptu proprio et adæquato ab homine percipi non possunt. Ita II. *Cor.* V, 7, S. Paulus dicit : « *per fidem enim ambulamus et non per speciem*, » h. e. in hac vita novimus quidem Deum *fide* sed nondum conspicimus eum *facie ad faciem*, seu nondum videmus eum *sicuti est*. Jamvero si post mysteriorum revelationem illa, quæ de Deo fide novimus, plene intelligeremus, jam non ambularemus in fide, sed videremus rem sicuti in se est. Ergo S. Paulus clare docet mysteria, etiam post suam revelationem, in se videri non posse. — Idem demonstrari potest ex I *Cor.* II. 4-14.

3° *e Traditione.* Eadem doctrina clare etiam continetur in Patribus. Ita Lactantius *(Præf. inst. divin.)* aperte docet pro humano intellectu existere mysteria : « Veritas i. e. arcanum

» summi Dei, qui fecit omnia, ingenio et propriis non potest » sensibus comprehendi; alioquin nihil inter Deum et hominem » distaret, si consilia et dispositiones illius majestatis æternæ » cogitatio assequeretur humana; » et *Lib.* III, 6 hæc præclara dicit verba : « Neque te omnia scire putes, quod est Dei, neque » omnia nescire, quod est pecudis. Est enim aliquod medium, » quod sit hominis i. e. scientia cum ignoratione conjuncta. » Mysteria autem revelata esse, quæ etiam post revelationem intelligi conceptu proprio non possunt, expresse dicit S. Athanasius, ubi *Ep.* I. *ad Serap.* n. 18 ita Arianos alloquitur : « O » stulti atque ad omnia audaces et præcipites! Quare non potius » SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis; *eamque esse dum-* » *taxat creditis*, magistrum Apostolorum hac in re imitati? » et in *Oratione* 3ª sequentia habet : « Nec investigare convenit, » quomodo Verbum ex Deo sit, quove modo splendor sit Dei, » aut quomodo gignat Deus, quisve ille sit Dei gignendi modus. » Insanus enim est is æstimandus, qui ista scrutari non verebitur, » quippe qui existimet, rem inexplicabilem divinæque propriam » naturæ soli Deo ac Filio cognitam posse exprimi. »

V. Objectiones. 1° Mysteria, aiunt, sunt supra rationem. Jamvero quod est supra rationem, eo ipso etiam contra rationem est aut saltem esse videtur; et homo rationalis assentiri non potest sententiæ quæ contra rationem est aut esse videtur. Ergo homo mysterio revelato assentiri non potest; ac proinde mysteriorum revelatio est respuenda.

R. Falso asserunt adversarii id, quod supra rationem est, eo ipso esse contra rationem aut saltem contra eam esse videri. — Etenim, quod est supra rationem, *non esse eo ipso contra rationem*, ex sola terminorum comparatione patet. Nam contra rationem id solum est, quod repugnat; quæ repugnantia adest, cum de subjecto aliquid prædicatur, quod ejus idea excludit, v. g. circulum esse quadratum; quare ei, quod est contra rationem, hoc proprium est, ut manifesta pugna inter ideam

subjecti et ideam prædicati existat. Supra rationem contra, id esse dicitur, cujus prædicatum ita subjecto convenit, ut ex subjecti et prædicati comparatione, neque an conveniat, neque an non conveniat dijudicari possit; cui proinde et hoc proprium est, ut neque positiva convenientia, neque manifesta pugna inter ideam subjecti et ideam prædicati inveniatur. Quare si quæ sunt supra rationem, contra rationem essent, id in quo nulla manifesta pugna apparet, idem esset ac illud quod manifeste repugnat; hoc autem est absurdum. — Neque quod supra rationem est, *contra eam esse videtur*. Nam in eo, quod est supra rationem, eadem ratio se *nullam* pugnam videre intelligit; in eo autem, quod contra eam esse videtur, ipsa *aliquam* haberi pugnam intelligit. — Falsum igitur est fundamentum, quo nituntur adversarii, ac proinde ruit objectio.

Præterea et sequenti modo plene confutari potest hæc objectio: qui affirmat omnia mysteria necessario esse contra rationem vel saltem contra eam esse videri, debet necessario contendere quod ratio humana sit mensura omnis veritatis, ita ut nulla existat veritas, quam ipsa plene intelligere non possit. Nam si existant veritates, quæ sint extra ejus ambitum, seu quæ ab ea attingi non possint, jam verum non erit, id omne, quod ipsam superat, necessario cum ipsa pugnare. Atvero nemo sanæ mentis affirmare potest, rationem humanam esse mensuram omnis veritatis, seu nullam veritatem existere præter eas, quæ ab ipsa apprehenduntur; nam qui hoc affirmaret, deberet admittere hominem esse omniscium, vel Deum hominem intellectu non superare; quod est absurdum. Ergo.

Instari potest dicendo : Illa sunt contra rationem, quæ argumentis insolubilibus impugnantur. Atqui hujusmodi sunt mysteria. Ergo.

R. *Dist. maj.* Illa sunt contra rationem, quæ impugnantur argumentis insolubilibus, h. e. argumentis, quæ solvi non possunt, quia apertam contradictionem probant; *concedo;* illa

sunt contra rationem quæ impugnantur argumentis insolubilibus h. e. argumentis, quæ apertam contradictionem non probant, sed plene solvi non possunt, quia res, de qua agitur, rationem nostram superat et idcirco a nobis plene explicari non potest; *nego*. Nam id solum est contra rationem, quod contradictionem involvit. Jamvero mysteria a Deo revelata contradictionem non involvunt, uti a theologis demonstratur; sed plene ad ea omnia, quæ circa ipsa inquiruntur, responderi non potest, cum agatur de materia, quæ intellectum nostrum superat. Ergo. — Qui enim ad mysterium admittendum exigeret, ut omnia, quæ circa ipsum inquiruntur, possint solvi, eo ipso negaret mysteriorum existentiam, cum mysterium sit essentialiter supra rationem et ideo per rationem plene intelligi non possit. Potest nempe exigi, ut solvantur contradictiones, quas adversarii in mysteriis haberi contendunt, sed non ut immediate demonstretur mysterium propositum esse possibile : aliud enim est demonstrare contradictiones, quæ opponuntur, esse inanes, aliud demonstrare ex ipsa rei natura quod contradictio haberi non potest.

Hoc autem responsum ita impugnatur : Si homo intrinsecam mysterii possibilitatem cognoscere non possit, tunc admittendo mysterium admittit rem, quam nequidem possibilem esse cognovit; quod est absurdum.

R. Absurdum certe est aliquid admittere cujus possibilitas nullatenus est cognita; verum hæc possibilitas duplici modo potest cognosci : intrinsece nempe per intimam naturæ notitiam, vel per auctoritatem testantis. Jamvero mysteriorum possibilitatem intrinsece non novimus, cum superet captum mentis nostræ; sed eam novimus per auctoritatem infallibilem Dei, qui mysterium revelavit, et qui rem impossibilem et falsam revelare non potest. — *Nec dicatur : si res ita sese habeat, nec solvi debent contradictiones ab adversariis propositæ.* Nam ipsæ solvendæ sunt ad demonstrandam veritatem revela-

tionis seu ad demonstrandum, quod Deus vere hoc mysterium revelavit. Si enim aperta contradictio in eo contineretur, aperte constaret illud a Deo non esse revelatum ac proinde a nobis non esse credendum.

Ad solutionem difficultatum, quas adversarii contra mysteria movere contendunt, observetur : quod aliæ nituntur falsa verborum intelligentia, aut hypothesibus arbitrariis, aut infirmis deductionibus, aut falsis ratiociniis; quod aliæ res omnino distinctas confundunt, uti ordinem physicum, qui mutari a Deo potest, et ordinem metaphysicum, qui essentialiter immutabilis est; quod aliæ tandem pro fidei dogmate sumunt id quod tantum est opinio quorumdam theologorum. Hisce præ oculis habitis, haud difficile erit inanitatem ostendere contradictionum, quas adversarii in nostris mysteriis inveniri dicunt. Præterea etiam animadvertatur, quod de die in diem, quo magis scientia quævis progreditur, eo plenius et lucidius apparet veritas nostræ fidei, concordia fidei cum ratione atque falsitas eorum, quæ nobis objiciuntur.

Instari etiam potest hoc modo : Si mysteria non sint contra rationem aut etiam non videantur contra eam esse, saltem nullatenus cum ratione conveniunt, ac proinde videntur esse sententiæ quæ nulla attentione sunt dignæ et prorsus a nobis negligi possunt.

R. Verum est, quod mysteria positive cum ratione nostra non conveniunt, siquidem ea intrinsece intelligere non possumus; sed an ideo sunt sententiæ, quæ nulla attentione sunt dignæ et prorsus a nobis negligi possunt? Id locum haberet, si non proponerentur a doctore et teste tanta scientia et veracitate ornato, ut fide sit dignus, nam tunc omni veritatis argumento tum intrinseco tum extrinseco destituerentur, ac proinde non possent ab homine ut vera haberi. Atvero ubi proponuntur a Deo, qui est omniscius et summe verax, qui proinde veritates rationem nostram superantes cognoscere potest, et nonnisi

verum potest revelare, tunc habent pro se firmissimum et infallibile veritatis argumentum extrinsecum, quod certius pro nobis est, quam ipsa evidentia intrinseca; nam certius est edoceri a Deo infallibili quam a fallibili sua ratione. Ergo mysteria a Deo nobis revelata nullatenus possunt a nobis negligi et contemni, sed cum summa veneratione debent accipi et firmissime credi propter infallibilem auctoritatem Dei revelantis.

Obj. 2° Habetur contradictio in terminis, ubi dicitur mysterium post revelationem manere mysterium : revelare enim est patefacere quod occultum est, et mysterium dicit rem occultam; si igitur mysterium revelatur eo ipso cessat esse mysterium, nam res occulta cessat esse occulta, ubi est manifestata.

R. Ut hæc difficultas plene solvatur, observetur quod ad plenam habendam de aliqua re cognitionem oportet hæc duo scire : *an res sit* et *quid seu quomodo sit.* Jamvero res mysteriosa ante suam revelationem erat occulta quoad utrumque: ignorabatur nempe tum ejus existentia, tum ejus essentia. Per revelationem autem manifestata est ejus existentia, sed occulta remanet ejus essentia. Ergo res mysteriosa, quæ ante revelationem mysterium erat quoad utrumque punctum, post revelationem manet mysterium quoad secundum; ac proinde non habetur contradictio in terminis, ubi dicitur mysterium post revelationem manere mysterium. — Ita v. g. SS. Trinitas ante revelationem suam erat ignota tum quoad existentiam tum quoad essentiam. Post revelationem autem est cognita quoad existentiam sed manet occulta quoad essentiam, et ideo manet mysterium. — Notetur tamen quod ubi dicimus rem mysteriosam post revelationem secundum essentiam non cognosci, nullatenus excludimus imperfectam cognitionem essentiæ per aliquam notam distinctivam, nam sine hac cognitione neque existentia posset cognosci.

Obj. 3° Si mysteria omnino et absolute vires rationis

superant, repugnat ut homini per revelationem manifestentur, cum revelatio vires rationis non mutet.

R. Ad hanc difficultatem diluendam ita oportet distinguere : repugnat quidem ut mysterium, quod absolute rationis nostræ vires superat, per revelationem nobis tam quoad existentiam, quam quoad essentiam suam manifestetur; nam ad hoc necessario requireretur ut vires nostræ animæ mutarentur. Verum nullatenus repugnat, ut per revelationem existentia mysterii nobis pandatur, cum distinctiva rei mysteriosæ idea ope ejus similitudinis et dissimilitudinis cum rebus a nobis cognitis possit a Deo nobis ministrari, et data hac idea optime possit istius rei existentia revelari, quemadmodum supra diximus. Jamvero non contendimus mysteria nobis a Deo revelari secundum essentiam suam, sed unice secundum suam existentiam. Ergo.

Obj. 4° Revelatio mysteriorum est sermo de rebus prorsus ignotis seu sermo sensu vacuus; atqui Deo indignum est talem habere sermonem et homini prorsus est inutile illum excipere. Ergo revelatio mysteriorum est rejicienda uti res Deo indigna et homini prorsus inutilis.

R. Falso asseritur revelationem mysteriorum esse sermonem de rebus prorsus ignotis aut sermonem sensu vacuum, nam quamvis essentiam rei mysteriosæ non manifestet, pandit tamen ejus existentiam, quod unum ex duobus elementis est quibus plena alicujus rei cognitio obtinetur. Verba enim et ideæ in ea adhibita, utpote e rebus nobis naturaliter notis sumpta, facile a nobis intelliguntur; atque earum ope nobis ministratur idea distinctiva de re mysteriosa et ipsius existentia nobis declaratur. Ita dogma de SS. Trinitate non est sermo sensu vacuus; intelligimus omnia verba in illo adhibita, et per ea docemur in Deo unam haberi naturam, tres vero personas, seu docemur *quod* in Deo sunt una natura tantum et simul tres personæ, quamvis occultum maneat, *quomodo* seu *undenam* sit in Ipso unitas naturæ et trinitas personarum.

Verum nonne hæc cognitio existentiæ mysterii, occulta manente ejus essentia, prorsus inutilis est? Non inutilis, sed contra summopere utilis dicenda est hæc cognitio. — In primis certe a priori dici non potest, cognitionem existentiæ alicujus rei sine cognitione ejus essentiæ esse inutilem; nam contrarium constat ex quotidiana in rebus naturalibus experientia. Multas enim res et vires physicas in mundo existere novimus, quin ipsarum essentiam perspectam habeamus; et nemo tamen dicit hanc notitiam esse inutilem. Quis v. g..auderet asserere, quod inutile sit existentiam viæ ferreæ cognoscere si non intelligatur quomodo locomotor vehicula moveat? — Præterea manifestum est plurimos et uberrimos percipi fructus e revelatione mysteriorum. Etenim hæc imperfecta mysteriorum cognitio nobis pandit finem ad quem sumus destinati, et media ad hunc finem, qua notitia certe nihil utilius, nihil magis necessarium. Dein materiam præbet scientiæ theologicæ, quæ mundum obstupefecit per mira quæ protulit opera. Philosophis quoque adjumento est in pluribus notionibus abstractis de *persona*, de *natura*, de *substantia*, de *accidentibus* etc. plenius, perfectius et securius excolendis. Et tandem occasionem præbet homini sese plene Deo submittendi, nam per fidei actum in mysterium agnoscit Dei omniscientiam et veracitatem et suam confitetur limitatam perfectionem et plenam a Deo dependentiam.

Obj. 5° Nos, aiunt multi rationalistæ, id omne, quod admittimus, amplectimur *quia verum;* qui autem mysteria admittunt, *credunt quia absurdum*, qua re nihil stultius.

R. Hæc rationalistarum calumnia aliquatenus staret, si ratio assensus, quem mysteriis damus, esset eorum incomprehensibilitas seu inintelligibilitas, nam in hoc casu amplecteremur mysterium quia obscurum est vel quia rationem nostram superat: quod motivum certe stultum dici posset. Atvero hæc non est ratio nostri assensus, nam in amplectendis mysteriis totaliter nitimur in infallibili auctoritate Dei revelantis; et hoc motivum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sane sperni non potest, quin rejiciatur omnis fides. Jamvero nihil absurdius quam rejicere omnem fidem, et id solum admittere, quod ratio immediate attingit, nam, uti jam diximus, vita humana, rejecta omni fide, prorsus est impossibilis, cum innumera ad vitam necessaria unice fide sint cognita. « Si auferatur, » ait S. Augustinus, *De fide rerum quæ non videntur*, c. II, » hæc fides de rebus humanis, quis non attendat, quanta earum » perturbatio et quam horrenda confusio subsequatur? Quis » enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis » ipsa dilectio, si quod non video, credere non debeo? Tota igitur » peribit amicitia, quia non nisi mutuo amore constat. Non ergo » conjugem conjux vicissim diligere poterit, quando se diligi, » quia ipsam dilectionem non potest videre, non credit. » — Et S. Thomas de iis, qui nihil volunt admittere, præter id quod per seipsos intelligunt dicit, *Contra Gent.* L. 1. c. 3 : « Sicut » maximæ amentiæ esset idiota, qui ea quæ a philosopho propo- » nuntur, falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non » potest; ita et multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea » quæ divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur, ex eo quod » ratione investigari non possunt. »

Obj. 6° Ita conantur quidam demonstrare, quod non existunt mysteria, ac proinde quod mysteriorum revelatio est impossibilis : Voluntas humana, aiunt, non posset tendere in Deum tamquam in summum bonum suum, neque eum amare, quia est summum bonum in se, si intellectus non cognosceret Deum sicuti est in se; cum voluntas nihil possit appetere, quod prius ab intellectu non fuerit apprehensum, nullaque ratione duci, quæ ab intellectu non sit proposita. Jamvero voluntas humana naturaliter tendit in Deum ut in summum bonum suum, et naturaliter saltem amore affectivo eum potest amare propter se, h. e. quia est summe bonus seu perfectus, summe intelligens summe sanctus etc. Ergo revera intellectus naturaliter cognoscit Deum prouti in se est; ac proinde non dantur mysteria proprie

dicta; nam si Deus possit immediate et proprie ab homine intelligi, nihil pro humano intellectu potest occultum manere.

R. Falso supponitur in objectione, quod humana voluntas non possit in Deum ut summum bonum suum tendere, aut eum propter seipsum super omnia amare, quin ratio Deum in se et immediate cognoscat. Etenim ad hoc quidem requiritur, ut intellectus apprehenderit *quod* Deus est summum bonum ac proinde suprema causa felicitatis nostræ omnique amore propter suas perfectiones dignus; non vero ut cognoscat quomodo ipse sit summum bonum, seu ut cognoscat immediate et proprie omnes infinitas ejus perfectiones. Certe ut possimus aliquam personam ut causam nostri boni amare, aut eam amare propter seipsam, debemus cognitionem de perfectionibus ejus habere; verum satis est ut sciamus has et illas perfectiones huic personæ inesse, et non requiritur ut adamussim ejus dotes cognoscamus. Jamvero per rationem novimus Deum omnes habere creaturarum perfectiones et quidem in infinito gradu, ac proinde ipsum esse fontem omnis felicitatis nostræ et propter infinitam suam perfectionem omni amore esse dignum. Ergo sine immediata et propria Dei cognitione possumus in Deum tamquam in summum nostrum bonum tendere, eumque propter seipsum amare; ac proinde falso concluditur ex isto voluntatis nostræ actu Deum immediate a nobis cognosci et consequenter non dari mysteria.

Obj. 7° Contra revelationis mysteriorum possibilitatem et ita argui potest : Deus, utpote summe sapiens et summe sanctus, ordinem ab intellectu præscriptum turbare non potest. Jamvero ordo exigit, ut singula entia eas habeant qualitates, quæ sibi sunt propria, et non alias, quæ ad alia entia pertineant. Ergo homini revelare non potest Deus mysteria, cum eorum cognitio non humanæ sed divinæ naturæ sit propria, ac proinde sine ordinis turbatione homini concedi non possit.

R. Conceditur *major*, sed distinguenda est *minor*. Ordo, aiunt adversarii, exigit ut singula entia eas habeant qualitates,

quæ sibi sint propriæ, et non alias, quæ ad alia entia pertineant; sed hoc non est universaliter verum. Etenim ordo quidem postulat ut singula entia constituantur elementis suæ naturæ propriis, et non aliis, quæ ad aliam naturam pertinent; quia secus confunderentur naturæ ita ut homo non maneret homo, et angelus non maneret angelus; necnon etiam exigit ut nulli enti attribuantur dotes ejus naturæ repugnantes, quia ita constitueretur monstrum. Verum ordo nullatenus impedit, quominus attribuantur enti inferiori dotes entis superioris, modo ipsæ cum natura eas recipiente non pugnent, et essentialem ejus substantiæ mutationem non exigant, sed contra eam perficiant; nam sane nova perfectio alicui naturæ addita cum ordine non pugnat. Jamvero revelatio mysteriorum cum hominis natura non pugnat, nec essentialem humanæ naturæ mutationem exigit, quemadmodum supra vidimus. Ergo ipsa non pugnat cum ordine, ac proinde impossibilis dici non potest, quasi cum ordine pugnaret.

VI. Quæstio subsidiaria. *An Deus etiam revelare potest instituta et præcepta positiva?*

R. Per instituta et præcepta positiva intelliguntur ea, quæ non e natura rerum creatarum necessario fluunt, sed e libera Dei voluntate procedunt. Ita vocatio nostra ad Deum facie ad faciem in cœlo videndum, institutio Ecclesiæ, Sacramenta, etc. sunt positiva Dei instituta : et positivi præcepti exemplum habemus in necessitate intrandi in Ecclesiam a Christo institutam, in recipiendis Christi sacramentis, etc.

Talia autem instituta et præcepta revelari a Deo posse, si existant, per se patet ex præcedentibus. Demonstratum enim est Deum non tantum veritates naturales sed etiam mysteria stricte dicta revelare posse; ac proinde liquet Deum hujusmodi præcepta et instituta, sive intellectu naturali intrinsece intelligi possint sive sint mysteria, revelare posse, modo existant.

Quod vero Deus quædam potest instituere et præcipere, quæ

non ex ipsa rerum creatarum natura sed a libera ejus voluntate fluunt, facile intelligitur. Quemadmodum enim Deus fecit totum mundum ex nihilo, omniaque, quæ homo habet, ipsi contulit, potest sane et alia instituere, quæ intrinsece sunt possibilia et naturam a se conditam perficiunt. Nec dicatur talia esse impossibilia; jam enim vidimus revelationem, quæ certe extra naturæ ambitum est, vere esse possibilem; et absurde quis assereret Deum omnipotentem nullam posse naturæ nostræ superaddere perfectionem, aut naturam nostram ita esse perfectam, ut nihil ipsi superaddi possit. — Dein quod ad præcepta positiva attinet, 1° merito summæ temeritatis et impietatis argueretur, qui denegaret Deo potestatem alia præcepta, ac illa quæ ex necessariis rerum relationibus fluunt, hominibus imponendi; nam denegaret Deo, supremo omnium creaturarum Domino, quod nulli homini, aliquam in alios potestatem exercenti, denegare nequit. 2° Præterea certum est cultum externum esse ex jure naturæ necessarium, et eum quoad actus suos hoc jure non determinari sed ex lege superioris determinandum esse. Jamvero nemo sane negabit, Deum posse formam cultus sibi debiti per seipsum determinare, cum ipse sit supremus omnium dominus, ac præterea nihil magis ad cultus sanctitatem et majestatem possit conferre, aut sensum pietatis vehementius incendere, quam actuum cultus ab ipso Deo ordinatio atque determinatio.

Neque dicatur per præcepta positiva a Deo imposita hominem ad aliquid indebitum obligari. Etenim totus homo debet esse Dei, seu Deo plene esse submissus, cum totus, quantus est, a Deo sit dependens. Præterea si homo positivæ legi ab alio homine ipsi superiori debeat sese submittere, quomodo Deo, qui origo et fons est omnis potestatis humanæ, submissus esse non deberet, ubi positivam aliquam legem imponit? An Deus potestatem non haberet, quam aliis communicavit?

Nec meliori jure opponitur libertatem humanam ex istis positivis Dei legibus lædi. Etenim lex non lædit libertatem, sed

præbet homini occasionem eą recte utendi. Si enim nulla lex existeret, ad quid inserviret libertas? Sumus enim in libertate constituti in hoc mundo, ut recto ejus usu, libere nempe legem servando, meritum apud Deum obtineremus. Et hoc notetur, occasionem multo majoris meriti haberi in lege positiva quam in naturali, cum in illa res præcepta non intrinsecis rationibus suadeatur, sed solo superioris auctoritate nitatur; ac proinde major requiratur voluntatis submissio ad positivam quam ad naturalem legem servandam.

Opponitur etiam, sed insulse, legem positivam a Deo impositam, saltem si ex omni parte non intelligatur, seu mysteriosa sit, humanæ naturæ repugnare. Etenim parendi obligatio non requirit intrinsecæ bonitatis aut justitiæ alicujus legis cognitionem, sed ad eam sufficit distincta de hac lege idea et certitudo quod hæc lex a Deo est condita atque revelata. Nam ex hoc solo potest homo legem istam sequi et clare intelligit se ad eam observandam omnino teneri.

Si autem quæratur, quam certum sit, quod instituta et præcepta positiva a Deo possint revelari, dici debet id esse *de fide*, cum ex historia novi et veteris Testamenti omnino pateat Deum id revera fecisse, ac proinde rem esse possibilem.

VII. Corollaria. *a)* Ex dictis *pag.* 125 clare colligitur, in Deo solo dari res, quæ pro homine sunt vere et proprie dicta mysteria, seu quæ per humanam rationem sine revelatione etiam quoad existentiam cognosci non possunt, et per revelationem quoad existentiam cognita, nondum quoad essentiam suam conceptu proprio possunt apprehendi. Cætera enim omnia, quæ sunt præter Deum, non absolute et plene intellectum humanum tam quoad existentiam quam quoad essentiam supergrediuntur. Nunc autem illæ res divinæ, quæ absolute pro homine sunt mysteria, id etiam sunt pro omni intelligentia finita seu creata, cum pro omni intellectu creato idem ac pro homine existat hasce veritates attingendi impedimentum : impossibilitas nempe Deum videndi

facie ad faciem per vires naturales; et rerum creatarum, quæ immediate cognoscuntur, insufficientia ad essentiam divinam plene et adæquate repræsentandam, ita ut ipsa adæquate ex suis operibus cognosceretur. Hæc enim opera nihil aliud nos docent quam Deum rerum omnium creatorem existere eumque esse summe potentem, summe sapientem, summe sanctum et in omnibus summe perfectum; sed nihil ultra de intima Dei essentia declarant.

Quapropter mysteria proprie dicta haud raro et quidem recte definiuntur : veritates, *quas nullus intellectus creatus seu finitus* naturalibus suis viribus neque quoad existentiam apprehendere, neque etiam existentia per revelationem cognita, quoad essentiam conceptu proprio intelligere unquam potest. — Notetur Concilium Vaticanum eodem modo mysteria definire in Const. *Dei Filius*, c. IV, ubi dicit : « Divina enim mysteria suapte » natura *intellectum creatum* sic excedunt, ut etiam revelatione » tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta » et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac » mortali vita peregrinamur a Domino : per fidem enim ambu- » lamus et non per speciem. »

b) Inter mysteria a Deo revelata et naturales veritates pugna nequit existere; nam secus idem esset verum et falsum, vel dicendum esset, aut quod ratio possit intelligere ut veritatem evidentem id quod est falsum, ac proinde quod ipse Deus rationis nostræ auctor nos induxerit ad judicandum verum quod esset falsum; aut quod Deus in revelatione sua possit mentiri; quorum neutrum admitti aut dici absque blasphemia potest. Quocirca ubi certo constat, hoc vel illud mysterium a Deo esse revelatum, a priori novimus istam veritatem, quamvis rationem nostram superet, cum ratione nostra non pugnare. Id clare proponit S. Thomas sequentibus verbis *In Boet. Trin. Proœm.* q. 2. a. 3 : « Dona gratiarum hoc modo naturæ adduntur, quod eam non » tollunt sed magis perficiunt. Unde et lumen fidei quod nobis

» gratis infunditur, non destruit lumen naturalis cognitionis » nobis naturaliter inditum. Quamvis autem naturale lumen » mentis humanæ sit insufficiens ad manifestationem eorum, » quæ per fidem manifestantur, tamen impossibile est, quod ea » quæ per fidem nobis traduntur divinitus, sint contraria his » quæ per naturam nobis sunt indita; oporteret enim alterutrum » esse falsum; et cum utrumque sit a Deo, Deus esset auctor » falsitatis, quod est impossibile..... Sicut enim sacra doctrina » fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen natu- » rale rationis. Unde impossibile est, quod ea quæ sunt philoso- » phiæ, sint contraria iis, quæ sunt fidei; sed deficiunt ab eis. » Continent tamen quasdam similitudines eorum et quædam ad » ea præambula, sicut natura præambula est ad gratiam. »

c) In solvendis objectionibus contra veritatem alicujus mysterii allatis, uti e supra dictis liquet, neque ejus veritas, neque etiam ejus intrinseca possibilitas ex ratione est demonstranda. Etenim cum mysteriorum essentia etiam post revelationem nobis maneat abscondita seu conceptu proprio et adæquato non apprehendatur, non potest fieri ut ex intrinsecis rationibus demonstremus aut rem esse veram aut saltem eam esse possibilem; nam ad utrumque requireretur, ut subjectum et prædicatum conceptu proprio essent cognita; quod per ipsam mysterii notionem excluditur. Nec exigi hujusmodi demonstratio potest, quin mysteriorum existentia eo ipso negetur; uti e rei natura manifestum est.

Id autem solum præstare sufficit : ostendere nimirum, quod demonstrari non potest haberi in mysterio proposito veram contradictionem. Et hoc quidem sequenti modo præstandum est : objectiones, quæ etiam non valerent pro re non mysteriosa, seu quæ etiam cum naturalibus veritatibus pugnant, a nobis refellendæ sunt earum intrinsecam falsitatem demonstrando; nam falsitas earum, quippe quæ cum naturalibus veritatibus pugnent, necessario per rationem demonstrari potest. Verum objectiones, quæ valerent pro re non mysteriosa et intimam mysterii

essentiam respiciunt, unice refellendæ sunt demonstrando objecta principia non esse necessaria, ac proinde nec posse nec debere mysteriis certo applicari. Ultra res refelli non potest, cum intima mysterii essentia sit ignota. — Id clare docet S. Thomas in loco mox citato dicens : « Si quid autem in dictis » philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est » philosophiæ, sed magis philosophiæ abusus ex defectu rationis. » Et ideo possibile est ex principiis philosophiæ hujusmodi » errorem refellere, vel ostendendo *omnino esse impossibile,* » *vel non esse necessarium. Sicut enim ea quæ fidei sunt,* » *non possunt demonstrative ostendi esse falsa, sed potest* » *ostendi non esse ea necessaria.* Sic igitur in sacra doctrina » philosophia possumus tripliciter uti : primo ad demonstrandum » ea, quæ sunt præambula fidei.... Secundo ad notificandum » per aliquas similitudines ea, quæ sunt fidei.... Tertio ad » resistendum his, quæ contra fidem dicuntur, sive ostendendo » esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria. »

d) Cum in divina revelatione contineantur mysteria, seu veritates quæ etiam post revelationem quoad essentiam suam conceptu proprio non intelligantur, et fides catholica doceat post hanc vitam in cœlo ea, quæ nunc fide cognoscuntur, clare, immediate et intuitive conspici a sanctis, liquet triplicem divinam veritatis manifestationem esse distinguendam. *Prima* fit per naturale rationis lumen a Deo nobis concessum, quo immediate cognoscimus res sensibiles et animæ nostræ operationes et mediate animæ nostræ naturam et Deum omnium rerum creatorem, summe sapientem, summe sanctum, summe potentem et in omnibus summe perfectum. *Secunda* autem fit modo extraordinario et supernaturali, seu consistit in immediata Dei locutione ad hominem, qua manifestantur etiam proprie et stricte dicta mysteria, sed ita manifestantur, ut quoad existentiam suam sint cognita, sed quoad essentiam suam maneant occulta, seu conceptu proprio et adæquato ab intellectu

percipi non possint. *Tertia* fit in cœlo, ubi mysteria, quæ hic in terris quoad existentiam solam fuerunt cognita, etiam quoad essentiam suam plene seu ideis claris et intuitivis conspiciuntur. — Prima manifestatio vocatur *cognitio naturalis;* secunda vocatur *revelatio divina* seu *revelatio divina proprie dicta;* tertia vocatur *visio cœlestis* seu *visio beatifica.* — Prima manifestatio est naturalis, seu est pars essentialis naturæ nostræ ac proinde naturæ nostræ debita; secunda et tertia sunt *supernaturales*, seu naturæ nostræ facultatem superantes eique indebitæ. Revelatio autem est initium supernaturalis ordinis; et visio beatifica est ejus consummatio.

Observetur, quod theologi, ubi in *Demonstratione Christiana* revelationem divinam definiunt, de tertia illa manifestatione, quæ fit in cœlo ordinarie sermonem non faciunt; quia nimirum de ipsa disputatio cum incredulis, contra quos Demonstratio Christiana est directa, non instituitur. Unice autem quæritur, an Deus alio modo ac lumine rationis naturalis, homini veritatem manifestare possit, seu an extraordinario et supernaturali modo id facere possit. Et ideo ubi revelationem definiunt, eam tantum distinguunt a cognitione naturali, non vero a visione cœlesti. Dicunt nempe : revelatio est *manifestatio veritatis extraordinario et supernaturali modo facta;* quæ definitio de se visionem beatificam non excludit. Quando autem demonstratum est in revelatione nobis facta contineri mysteria, et hæc mysteria in cœlo esse plene intelligenda, statim apparet distinctio, quæ facienda est inter *revelationem proprie dictam*, quæ hic in terris fit, et *visionem beatificam* in cœlis.

e) Primæ manifestationi, illi nempe quæ fit per naturale rationis lumen, correspondet veritatum naturalium visio et fides humana in homines nos docentes. Secundæ manifestationi correspondet fides divina circa veritates supernaturales a Deo nobis revelatas, tum etiam circa veritates naturales eadem illa revelationis via nobis propositas. Tertiæ manifestationi correspondet

visio veritatum tum supernaturalium tum naturalium. — Secundæ manifestationi soli propria est fides divina, quia in ea sola res admittuntur propter Dei verbum, seu quia pro se habent Dei testimonium, quod ad fidei divinæ actum necessario requiritur.

CAPUT TERTIUM

De notis seu criteriis divinæ revelationis seu de mediis divinam revelationem certe agnoscendi et eam a falsis discernendi.

PRÆNOTANDA

—

I. De necessitate istarum notarum. Notas seu criteria quædam, quibus plene cognosci possit aliquam revelationem certo esse divinam, omnino esse necessaria, ut possimus quamdam revelationem ut divinam acceptare eamque tuto fide amplecti, extra omne dubium ponitur. Nam ut rationabiliter, seu consentanee ad rationem nostram, aliquam doctrinam ut verbum Dei accipiamus, debemus sane prius certo scire eam esse vere a Deo traditam. Sed hoc certo scire non possumus, nisi hæc doctrina stipata sit aliquibus notis seu signis, quibus manifestum est eam non esse doctrinam humanam sed divinam. Ergo necessarium est, ut existant notæ seu criteria, quibus divina revelatio certo possit agnosci et a falsis revelationibus discerni.

Id etiam clare docuit Pius IX, in Encycl. 9 Nov. 1846 : « Humana ratio, ait, ne in tanti momenti negotio decipiatur et » erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, » ut certo sibi constet, Deum esse locutum ac eidem, quemad-

» modum sapienter docet Apostolus (Rom. XII, I), rationabile » obsequium exhibeat. » Et in Vaticano concilio, Const. *Dei Filius*, Cap. III pariter dictum est : « Ut fidei nostræ obsequium » rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus » Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta. » Atque idem clare docuerunt Patres et Scholastici. Ita S. Augustinus *De fide rerum quæ non videntur* c. 5 : « Multi, ait, » falluntur, qui putant, nos *sine ullis de Christo indiciis cre-* » *dere in Christum*. Nam quæ sunt indicia clariora, quam ea, » quæ nunc videmus prædicta et impleta? » Et Suarez *de Fide*. Disp. IV. 2. hæc habet : « Ut propositio objecti fidei sit sufficiens, » debet id, quod proponitur, esse *evidenter credibile* tamquam » a Deo dictum adeoque certum et infallibile, quia judicium, quo » voluntas inducitur ad volendum credere, debet esse *certum et* » *evidens*, fundatum in *evidentia credibilitatis*, ac proinde non » sufficit objectum utcumque proponi tamquam a Deo dictum et » revelatum, sed debet ita proponi cum talibus circumstantiis, » ut *prudenter appareat credibile* eo modo, quo proponitur; » hinc non tantum debet proponi ut *evidenter credibile*, sed » etiam ut *evidenter credibilius* quocumque alio seu doctrina » illi contraria; alias credibilitas gigneret formidinem; imo » debet ita proponi evidenter credibile, ut etiam *ipsa ratio* » *naturalis dictet* esse credendum, et ejusmodi quidem fide, » quæ sit præferenda cuivis opinioni contrariæ. Quamvis enim » res sit supernaturalis potest tamen fieri evidenter credibilis » *fundamentaliter per signa* et alia media sensibus objecta » adjuvante lumine et discursu naturali; quia credibilitas » provenit ex medio extrinseco, quod naturali ratiocinio potest » cognosci. »

Addi hic debet ipsum Christum aperte declarasse quod omnino requiritur, ut revelatio notis seu criteriis veritatis suæ sit stipata. Apud *Joan.* XV, 24, enim dicit : « *Si opera non* » *fecissem in eis, quæ nemo alius facit, peccatum non*

» *haberent;* » h. e. si doctrinam meam talibus miraculis qualia nemo ante me unquam fecit non confirmassem, illi, qui in me nolunt credere, fidem meæ doctrinæ denegando non peccarent. Ergo admittit et docet Christus neminem debere revelationem fide amplecti, nisi ex signis, quibus ipsa est stipata, videat ipsam esse certo divinam; ac proinde signa debere existere, quibus vera revelatio agnosci et a falsis discerni possit.

II. Quomodo dividuntur notæ seu criteria divinæ revelationis generatim sumpta? — Dividuntur *in immediata* et *mediata*. Immediata consistunt in infuso a Deo lumine seu in privata Dei inspiratione, qua alicui clare constat hanc vel illam doctrinam a Deo esse revelatam. *Mediata* autem criteria sunt certa signa, e quibus concludendo deducitur aliquam revelationem esse vere divinam.

Mediata autem criteria divinæ revelationis sola sunt ejus criteria proprie et stricte dicta, quia in judicio ferendo de revelationis christianæ veritate, non divina inspiratione sed mediatis criteriis nitimur; et ideo ubi theologi de criteriis seu notis divinæ revelationis tractant, semper intelligunt notas seu criteria mediata, non vero criteria immediata seu divinam inspirationem.

Præsertim de criteriis mediatis seu proprie dictis hic agere debemus, cum ipsa sola in veritate revelationis christianæ indaganda nobis inserviant. Dein, quæ de divina inspiratione scitu sunt necessaria, tradentur cum de cognoscibilitate prophetiæ seu vaticinii erit sermo.

III. Quomodo dividuntur criteria seu notæ divinæ revelationis mediata seu proprie dicta? — Dividuntur in *interna* et *externa*. — *Interna* sunt illa, quæ ex revelatione ipsa, h. e. ex ipsa doctrina per revelationem nobis proposita, vel ex modo quo hæc doctrina nobis proponitur, petuntur. — *Externa* autem desumuntur ex iis, quæ revelationem comitantur, sed eam proprie tamen non constituunt, seu desumuntur

ex divinis testimoniis ope aliquorum effectuum supernaturalium editis atque revelationem comitantibus.

Interna autem criteria seu notæ possunt rursus esse vel *positiva* vel *negativa*. — *Negativa* demonstrant nihil obstare (seu *negant* aliquid obstare) quominus revelatio, de qua agitur, possit censeri divina; ac proinde ex eis colligitur, revelationem non esse aperte falsam, sed posse veram seu divinam esse. — *Positiva* autem cum majori vel minori certitudine demonstrant revelationem, de qua agitur, revera divinam esse; ac proinde non tantum ut negativa probant rei possibilitatem, sed etiam aliquatenus saltem, ejus existentiam.

Criteria seu notas externa non posse *negativa* esse, sed omnia criteria seu notas externa esse *positiva*, ex ipsa eorum indole intelligitur.

IV. Quænam sunt internæ negativæ notæ revelationis? Sunt præcipue sequentes : 1° *Immunitas doctrinæ propositæ ab omni evidenti pugna cum veritatibus naturalibus quæ sunt omnino certæ aut evidentes*. Cum enim, quæ manifestæ veritati repugnant, vera esse nequeant, et Deus sapientissimus et sanctissimus, qui est auctor tum rationis tum etiam revelationis, neque verum ignorare neque mentiri possit, evidenter liquet revelationem, quæ cum veritatibus naturalibus plane certis aut evidentibus pugnet, divinam censeri non posse. — Animadvertatur tamen 1° quod revelatio contradicere potest veritatibus contingentibus quarum, eo ipso quod contingentes sint, oppositum possibile est; ita v. g. ignis, qui naturaliter urit, virtute supernaturali impeditus potest non urere; et 2° quod in concursu veritatum naturalium et revelatarum attendendum est : *a)* ne errores et contradictiones apparentes pro veris habeamus; *b)* ne expositionem interpretis pro veritate revelata accipiamus; *c)* ne philosophorum placita aut hypotheses absque prævio examine pro indubitatis veritatibus teneamus.

2° *Immunitas doctrinæ a contradictione inter ipsa sua*

principia aut cum præcedenti revelatione. Cum enim Deus omniscius et summe verax revelationis sit auctor, fieri non potest ut revelatio vere divina sententias inter se pugnantes contineat aut cum præcedenti divina revelatione vere pugnet. Notetur iterum hic agi de contradictione vera et non de apparenti; ac proinde ut contradictionem objici non posse legum positivarum mutationem, quæ in subsequente revelatione facta est; nam lex positiva quemadmodum libere conditur etiam libere aboletur.

3° *Immunitas doctrinæ ab omni nequitia aut perversitate.* Etenim hæc Deo sanctissimo quam maxime adversantur; et nihil quod aliquatenus moraliter malum est, ab eo originem potest habere.

4° *Immunitas modi, quo revelatio fit, ab omni fraude vel perversa arte,* quum hæc Deo sanctissimo quam maxime adversentur.

V. Quænam sunt internæ positivæ notæ revelationis?

Positivæ internæ notæ omnes in eo habentur, quod revelatio naturales veritates religiosas et morales integre et absque errore patefacit, seu doctrinam naturalem de Deo, de homine ejusque fine, veram, sanctam, dilucidam, plenam, sublimem et harmonicam tradit. Etenim, considerato hoc facto maxime noto, quod in antiquitate nullus philosophus systema completum atque ab errore immune de Deo, nostrisque erga Deum officiis potuerit invenire, sed contra omnes antiquorum philosophorum doctrinæ erroribus scateant atque abominanda contineant principia; haud sine ratione, si non cum plena certitudine, saltem cum maxima probabilitate inde colligitur systema religiosum, quod revelatum dicitur et ex omni parte doctrinam sanam proponit, non ab homine inventum sed revera a Deo esse revelatum.

VI. Quænam sunt externa revelationis signa positiva?

Sunt *miracula* et *prophetiæ seu vaticinia.* Externa enim

revelationis signa positiva sunt, uti diximus, effectus supernaturales (h. e. vires et exigentiam rerum creatarum superantes) a Deo in mundo externo producti. Jamvero effectus supernaturales, quos Deus in mundo externo producere potest, pertinent vel ad ejus omnipotentiam, vel ad ejus omniscientiam. Sed effectus supernaturales omnipotentiæ Dei vocantur *miracula*, et effectus supernaturales ejus omniscientiæ vocantur *prophetiæ* vel *vaticinia*. Ergo. — Hæc duo signa externa clare proposuit Conc. Vaticanum (Const. *Dei Filius*, c. 3) dicens : « Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit » Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis *externa* jungi » *revelationis suæ argumenta*, facta scilicet divina, atque » inprimis miracula et prophetias quæ cum Dei *omnipotentiam* » et *infinitam scientiam* luculenter commonstrent, divinæ » revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ » accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse » maxime Christus Dominus, multa et manifestissima miracula » et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus : illi autem » profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante et ser- » monem confirmante, sequentibus signis. Et rursus scriptum » est : Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene » facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. »

VII. Quomodo ad revelationis cujusdam veritatem demonstrandam inserviunt 1° notæ negativæ; 2° notæ positivæ internæ; 3° notæ positivæ externæ?

1° Notæ negativæ, uti jam notavimus, non demonstrant neque cum plena certitudine neque etiam cum aliqua probabilitate revelationem propositam esse vere divinam, sed tantum eam posse divinam esse evincunt. Unde ipsæ magis ad dijudicandam falsitatem spuriæ, quam ad probandam veritatem genuinæ revelationis inserviunt. Si enim alicui revelationi notæ istæ desunt, certe illa a Deo non est profecta. Quapropter ex his negativis notis solis jam apparet polytheismum, dualismum,

idololatriam, uno verbo omnes religiones antiquorum gentilium, quas sibi a Deo obvenisse putabant, atque etiam plurimas doctrinas hæreticas, divinam revelationem certo non esse, cum in eis puncta sint, et sæpe plurima, quæ aperte cum ratione naturalique lege pugnent.

2° Notæ internæ positivæ multum quidem in indaganda vera revelatione prodesse possunt iis qui scientia et magno ingenio sunt præditi, aut qui jam credunt, ut magis magisque confirmentur in fide; sed pro hominibus in universum sumptis sunt parum aptæ et accommodatæ ad tuto seu plena cum certitudine veram revelationem inveniendam. Etenim *a)* istæ notæ sunt *ambiguæ* et *incertæ;* nam quis determinabit sublimitatis et elevationis gradum, qui requiritur, ut aliqua doctrina non amplius censeri possit opus humanum et necessario debeat ut Dei verbum haberi? *b)* Sunt etiam *subjectivæ,* et inde arbitrariæ : quod enim uni videtur sublime, alteri videbitur vulgare et quotidianum imo absurdum et contradictorium, maxime ubi urgent vehementiores quædam passiones. Ita mysteria, quæ fidelibus videntur sublimia, absurda reputantur ab incredulis. *c)* Paucis etiam sunt *accommodatæ,* nam nonnisi paucorum ingenium ita est excultum, ut possit diversa doctrinæ capita rite expendere, atque invicem comparare, ut totius revelationis sublimitatem et harmoniam admiretur.

3° Notæ externæ sunt omnino certæ seu plena cum certitudine demonstrant revelationis veritatem, cum sint clara ipsius Dei testimonia, ac insuper omnibus sint accommodata, nam in oculos incurrunt et quasi manibus possunt palpari.

Id etiam aperte docetur in Vaticano Concilio, in quo dicitur, quod miracula et prophetiæ *signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata.*

VIII. An in inquirenda divina revelatione non solum positivæ sed etiam notæ negativæ sunt necessario adhibendæ?

Notæ negativæ non sunt per se necessario adhibendæ.

Etenim, ubi per notam positivam plene est demonstratum aliquam revelationem esse certo divinam, eo ipso constat eam posse divinam esse seu negativis ornatam esse notis. Tantum adhiberi debent ad pleniorem obtinendam rei scientiam, ad difficultates nobis propositas solvendas, et ad refellendas falsas doctrinas, quibus impugnamur.

Sedulo hac in re est notandum, quod notarum negativarum usus periculum parere potest, ubi agitur de mysteriis. Facile quis posset velle plenam et perfectam mysteriorum acquirere ideam, atque mysteria, quæ non intelligit, ut falsa habere eaque rejicere : quod omnino esset absurdum et impium, cum mysteria talis sint naturæ, ut captum nostrum omnino superent, et revelatio fide sit accipienda, non quia ejus doctrinam evidenter intelligimus, sed quia ipsa est infallibile Dei verbum, quod summa fide est dignum eamque etiam exigit.

Bene igitur observetur in veræ revelationis inquisitione attendendum potius esse ad externa testimonia, quibus factum revelationis nititur, quam ad ejus cum philosophicis veritatibus concordiam.

IX. Quinam sunt circa revelationis notas seu criteria præcipui errores?

1° Deistæ sæc. XVII et XVIII sicut plerique nostri temporis naturalistæ, qui revelationem ipsam quidem negant sed tamen revelationis nomen adhuc retinent, censent unicum medium dijudicandi divinam originem doctrinæ, quæ uti revelata exhibetur, esse ejus *conformitatem cum principiis rationis*. — Hæc autem doctrina est necessario falsa, nam ista conformitas alicujus doctrinæ cum rationis principiis ostendit quidem eam esse veram, sed nullo modo probat eam esse revelatam; cum revelatio sit factum et idcirco testimoniis indigeat ut probetur. Præterea, admissa hac doctrina, rejicienda a priori est omnis revelatio quæ mysteria contineat, cum demonstrari a nobis nequeat mysteria cum ratione nostra esse positive conformia. —

Verum hæc doctrina optime consonat systemati, quod isti pravi doctores de revelatione proponunt. Non aliam enim revelationem ac mentis nostræ doctrinam seu philosophicam scientiam ut possibilem admittunt; sed scientiæ philosophicæ, seposita divina revelatione in sensu catholicorum accepta, aliud criterium non habetur ac ejus conformitas cum rationis principiis; ergo ut sibi consentanei manerent, non alia revelatione ac mentis dictamine admissa, necessario aliud revelationis criterium admittere non potuerunt ac doctrinæ propositæ cum ratione conformitatem.

2° Plurimi Protestantes etiam in errore versantur circa hoc punctum. Pluribus enim ex ipsis nullum aliud medium est agnoscendi aliquam revelationem ut divinam, ac ipsam revelationem : putant nempe revelationem unicuique interius ac immediate fieri, et consequenter unumquemque habere illud, quod vocant, Spiritus S^ti testimonium, quo plene certi sunt de doctrina, quam fide amplectuntur. — Verum id admitti nequit, quin de medio tollatur revelatio mediata, et quin toti Scripturæ, Patrum et christianæ antiquitatis doctrinæ, quæ expresse alia criteria mediata proponit, uti ex dicendis de miraculis et prophetiis patebit, contradicatur.

Alii autem pro criterio revelationis nihil aliud admittunt ac instinctum quemdam cœcum, quo quis impellitur ad credendum, quin sit ulla ratio manifestans revelationis veritatem. Sed hæc sententia evidentissime est falsa; nam si fidei actus cœco nitatur instinctu et a ratione non sit imperatus, jam libertas non habetur in fide amplectenda; et negata fidei actus libertate, eo ipso ruit tota œconomia divinæ revelationis et fidei divinæ. Præterea qui libertatem in actu fidei negant, eam quoque in aliis actibus moralibus inficiantur, cum eadem sit omnium actuum moralium ratio, et ita totum moralem ordinem destruunt.

3° Tandem quidam ultrasupranaturalistæ (h. e. qui rationem

humanam naturalesque vires nimis deprimere tentarunt) opinati sunt ex omnibus revelationis notis supra a nobis indicatis non veram et plenam certitudinem, sed tantum probabilitatem aliquam de revelationis facto obtineri posse; atque ex sola fide veræ religionis notitiam demum esse acquirendam. Ita opinari visi sunt Ill. Huet et recentius D. Bautain (Philosophie du Christianisme II. p. 480). — Hæc autem doctrina naturaliter ex illo fluit systemate, quod tenet absque revelatione nullam cognitionem intellectualem vel saltem nullam cognitionem suprasensibilem cum vera certitudine obtineri posse, atque fidem esse verum et ultimum fontem unde vel omnis cognitio vel saltem omnis cognitio suprasensibilis cum plena certitudine depromitur. Verum hoc systema est falsum et absurdum, uti supra p. 62 demonstravimus, ac proinde et hæc conclusio ex ipso desumpta est rejicienda. Præterea hæc theoria ab Ecclesia catholica expresse est reprobata; Innocentius XI enim damnavit hanc propositionem : « *Assensus fidei supernaturalis et utilis* » *ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis,* » *imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus* » *Deus.* »

X. Quomodo præsens materia de divinæ revelationis notis seu criteriis est dividenda?

Unice agere hic debemus de revelationis signis externis : scilicet de miraculis et de prophetiis seu vaticiniis, nam de aliis revelationis criteriis aut negativis aut positivis, sed internis nihil speciatim est notandum. Jamvero quæcumque de hisce punctis in quæstionem hic venire possunt, ad hæc tria capita optime revocantur : num miracula et vaticinia *possibilia sunt;* num *cognosci possunt*, et num in confirmationem alicujus revelationis, quæ divina dicitur, facta *probandi vim habent.* In una sectione agemus de miraculis, et in altera de prophetiis seu vaticiniis.

SECTIO PRIOR

De Miraculis

Quædam pro rei claritate, de notione et divisione miraculi necessario hic sunt præmittenda. Inde :

I. Quid significat vox miraculum ex etymo suo?

R. Miraculi vox a *miro* vel *mirando* dicitur ; et inde miraculum in latissima vocis significatione id omne dicitur, quod causam habeat, quæ captum percipientis excedat et ita ejus admirationem moveat. Mirari enim solemus, cum aliquid evenire videmus, præter rerum exspectationem, vel cum ea eveniunt, quorum causas saltem aliquatenus ignoramus. — Hunc sensum latissimum in mente certe habuit S. Augustinus ubi miraculum dixit esse : « *quidquid arduum aut insolitum « præter spem et facultatem admirantis apparet.* » (De utilitate credendi c. 16) ; et ubi affirmavit *mundi creationem et gubernationem omnium maximum esse miraculum* (In Joan. Tr. 24).

Observetur, quod, si jam miramur, ubi opus videmus cujus causa nobis est occulta, magis etiam miramur, cum secundum consuetum naturæ ordinem contrarium potius exspectandum nobis erat, et quod maxime miramur, cum operis causam occultam in ipsa rerum creatarum natura inesse nullo modo suspicari possumus. Opus autem mirum hujus ultimi generis illud est, quod proprie et stricte miraculum nominari solet, uti mox dicemus.

II. Quid est miraculum stricte et proprie dictum?

R. Miraculum stricte sumptum, de quo hic agimus, est *opus sensibile et mirabile, quod omnes omnium rerum creatarum vires superat, et singulari Dei interventu est effectum.* Opus *sensibile* h. e. quod sub sensus cadit, seu quod in aspectabili

rerum natura fit. Usus enim voluit ut hoc nomen nonnisi operibus externis proprie tribueretur. Inde mira opera quæ Deus occulte in hominis anima producit, aut etiam Eucharistiæ consecratio aliaque hujusmodi, cum nulla ratione ad sensibilem pertineant ordinem, miracula proprie dicta jam esse non possunt.

Mirabile, h. e. quod non est secundum solitum rerum cursum, sed insolitum et rarum est causamque habet occultam et inde admirationem movet. Ortus v. g. et occasus solis, tonitru et fulgur non sunt proprie res *mirabiles*, quia non sunt insolita aut rara nec causam ignotam habent, sed ad consuetum naturæ ordinem pertinent, et ab omnibus ut naturalium rerum effectus sunt cognita. Verum resurrectio mortui est opus omnino mirabile, cum non sit solitum nec frequenter fiat, et causam in consueto naturæ cursu non habeat. Quod autem solitum est et frequenter fit, semper et necessario supponitur causam habere in naturali ordine.

Verba autem *opus sensibile et mirabile* dant notionem generícam de miraculo proprie dicto. Pertinet nempe miraculum proprie dictum ad genus operum, quæ simul sensibilia et mirabilia sunt. In sequentibus definitionis verbis habetur ejus nota specifica.

Quod omnes omnium rerum creatarum vires superat, h. e. quod a nullo ente creato potest produci, vel saltem non produci in tali circumstantia et tali modo ac nunc productum est. Ergo miraculum superare debet vires tum naturæ irrationalis, tum naturæ humanæ, tum etiam angelorum et dæmonum; ac proinde effectus qui produci potuit vel a natura irrationali, vel ab homine, vel ab angelo, vel a dæmone, quantumvis etiam mirabilis sit, miraculum proprie dictum vocari nullatenus potest. Quare effectus electricitatis et magnetismi atque mira quæ ab artibus ad majorem in dies perfectionem adductis producuntur, mirabilia possunt dici opera sed non vera miracula, utpote creatæ naturæ

vires non superantia. Mortuum autem resuscitare, morbum gravem, tantum aliquod signum adhibendo vel infirmum tantum manu tangendo sanare, en opera quæ vere superant omnes naturæ creatæ vires.

Et singulari Dei interventu est effectum; h. e. quod, uti ex antecedentibus liquet, non ab aliquo ente creato effici potuit ac proinde a solo Deo est effectum; attamen quod a Deo effectum est non actione consueta et ordinaria, quæ ab entibus creatis, ut ipsa servari possint, exigitur, sed actione omnino insolita et extraordinaria, quæ ad mundi conservationem non requiritur. — Ita concursus universalis, quem Deus omnibus entibus ad eorum conservationem tribuit, et creatio animarum, sunt quidem actiones quæ entium creatorum vires superant, et a Deo solo effici possunt; atvero non sunt actiones Dei insolitæ et extraordinariæ, sed ordinariæ cum ad conservationem mundi omnino exigantur. Sine concursu enim universali, quem Deus dat, nullum ens in existendo perseverare posset. Similiter anima humana non potest aliter ac Dei creatione existentiam habere, et consuetus productionis ordo est, ut, materia in utero matris disposita, a Deo creatur anima. — Contra vero actio Dei qua mortuum ad vitam revocat, qua plura hominum millia aliquot panibus nutrit, est actio vere singularis, seu insolita et extraordinaria, quæ ad consuetum naturæ ordinem non pertinet et ab eo non exigitur. Similiter si Deus aliquam animam crearet, quin per carnalem actum materia ad hominem generandum fuisset disposita, haberetur actio Dei insolita et extraordinaria, qualis ad miraculum requiritur, cum ipsa præter consuetum naturæ ordinem locum haberet.

Inde colligitur miracula non esse, neque Missæ consecrationem, quia certe caret dote visibilitatis, h. e. quia sub sensus non cadit; neque mira naturæ et artis opera, uti effectus fulguris et magnetismi, stupenda humanæ industriæ opera, miras curationes a doctis medicis et chirurgis effectas, cum hæc omnia naturæ

vires non superent; neque etiam mundi conservationem et animarum creationem, quia, quamvis rerum creatarum vires superent, tamen singulari Dei actione non efficiuntur. Miracula autem proprie dicta indubie sunt mortuos ad vitam revocare, aquam in vinum verbo transmutare, millia hominum minima cibi mensura nutrire; nam in hisce operibus ea omnia adsunt, quæ ad veri miraculi notionem requiruntur; sunt enim opera sensibilia et mirabilia, quæ omnes omnium rerum creatarum vires superant, et singulari Dei actione sunt effecta.

III. Quænam falsæ miraculi definitiones præcipue sunt attendendæ et vitandæ?

R. Præcipue attendendæ et vitandæ sunt definitiones datæ a Naturalistis, necnon istæ, quæ propositæ fuerunt a Clarckio, Bonnet et Houtteville, viris ceteroquin cum recta intentione agentibus, et scriptis suis fidei nostræ hostes intendentibus confutare.

Naturalistæ, cum omnem supernaturalem Dei actionem in mundum negent, miraculi definitionem supra propositam omnino rejiciunt et dicunt miraculum nihil aliud esse ac *effectum naturalem ex causis nobis ignotis provenientem*. Quidam tamen concedunt eos effectus a divina providentia ad cultum Dei promovendum dirigi. Wegscheider, unus e præcipuis rationalismi doctoribus, miracula ita definit. « *Sunt eventa mirabilia,* ait, » *quæ Deo moderante ita comparata sunt, ut spectatores* » *ad certam divinæ providentiæ efficientiam agnoscendam* » *excitent eosque ad fidem novæ religionis doctori habendam* » *moveant.* » — Inde, ubi rationalistæ miraculosa facta in libris sacris offendunt, ea habent ut mythos vel ita mutilant ac contorquent, ut ipsa tamquam naturalia facta explicare valeant; quemadmodum infra latius dicemus.

Clarckius (Anglus, m. 1729), ut facilius miracula explicaret, eorum apertius demonstraret possibilitatem et plenius objectiones confutaret, quæ ex legibus naturalibus petebantur, se-

quentem proposuit sententiam de miraculorum essentia in suo tractatu de Religione Christiana c. XIX : Nullæ, ait, sunt materiæ vires nullaque activitas, et omnia fiunt per Deum immediate per se vel per creaturas intelligentes. Hinc proprie loquendo, naturæ vires sunt Dei operatio, ac naturæ cursus nihil aliud est, ac voluntas Dei, prout modo quodam uniformi in singulis casibus agit. Quodsi aliquando aliter agit, ratione scilicet ordinario ejus agendi modo non conformi, miraculum habetur.

Houtteville (Gallus, m. 1742) censet unum esse causarum naturalium ordinem a Deo ita dispositum, ut ex ipso tum consueti effectus ex legibus notis dimanent, tum ex ignotis effectus inconsueti et mirabiles, quæ miracula vocamus. Hinc juxta ipsum miraculum est effectus insolitus ab occultis naturæ legibus procedens.

Tandem Bonnet docet, duas constitutas esse a Deo series causarum ex quarum prima consuetus naturæ cursus dimanat, et ex quarum altera insueti effectus, qui præter consuetum naturæ cursum, in certis quibusdam locorum, personarum et circumstantiarum adjunctis, a Deo paratis eveniunt, originem ducant. Unde miraculum est effectus consueto naturæ cursui contrarius, ex occulto causarum naturalium ordine Deo præparante promanans.

Definitiones autem istas a Clarckio, Houtteville et Bonnetto inventas et propositas admitti non posse et rejiciendas esse facile liquet. Illi enim auctores, ubi, jam admisso quod miraculum est vera divinæ revelationis positiva nota, tales miraculi definitiones proponunt, aperte sibi contradicunt. Etenim in eorum systemate miraculum jam non est externum omnipotentiæ divinæ speciale signum, cum juxta ipsos non essentialiter sed accidentaliter tantum a consuetis naturæ effectibus distinguatur et præter consuetum naturæ ordinem non fiat; ac proinde etiam non manet positiva revelationis nota, cum ad hujusmodi notam necessario requiratur

res, quæ omnino extra consuetum naturæ ordinem a Deo sit facta, et proinde essentialiter a naturalibus effectibus distincta. Liquet igitur illos auctores debere aut negare quod miracula veræ sint divinæ revelationis notæ positivæ, aut rejicere suam de miraculo definitionem. Sed negare neque volunt neque possunt (si velint catholicam servare fidem) miracula esse veras divinæ revelationis positivas notas; ergo rejicere debent illam, quam tradunt, miraculi definitionem.

Præterea nemo non videt fundamentum, quo nititur definitio Clarckii, omnino esse falsum. Supponit nempe nullas esse in materia vires, sed hoc a nulla schola, neque a catholica, neque ab heterodoxa neque ab incredula admittitur et aperte cum sensu communi pugnat; ac proinde a nemine potest ejus theoria accipi.

Tandem istæ tres definitiones adversariis videntur concedere quod concedi eis non potest. Videntur nempe concedere, quod Deus legibus naturæ derogare non potest; et hoc sane nulla ratione potest admitti, quin offendatur divina omnipotentia, uti infra demonstrabimus.

Observetur tamen Houtteville salvare in miraculo studuisse characterem notæ positivæ divinæ revelationis, servata sua miraculi definitione. Sequenti nempe modo id efficere est conatus : prædicator ille religionis, ait, qui ad miracula juxta ejus nutum evenientia provocat, scire non potest tales effectus nunc eventuros, nisi occultæ rerum leges et earum cursus per revelationem divinam aut per propriam humanæ cognitioni superiorem scientiam sibi notæ sint. Jamvero in primo casu manifesta est cooperatio Dei cum illo legato, et in altero hic legatus se probat ut ens homine excellentius a Deo missum. — Atvero hæc explicatio laboriose quæsita nullatenus miraculo characterem illum servat quo est positiva divinæ revelationis nota. Etenim si prior hypothesis admittatur, jam non habetur miraculum, sed vaticinium; nam manifestatio rerum occultarum, quæ a Deo solo sunt notæ, est signum non divinæ omnipotentiæ,

sed divinæ omniscientiæ, et ad vaticinium reducitur quod alteram divinæ revelationis positivam notam constituit; ac proinde in hac hypothesi non servatur miraculum ut vera divinæ revelationis positiva nota. In altera autem hypothesi vel legatus ille factus est ens homine excellentius per Dei miraculum, h. e. per Dei actionem, quæ præter communem est naturæ cursum, vel talis est non præter naturæ cursum sed ex naturæ viribus. Si primum admittatur, habetur in illa legati excellentia vera divinæ revelationis positiva nota, sed hæc explicatio istius excellentiæ non potest ab Houtteville, si suum systema servare velit, accipi, cum in ea admittatur effectus præter consuetum naturæ cursum a Deo positus. Si autem accipiatur alterum, jam non habetur positiva divinæ revelationis nota; nam undenam constat, istum legatum, quamvis homine sit excellentior, ubi testatur doctrinam, quam proponit, Deum ut auctorem habere, neque falli neque nos fallere? Undenam in casu certo demonstratur, revelationem ut divinam propositam, vere et indubie divinam esse? Liquet igitur explicationem ab Houtteville inventam et acriter defensam omni destitui fundamento ac proinde omnino esse respuendam. — Notetur etiam miraculorum descriptionem, quam in libris sacris offendimus, cum ficta ista explicatione ab Houtteville inventa omnino pugnare. Miracula enim Christi in Scriptura sacra ita describuntur, ut appareat ipsum Dominum esse, qui omnipotenti sua virtute effectus istos supernaturales producit, et Eum ad opera mirabilia, quæ facit, ut ad opera divinæ omnipotentiæ provocare. Non appellat enim, ubi facit miraculum, ad scientiam, quam de occultis naturæ viribus habet, sed ad suam potentiam, qua producere potest effectus, qui naturæ vires superent, et ex hac sua potentia missionem divinam, quam habet, demonstrat. Id aperte constat ex istis Domini verbis : « Quid est facilius dicere : dimittuntur tibi » peccata, an dicere : surge et ambula? Ut autem sciatis quia

» filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait » paralytico), tibi dico : surge, tolle lectum tuum et vade in » domum tuam. » *Luc.* V. 23, 24. Jamvero in hypothesi ab Houtteville proposita Christus appellando ad potentiam suam, cum revera ad suam scientiam debuisset appellare, pia fuisset fraude usus; quod sane neque asseri neque supponi licite potest.

IV. An miraculum et alia nomina obtinet et quænam?

R. In SS. Litteris aliisque etiam in libris miracula dicuntur quoque *portenta*, ob effectum nempe extraordinarium et insolitum; *prodigia* et *signa*, quia eis inest significatio præsentis et agentis Dei; *virtutes* atque *opera* seu *operationes Dei* quasi virtutes et opera Dei per eminentiam.

V. Quid ex prædictis concludendum est de auctore miraculorum; utrum nempe miraculi auctor est solus Deus, an vero etiam angeli possunt miraculi esse auctores?

R. Solus Deus propria virtute efficere potest miracula. Angeli autem boni, non vero mali efficere possunt miracula tamquam Dei instrumenta; sed omnes angeli sive boni sive mali propria virtute efficere possunt mira et præstigia.

a) Solum Deum et nullum angelum posse propria virtute miracula proprie dicta efficere, ex miraculi definitione supra data immediate fluit. In ea enim habetur, quod miraculum est *effectus omnes omnium rerum creatarum vires superans et singulari Dei interventu productus*; jamvero angeli sunt Dei creaturæ et earum vires sunt a virtute Dei distinctæ eique omnimodo subordinatæ; ergo ex definitione ista sequitur miraculum a solo Deo, et nulla ratione ab aliquo angelo vere effici posse. — Præterea si non Deus solus sed etiam angeli vera miracula virtute propria efficere possent, jam inde fieret, quod miracula non amplius essent veræ notæ positivæ, quibus revelatio ut divina proposita vere divina esse demonstratur; nam de locutione a Deo facta, quis, nisi solus Deus, potest

infallibile dare testimonium vel nos plene certiores reddere? Si opus aliquod, humanas superans vires, propria alicujus angeli virtute esset, in alicujus doctrinæ ut revelatæ propositæ favorem effectum, hoc angelicum testimonium sufficientem non haberet auctoritatem, ut ea sola nixi revelationem nobis propositam ut divinam possemus accipere; nam non sine causa suspicari possemus forsan hunc angelum in errore versari. Et hoc præcipue suspicaremur antequam Dei revelatione de angelorum natura et conditione essemus edocti; nam sine divina revelatione nonnisi paucissima de angelis nobis essent cognita. Unde angelicum testimonium nullo modo sufficiens foret, ut eo solo nixi tuto aliquam revelationem ut divinam admitteremus.

b) Angelos bonos posse Dei ministros esse in miraculis perficiendis per se liquet; nam ex natura sua sunt ad Deo in operibus ejus ad extra serviendum destinati, et ex parte miraculi nihil obstat, quominus in ipso perficiendo Deo ministerialiter assistant, uti patebit ex dicendis de modo, quo ministri Dei in miraculis esse possunt. — Sequentibus autem modis angeli possunt Dei ministri esse in patrandis miraculis, uti explicat S. Thomas (De Potent. q. 6; a. 4.): „ *Primus* modus est, ait, „ precibus impetrando..... *Alius* modus est, secundum quod „ angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc quod „ miraculum fiat; sicut quod in resurrectione colligent pulveres „ mortuorum, qui divina virtute reducentur ad vitam..... *Ter-* „ *tius* modus est, quod operentur etiam aliquid coagendo..... „ Qualiter autem hoc esse possit, considerandum est. Constat „ quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem „ quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, „ scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet angelis, „ pervenit, ut in legis latione apparet; et per hunc modum, per „ spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corpo- „ rales creaturas pervenire potest, ut per eos quodammodo

» naturæ præsentetur divinum præceptum; et sic agant quodam-
» modo spiritus humani vel angelici, ut instrumentum divinæ
» virtutis ad miraculi perfectionem (confectionem)..... Nec est
» mirum si per hunc modum spirituali creatura Deus instru-
» mentaliter utitur ad faciendum mirabiles effectus in natura
» corporali, cum etiam natura corporali utatur instrumentaliter
» ad spirituum justificationem, uti in sacramentis patet. »

Verum eadem potestas non conceditur angelis malis seu dæmonibus; quod sequenti ratione clare probat S. Thomas (De Potent. q. 6. a. 5.) : « Cum, ait, operatio miraculosa sit
» quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis
» et veritatis; si dæmonibus, quorum est *tota voluntas ad*
» *malum,* aliqua potestas daretur faciendi miracula; Deus
» falsitatis eorum existeret testis; » h. e. cum dæmones in operibus suis erga homines nihil aliud intendant ac homines decipere et ad peccatum adducere, Deus, per ipsos miracula patrando, eorum falsitatem seu fraudes comprobaret : quod divinæ perfectioni omnino repugnat.

Hic observandum est, quod Deus simili ratione ac angelis bonis etiam hominibus bonis ut instrumentalibus causis uti potest. Isti enim possunt esse Dei ministri primo et tertio modo, quos de angelis memoravimus; secundo autem modo id esse non possunt, quia naturalis angelorum virtus major est humana. — Quod autem ad malos homines attinet, de ipsis non eodem modo ac de dæmonibus est judicandum; nam eis quoque potest quandoque Deus ad miracula patranda uti. Dico *quandoque;* quia Deus non ad omnia sed tantum ad quædam miracula eos ut instrumenta adhibere potest. Miracula enim, quæ Deus facit, sunt vel in alicujus hominis utilitatem, v. g. ad sanitatem restituendam, vel in testimonium sanctitatis thaumaturgi, vel in testimonium veritatis alicujus doctrinæ. Jamvero in miraculis, quæ vel primum vel tertium ex hisce finibus obtinent, Deus malorum hominum ministerio uti potest, modo tamen

talia sint rerum adjuncta, ut ex miraculo ope pravi hominis patrato nihil in approbationem pravorum ejus morum aut alicujus falsæ doctrinæ deduci valeat. Et ratio, cur Deus hisce duobus in casibus malorum hominum ministerio uti possit, dum nunquam uti potest dæmonibus, in eo est, quod dæmones sunt toti in malo, et nihil aliud ac malum intendunt, cum perpetuo Dei odio sint moti; dum contra mali homines non semper malum intendunt, sed adhuc bonos actus ponere possunt. Atvero, cum in miraculo secundus ex prædictis finibus intenditur, tunc nullatenus potest Deus pravorum hominum ministerium in miraculo patrando adhibere, si quidem id faciendo testimonium sanctitatis homini pravo præberet. — Notetur tamen, ea omnia, quæ hic diximus, magis theoretice esse accipienda, quam practice; nam practice maxime rarum est, ut Deus pravo aliquo homine ad miracula peragenda utatur : gratia enim miraculorum est honor qui proprie reservatus est sanctis.

c) Quod tandem tam boni quam mali angeli propria virtute mira et præstigia efficere possunt, ita demonstramus.

1° Possunt certe efficere *mira*, i. e. opera quæ naturales vires quidem sibi derelictæ non possunt producere, sed quæ ab aliquo ente intelligente per modum artis seu mediante quadam naturalium virium dispositione effici possunt. Etenim facultas operandi mira per modum artis competit iis omnibus, qui naturæ vires bene cognoscunt, et eas cum ordine disponendi potentiam habent; et ita homines periti, qui melius quam cæteri vires naturæ sibi notas habent easque in novo bonoque ordine disponunt, effectus vere mirabiles producunt. Jamvero angeli virium naturalium cognitionem et eas disponendi potentiam certe habent, et quidem in gradu, qui longe illo, in quo homines etiam peritissimi eas habent, est superior. Ergo.

Quod autem ipsi naturæ vires cognoscunt, et quidem multo perfectius quam homines, ex perfectione intelligentiæ ipsorum per se fluit. Ipsoru enim intelligentia certe toti eorum naturæ

debet correspondere; sed hæc natura longe nostram superat; ac proinde per suam intelligentiam non solum ea omnia possunt percipere, quæ nos attingimus, sed insuper plurima alia, quorum nos ne possibilitatem quidem suspicari possumus. — Dein eos etiam potentiam habere naturales vires disponendi, et hanc ipsorum potentiam humana longe esse superiorem, pariter immediate ex eorum natura deducitur. Si anima humana potentiam habet corpus, quod informat, tam mirabiliter movendi, quanta non debet esse angelorum ad corpora movenda potentia, cum ipsi multo perfectiores sint anima humana. Extra omne dubium est eos multo vehementius, multo celerius, multo aptius materiam movere posse, quam homines. Constat ergo angelos sapientia et corpora movendi potentia longe humanas facultates superantibus esse præditos; ac proinde eos certe producere posse opera vere *mira*. — Notetur angelorum opera hominum operibus etiam inde mirabiliores esse, quia, cum ipsi sint spiritus invisibiles, etiam eorum operatio sub sensus non cadat, seu occulta sit.

2° Possunt etiam facere *præstigia* h. e. illusiones per aliquam in phantasia vel in sensibus immutationem seu turbationem productas; nam commovere possunt et phantasiam et sensus. — Quod phantasiam commovere possunt aperte liquet. Etenim apparitiones imaginariæ seu illusiones haud raro in nobis non tantum dormientibus sed etiam vigilantibus ex humorum et sanguinis per morbum turbatione aut ex turbulento nervorum motu oriuntur, uti ex quotidiana experientia in personis morbo affectis constat. Sed angeli possunt sanguinem, humores et nervos commovere et mutare. Ergo. — Possunt etiam commovere sensus. Etenim sensus dupliciter immutari possunt, vel per causam externam, per objectum nempe, quod eis objicitur, vel per causam internam, h. e. per organi sensitivi turbationem. Novimus enim, quod lingua infirmi, ex organi sui sensitivi turbatione, omnia ut amara sentit; quod oculi, ob aliquam

internam turbationem, falsos apprehendunt colores; et similia etiam in aliis sensibus contingunt. Jamvero utroque modo possunt angeli hominum sensus naturali sua virtute commovere Possunt nempe exterius aliquod objectum proponere, quod celerrime ex alio loco attulerunt, vel quod ex aëre formarunt; et similiter possunt interius commovere sanguinem, nervos et organa, et ita vario modo sensus immutare. Ergo.

Circa ea omnia, quæ sub littera *c)* diximus, notetur imprimis, hæc non minus valere de malis angelis, quam de bonis, quia mali angeli per peccatum suum suamque damnationem nihil de naturalibus suis facultatibus amiserunt, ac proinde et intellectum et potentiam sua naturalia cum tota eorum naturali perfectione servarunt. — Attamen sedulo quoque observetur, ea omnia unice esse intelligenda de *absoluta* angelorum potentia; siquidem in suæ potentiæ exercitio omnimodo divinæ voluntati sunt subjecti. Possent quidem angeli, si nudam eorum facultatem naturalem spectemus, homines et animalia occidere, terræ plantas, arbores et fruges destruere, montes commovere, ignem domibus et ædificiis apponere, homines quotidianis illusionibus decipere; sed in exequendis istis operibus plene sunt a Deo dependentes; et Deus certe nunquam permittit ut talia faciant, quibus universi ordo inverteretur. Angeli boni libenter et voluntarie Deo subjecti sunt; mali autem invite, sed tamen efficacissime, ita ut absolute nihil mali possint in mundo perficere, quando Deus, supremus ordinis custos, id non permittit. (Suarez. *De Angelis*, L. IV. c. 27.)

VI. Quomodo apte dividi possunt miracula?

Miracula apte possunt et solent dividi sub duplici respectu : sub respecti modi, quo facultatem naturalium virium superant, et sub respectu modi, quo sunt extra naturalem ordinem.

Sub priori respectu dividuntur in miracula : *a) quantum ad substantiam facti; b) quantum ad subjectum in quo res fit; c) quantum ad modum quo res fit.*

Sub altero respectu dividuntur in miracula : *a) supra naturam; b) contra naturam; c) præter naturam.*

Priorem divisionem ita explicat S. Thomas (I. q. 105. a. 8.) : « Excedit, ait, aliquid facultatem naturæ tripliciter : uno modo » *quantum ad substantiam facti,* sicut quod duo corpora sint » simul (in eodem puncto spatii), vel quod sol retrocedat, aut quod » corpus humanum glorificetur (h. e. quatuor dotes gloriosas » accipiat); quod nullo modo natura (h. e. nullum ens finitum » seu creatum) facere potest; et ista tenent *summum* gradum in » miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non » quantum ad id quod fit (h. e. quantum ad substantiam facti), » sed *quantum ad id in quo fit* (h. e. quantum ad subjectum in » quo fit miraculum), sicut resuscitatio mortuorum, et illumi- » natio cœcorum, et similia. Potest enim natura causare vitam » (per generationem nempe) sed non mortuo; et potest præstare » visum (per generationem nempe et per morbi oculorum cura- » tionem) sed non cœco (cui organum visus deest); et hæc tenent » *secundum* locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid » facultatem naturæ *quantum ad modum et ordinem faciendi;* » sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febri curatur » absque curatione et consueto processu naturæ in talibus; et » cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque » naturalibus causis sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ » (I Reg. XII et III Reg. XVIII); et hujusmodi tenent *infimum* » locum in miraculis. Quælibet tamen horum habent diversos » gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem » naturæ. »

Alteram divisionem non minus dilucide exponit S. Thomas in Disp. sua *De Miraculis* art. 2. ad 3 : « Circa ea, inquit, quæ » Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio, ut quæ- » dam dicantur fieri *supra naturam*, quædam *contra natu-* » *ram*, et quædam *præter naturam*. Supra naturam quidem » in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo

» modo potest; quod quidem contingit dupliciter; vel quia ipsa » forma inducta a Deo omnino a natura induci non potest sicut » forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus Beatorum et » sicut etiam incarnatio Verbi; vel quia etsi talem formam » possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam, » sicut ad causandam vitam natura potens est, sed quod in hoc » mortuo natura vitam causet, hoc facere non potest. *Contra* » *naturam* esse dicitur, quando in natura remanet contraria » dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conser- » vavit pueros illsæos in camino, remanente virtute comburendi » in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate » in ea, et simile est quod virgo peperit (quia nempe in corpore » Beatæ Mariæ Virginis, ubi illæsa sua virginitate peperit, » remanebat contraria dispositio ad virginitatem per partum » amittendam). *Præter naturam* autem dicitur Deus aliquid » facere, quando producit effectum, quem natura producere » potest, illo tamen modo, quo natura eum producere non » potest » (v. g. subitam et sine remediis a morbo curationem, quæ naturaliter obtineri quidem potuisset, sed non in instanti, neque etiam sine remediis).

§ I.

De Miraculi possibilitate

Q. An miracula proprie et stricte dicta sunt vere possibilia?

R. *Tenendum est miracula stricte et proprie dicta, quemadmodum ea supra definivimus, vere possibilia esse seu vere fieri posse.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas philosophica*, et simul *fidei dogma*. In Vaticano enim concilio, Const. *Dei Filius*, C. 3. Can. 4, definitum est: « Si quis dixerit, mira-

» cula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes.... » inter fabulas vel mythos ablegandas esse; anathema sit. »

II. Errores. Huic veritati obloquuntur : 1° *Athei*, qui negant res mundanas, quas videmus, habere causam aliquam superiorem; 2° *Deistæ*, qui negant Deum rebus mundanis providere; 3° *Pantheistæ*, qui Deum a mundo distinctum rejiciunt, et omnia, quæ in natura fiunt, volunt omnimoda et absoluta necessitate fieri; et 4° *omnes Rationalistæ*, qui quemadmodum omnem revelationem proprie dictam rejiciunt, et contendunt Deum ad homines loqui non posse alio modo ac naturalis rationis lumine, etiam omnem Dei operationem, quæ præter consuetum naturæ esset ordinem, pari modo ut impossibilem habent.

III. Demonstratur propositio 1° *e ratione philosophica*. Si miracula fieri non possent, impedimentum esset aut ex parte legum physicarum, aut ex parte Dei. Atqui ex neutra parte ulla est ratio, quæ impediat. Ergo.

A) Non habetur impedimentum *ex parte legum physicarum*. Etenim impedimentum quidem ex hac parte adesset, si naturæ ordo, h. e. constans ille operandi modus, qui rebus creatis inest, esset necessarius ac proinde nulla actio præter, contra aut supra eum fieri posset. Atvero ordo ille nullatenus est necessarius; scilicet, non est necessarius necessitate antecedente, h. e. non debuit antecedenter ad liberam Dei electionem, ipsa rerum creatarum essentia id postulante, stabiliri, sed innumeri alii ordines ab ipso distincti stabiliri potuissent; neque etiam necessarius est necessitate consequente, h. e. stabilitus semel a Deo hic ordo non evertitur si raris in casibus mutetur, seu ejus conservatio non requirit ut nullatenus ipsi derogetur.

a) Quod ordo iste non est necessarius necessitate antecedente, ita probatur : id solum alicui enti est omnino necessarium, quod ad ejus essentiam pertinet. Ita homini omnino necessarium est ut sit animal rationale, et plantæ ut sit ens materiale vita vegetativa præditum; nam si id non essent, homo jam non esset

homo, et planta jam non esset planta. Sed eis absolute necessarium non est ut habeant hunc vel illum colorem, quia sine isto colore adhuc sunt homo et planta. Atqui ordo rebus inditus, seu leges physicæ, quibus mundus regitur, non pertinent ad essentias rerum existentium, sed mera sunt accidentia, quæ mutari possunt, quin mutetur essentia rei, cui inhærent. Supponamus verbi gratia flumen cursum suum mutare et in caput refluere, motum terræ circa axem non ab ortu ad occasum, sed ab occasu ad ortum dirigi; motum terræ cæterarumque planetarum celerius cursum suum absolvere; duos soles loco unius in terram lumen ac calorem spargere; an inde essentia istarum rerum mutabitur? An, facta ista mutatione, flumen, terra, planetæ, sol non amplius flumen, terra, planetæ et sol erunt? Certe, nemo sanæ mentis id audebit contendere; et ratio est, quod hæ leges ad rerum essentias evidenter non pertinent, sicut v. g. anima ad hominis pertinet essentiam, sed mera sunt accidentia. Ergo liquet ordinem naturæ talis non esse conditionis ut res creatæ omnino eum exigant, atque sine ipso essentiam suam servare non possent seu monstra essent; ac proinde eum nullatenus esse necessarium necessitate antecedente.

b) Quod dein etiam non est necessarius necessitate consequente, haud minus facile ostenditur. Etenim ordo libere ab aliquo constitutus exigit quidem ut ipse non mutetur ab aliquo suorum subditorum, sed non exigit ut non mutetur a suo conditore. Et ratio est, quod mutatio ordinis facta ab eo, qui illi subjicitur, est veluti transgressio illius, adeoque illi repugnat; facta vero ab eo qui illum libere constituit, et supra illum est, legitima est derogatio, quæ certe non repugnat: uti clare liquet ex iis quæ de legibus proprie dictis docentur. Jamvero juxta nos miraculum non fit nisi a Deo, qui universalem totius mundi ordinem libere constituit, et supra illum est; ergo. « Deus, inquit » S. Thomas (I. q. 105. a. 6), potest facere præter ordinem re- » rum, quia *ordini secundarum causarum ipse non est sub-*

» *jectus*, sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non » per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. Potuis- » set enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest » præter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit. » — Præterea idem clare etiam perspicitur, si conceptus legis physicæ bene consideretur. Non est enim de essentia hujusmodi legis ut in nullo casu ei derogetur; sed hoc solum ad eam essentialiter pertinet, ut nempe ordinetur ad effectus aliquos proprios, et ordinarie servetur. Jamvero posito miraculo, leges physicæ adhuc servant suam ad aliquos speciales effectus ordinationem, et adhuc in pluribus seu ordinarie servantur. Ergo. « Licet » Deus, ait S. Thomas (De Pot. q. 6. a. 1. ad 20), faciat aliquem » effectum præter actionem causæ naturalis, non tamen tollit » ordinem causæ ad suum effectum; unde et in igne fornacis » remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres » pueros in camino. » Si ignis ab hoc momento, quo tres pueros in camino non combussit, non amplius fuisset ad comburendum ordinatus, et ordinarie non amplius combussisset, tunc destructa fuisset physica illa lex, secundum quam ignis comburit. Nunc autem nullatenus fuit hæc lex destructa, cum destinatio ignis non fuerit mutata, et ipsi nonnisi raro derogetur.

B) Non habetur etiam impedimentum *a parte Dei*. Si enim quid a parte Dei obstaret, id oriretur aut ex parte ejus potentiæ, aut ejus immutabilitatis, aut ejus sapientiæ, aut ejus providentiæ. Jamvero nullum ex istis attributis obstat, quominus Deus patret miracula; sed contra pleraque ex eis potestatem miracula faciendi clare Deo vindicant.

a) Potentia Dei. Certe non ex defectu potentiæ Deo denegari potest facultas miracula patrandi, nam ejus potentia est infinita, et idcirco per mundi creationem ejusque ordinis constitutionem, quæ sunt effectus finiti, non est exhausta; nam repugnat ut infinita potentia effectum finitum producendo exhauriretur. Ergo potentia Dei non solum non obstat quominus facultas

patrandi miracula Deo adscribatur, sed contra omnino exigit ut hæc ipsi attribuatur.

b) Immutabilitas Dei. Deus est summe immutabilis, sed huic attributo nulla ratione repugnat facultas miracula patrandi. Ei repugnaret quidem, si Deus, ubi mundum condidit, statuisset leges omnino immutabiles, quibus nunquam ulla posset poni exceptio et ita miracula facere non posset, quin priorem voluntatem suam mutaret. Atvero non ita egit Deus; sed instituendo in creatione ordinem, quem nunc videmus, simul prævidit et statuit exceptiones quas ipse, miracula patrando, poneret; et ita ubi miraculum patrat consilia sua non mutat, sed ea exequitur. Ut læderetur Dei immutabilitas requireretur mutatio in ejus voluntate; sed talis mutatio locum non obtinet, ubi miracula patrantur; ergo. (Cfr. supra p. 113.)

c) Sapientia Dei. Hoc attributum, quod essentialiter consistit in summo erga ordinem amore, quo fit, ut Deus, quæ suis perfectionibus respondeant, eadem semper velit, certe miracula faciendi potestatem excluderet, si Deus ad miracula facienda sufficientem rationem habere non posset. Nam evidenter repugnat, ut Deus summe sapiens opus aliquod sine sufficienti ratione faceret. Jamvero sufficiens ratio ad miracula patranda non deest; imo validissima ratio miracula faciendi pro Deo existit. Miraculum nempe est clarissimum et omnibus hominibus maxime accomodatum revelationis signum, et magnopere infinitam Dei demonstrat potentiam; quæ sane sunt motiva approbatione divina omnino digna.

d) Dei providentia. Deus est providens, seu dirigit præ summa sapientia sua omnes res creatas in earum finem per vias convenientes; quæ qualitas etiam non obstat quominus ipse miracula faciat; sed contra maxime miracula commendat, ut opera ad finem creationis, gloriam scilicet divinam et hominum salutem attingenda, immediate conducentia et ab altera parte ordini mundano minime nociva. Quod ad Dei

gloriam et hominum salutem optime inserviunt supra jam vidimus; sed nec minus liquet ea pro ordine mundano non esse nociva. Nociva ipsi essent, si physicas leges instabiles et incertas redderent, nam, si hoc fieret, si v. g. incertum fieret, an ignis adhuc comburat, an aqua adhuc lavet, etc. vita humana esset impossibilis; atvero, cum *raro* et nonnisi *per exceptionem* contingant, physicas leges nulla ratione incertas reddunt. Pulchre hac de re notat S. Thomas (*Contra Gent.* L. III. c. 99) : « Si autem quis dicat, quod cum ordinem istum » rebus Deus indiderit, non potest esse absque mutatione ipsius » ut præter ordinem ab ipso institutum operetur in rebus » effectus absque propriis causis producendo : ex ipsa rerum » natura refelli potest. Ordo enim inditus rebus a Deo, secun- » dum id est, quod in rebus frequenter accidere solet, non » autem ubique, vel secundum id quod est semper. Multæ enim » naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut » frequenter, non autem ut semper ; nam *quandoque, licet in* » *paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis* » *agentis, vel propter materiæ indispositionem, vel propter* » *aliquod fortius agens : sicut cum natura in homine generat* » *digitum sextum, non tamen propter hoc deficit aut muta-* » *tur providentiæ ordo;* nam hoc ipsum quod naturalis ordo » institutus secundum ea quæ sunt frequenter, quandoque defi- » ciat, providentiæ subest divinæ. Si ergo per aliquam virtutem » creatam fieri potest, ut ordo naturalis mutetur, ab eo quod est » frequenter, ad id quod est raro, absque mutatione providentiæ » divinæ : multo magis divina virtus quandoque aliquid facere » potest sine providentiæ suæ præjudicio, præter ordinem natu- » ralibus rebus inditum a Deo. Hoc enim ipsum ad suæ virtutis » manifestationem facit interdum : nullo enim modo melius » manifestari potest, quod tota natura divinæ subjecta est » voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse præter ordinem » naturæ aliquid operatur. Ex hoc enim apparet, quod ordo

» rerum processit a Deo non per necessitatem naturæ, sed per » liberam voluntatem. »

Confirmatur hoc ratiocinium 1° sequenti annotatione : Omnia miracula sunt vel *supra*, vel *præter*, vel *contra* naturam; jamvero hæ tres miraculorum species sunt certe possibiles.

a) Miracula primæ speciei sunt effectus quos naturales vires ex sua imperfectione producere non possunt. Jamvero defectus aut imperfectio in Deo esse non potest; ergo.

b) Miracula *præter naturam* sunt effectus, ad quos sufficiens est vis in natura, sed qui producuntur sine illa, vel non servato ejus agendi modo, sicut si in instanti fieret quod natura facit per longum tempus. Jamvero hæc etiam evidenter possibilia sunt, nisi velimus dicere, aut Deum non posse efficere quod natura a se creata efficit, aut non posse per voluntatem suam statim efficere id quod vult.

c) Miracula *contra naturam* sunt effectus contrarii illis, quos natura sibi relicta ex suis viribus produceret. Jamvero etiam quoad hæc nihil obstat quominus possibilia sint. Etenim ad talia miracula sufficit, ut naturales vires contineantur, ne id agant quod sibi relictæ agerent. Jamvero duplici modo id fieri a Deo potest : — primo, subtrahendo causæ creatæ suum concursum. Causæ enim secundæ omnino Dei concursu universali egent, ut actum suum ponere possint. Si igitur Deus aliquo temporis spatio concursum suum deneget, effectu carebunt, licet cætera omnia ad operandum requisita adessent. — Secundo, cohibendo et ita elidendo vi majori vim causæ creatæ, sive immediate per se, sive aliam causam adhibendo. Ita potest Deus efficere ut corpus humanum medio in igne positum non comburatur, vel subtrahendo igni suam cooperationem, vel corpori dando aliquam vim, quæ dissolventem ignis actionem impedire potest. Nec dici potest talem virium naturalium cohibitionem cum rerum essentia pugnare, et inde impossibilem dicendam esse; nam extra omne dubium est, et clare liquet, nullatenus ad

rerum essentias pertinere, ut ipsarum vires actu exerceant suam virtutem, cum istud exercitium a pluribus conditionibus plane contingentibus, h. e. quæ abesse vel adesse possunt, dependeat. Machina quædam certe non magis est machina, ubi est in motu quam ubi est in quiete; oculus non magis est oculus ubi aliquid videt, quam ubi quodam obstaculo a videndo impeditur; et aqua non magis est aqua ubi fluit, quam ubi quiescit.

Confirmatur 2° *ex consensu hominum.* Omnes fere populi miracula in gratiam suæ religionis facta sibi vindicant; ac proinde ea fieri posse fuerunt plene persuasi. Præterea nullibi legimus, primis christianis ad miracula Christi Domini provocantibus a Judæis vel ethnicis vel hæreticis impossibilitatem miraculi exprobatam fuisse. Tandem in historiæ documentis cujusvis ætatis miraculosa narrantur facta. Quæ omnia clare ostendunt semper, ubique et ab omnibus hominibus possibilitatem miraculorum admissam fuisse; et cum hic consensus talis non sit naturæ, ut ex falsis theoriis oriundus censeri possit, ex eo legitime concluditur miracula vere possibilia esse.

2° *Demonstratur propositio e S. Scriptura.* Inutile foret longam hic texere e S. Scriptura de miraculorum possibilitate demonstrationem, cum libri sacri repleti sint narrationibus miraculorum, quæ Deus tum in novo tum in veteri testamento fecit. Satis erit unum alterumve textum citare. Clare colligitur miraculorum possibilitas e verbis Christi apud *Joan. V,* 36 : « *Ego autem habeo testimonium majus Joanne; opera enim* » *quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ* » *ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater* » *misit me;* » h. e. habeo de divina mea missione testimonium quod majus et fortius est, quam illud quod Joannes Baptista dedit; opera nempe, ad quæ peragenda potestatem a Patre accepi, opera miraculosa quæ facio, de mea divina missione testimonium dant; ipsa declarant me vere a Patre esse missum. Hæc autem opera, de quibus Christus loquitur, necessario

debent esse opera miraculosa, nam hæc sola de divina missione testimonium valent dare. Ergo docuit Christus miraculorum existentiam ac proinde etiam eorum possibilitatem. — Idem dilucide colligitur e doctrina S. Petri Act. Ap. II. 22 sq. : « *Viri* » *Israelitæ.... Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo* » *in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quæ fecit Deus per* » *illum in medio vestri, sicut et vos scitis.... interemistis;* » h. e. Jesum Nazarenum de quo plenissime per innumera variaque miracula, quæ ipse inter vos fecit, sicut scitis, erat demonstratum, quod a Deo erat missus, interemistis. Voces *virtutes, prodigia* et *signa* nihil aliud significant quam ejus miracula, et ad unam eamdemque rem significandam usus est Petrus hisce tribus vocibus emphaseos causa, et ut majorem miraculorum numerum et varietatem indicaret. Ergo aperte etiam Apostoli miraculorum existentiam ac proinde eorum quoque possibilitatem expresse agnoscunt.

3° *Demonstratur propositio e Traditione.* Citabimus tantum sequentem textum S. Augustini *(In Joan.* Tr. XXIV, n. 1.) : « Miracula, quæ fecit D. N. Jesus Christus, sunt quidem divina » opera et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent » humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, » quæ videri oculis possit, et miracula ejus (scilicet miracula » ejus improprie dicta) quibus totum mundum regit univer- » samque naturam administrat assiduitate viluerunt, ita ut » pæne nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in » quolibet seminis grano, secundum suam misericordiam » servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore *præter* » *usitatum cursum ordinemque naturæ*, ut *non majora* sed » insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. » Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi (scilicet » opus in se magis mirum, non vero magis miraculum stricte » dictum) quam saturatio millium hominum de quinque panibus, » et tamen hæc nemo miratur : illud mirantur homines, non » quia *majus* est, sed quia *rarum* est. »

IV. Objectiones. 1° Miracula, aiunt increduli, adversantur immutabilitati naturæ divinæ. Ordo enim naturæ, secundum quem eventus in hoc mundo sensibili gignuntur, in decretis divinis fundatur. Mutato itaque ordine semel stabilito, non possunt decreta divina adeoque et ipse Deus non mutari; quod est absurdum, cum Deus, utpote infinite perfectus, sit omnino immutabilis. Ita Spinoza, Ammon, Eckerman, Wegscheider et Julius Simon, qui in libro suo; *La religion naturelle* p. 247 hæc scribit : « Dieu..... intervient-il quelquefois dans les » événements, en changeant par amour pour nous le cours » des lois générales? La réponse ne saurait être douteuse,.... » Non, Dieu ne modifie pas ses décrets après les avoir rendus. » Ou plutôt il n'a rendu qu'un seul décret, dont la vertu s'étend » à tout, et ce décret est immuable, comme la volonté de Dieu » lui-même. C'est tomber dans le paganisme que de croire aux » oscillations de la volonté divine. C'est mettre Dieu dans le » temps et dans l'espace, et le dépouiller de son infinité. »

R. Frustra arguunt adversarii ex Dei immutabilitate ad possibilitatem miraculorum impugnandam, cum nihil ostendat hoc divinum attributum, admissa miraculorum possibilitate, necessario esse rejiciendum. Offenderetur quidem hoc attributum, si Deus, ut miraculum patraret, deberet consilium suum seu voluntatem suam mutare, et nunc aliquid velle, quod antea non voluit. Atvero id fieri non debet, et non fit; nam Deus omniscius, sicut ab æterno generales naturæ leges voluit, ita quoque ab æterno prævidit et voluit has vel illas exceptiones per hæc vel illa miracula istis legibus esse ponendas, ac proinde non magis mutat Deus consilium suum æternum, ubi miracula patrat, quam ubi consuetum ordinem servat. Effectus seu opera, quæ Deus producit, quidem mutantur sed non mutatur ejus voluntas. Non itaque propter miracula mutantur decreta divina, neque ipse Deus mutatur; ac proinde ruit objectio. — Præterea etiam sequenti animadversione

liquet quam infirma sit hæc difficultas. Quis v. g. instabilem dicet illum regem, qui eodem tempore ac legem aliquam tulit, etiam exceptiones huic ponendas legi determinavit, et postea illas exceptiones applicat? Jamvero hoc modo egit et agit Deus; ergo.

Obj. 2° Miracula, aiunt, non possunt componi cum sapientia divina; quod ita demonstrare conantur. Si Deus, inquiunt, miracula facit, per ea intendit vel naturæ leges, quas in mundi creatione stabilivit, corrigere et perficere; vel ex arbitraria quadam voluntate bonum ordinem, quem stabilivit, turbare et mutare. Sed, si prius admittatur, Deus non sapienter egit in mundano ordine stabiliendo, sed contra tamquam imperfectum artificem se gessit; et si admittatur alterum, omnino negatur Dei sapientia. Ergo cum Dei sapientia miracula componi non possunt.

R. Objectio valeret, si miracula revera ob alterutrum horum finium fierent; nam si Deus miraculum faceret, aut ad leges physicas a se conditas corrigendas, aut ex arbitraria quadam voluntate, certe ipse non posset summe et infinite sapiens dici, quod tamen dici debet. Atvero finem omnino alium intendit Deus, ubi miracula patrat : non intendit ordinem stabilitum corrigere, aut arbitrariæ cuidam volitioni satisfacere, sed moralem et supernaturalem finem prosequitur. Per ea nempe intendit aut revelationem vel missionem aliquam divinam comprobare, quæ nonnisi miraculis et prophetiis ut divinæ comprobari possunt; aut sanctitatem alicujus personæ, quæ cæterorum exemplo optime potest inservire, publice testificari; aut aliquos, supernaturale beneficium eis conferendo, ad pietatem et sanctitatem supernaturali modo movere et excitare : quæ omnia non sunt legum physicarum emendationes neque opera arbitraria, sed opera quæ supernaturalia bona nobis conferunt et summam Dei manifestant sapientiam. Institutio nempe supernaturalis ordinis maxime Dei potentiam, sapientiam, et bonitatem commendat, ut supra jam diximus et infra adhuc latius dicemus;

et miracula sunt cum hoc ordine inseparabiliter juncta, cum ad revelationis veritatem demonstrandam sint necessaria, optime etiam inserviant ad alicujus personæ, quæ cæteris exemplum esse potest, sanctitatem declarandam, et de se quoque aptissima sint media ad homines supernaturali modo (modo igitur correspondente cum fine ad quem vocantur) ad pietatem movendos.

Instatur dicendo : etiam iis omnibus, quæ de fine miraculorum hic dicta sunt, admissis, nondum potest miraculum cum Dei sapientia componi. Sapiens enim artifex non facit pluribus distinctis actibus, quod unico actu facere potest. Jamvero potuisset Deus, ubi creavit et ordinavit mundum, unica sed meliori rerum ordinatione id obtinere, quod nunc et per actualem ordinem et per miracula obtinet; ergo.

R. Omnino falso asseritur Deum potuisse meliori rerum ordinatione ab initio facta, id obtinere, quod nunc per miracula et physicum ordinem obtinet; nam finis miraculorum est, quemadmodum diximus, supernaturalis manifestatio Dei. Jamvero omnino repugnat, ut *naturalis* ordo *supernaturalem* producat Dei manifestationem, cum quod naturale est certe non possit supernaturalem effectum producere. Ergo Deus, quamvis sit omnipotens, non potuit naturali ordinatione qualicumque, etiamsi hæc millies actuali fuisset perfectior, id obtinere, quod nunc per miracula obtinet; ac proinde ruit instantia.

Instatur rursus sequenti modo : Sapiens mundi creator et gubernator, ut est Deus, debet necessario velle ut in rebus physicis constans regnet ordo; nam si in physicis viribus et effectibus nihil esset constans, si v. g. aqua non semper sed quandoque tantum de superiori loco ad inferiorem flueret, si ignis non semper sed quandoque tantum combureret, si corpora non semper sed quandoque tantum essent gravia, vita humana fieret impossibilis, cum homines non amplius scirent, qua ratione suis necessitatibus providere valerent. Jamvero, Deus, faciendo

miracula, naturæ leges reddit inconstantes et incertas; ac proinde vitam humanam reddit intolerabilem : quod sapienti Deo est indignum. Ergo.

R. Valeret hæc instantia, si miracula omnino frequenter, universaliter atque simul inopinate fierent; nam tunc revera physicæ leges redderentur incertæ, ac vita humana necessario evaderet summe molesta, imo intolerabilis. Atvero nullum valorem habet hæc instantia, si miracula tantum raro in particularibus quibusdam casibus, et in talibus adjunctis, quæ clare extraordinarium Dei interventum denotent, patrentur; nam nemo sanæ mentis audebit contendere ordinem non amplius esse constantem et fieri incertum, si una alterave ei ponatur exceptio. An ordo ideo in aliqua domo vel in aliqua societate cessat, quia superior in casu quodam speciali dispensationem in quadam lege dedit? An lex illa physica, secundum quam homines solent cum duobus oculis nasci, ideo mutatur aut fit incerta, quia quandoque per exceptionem fit, ut quidam nascantur aut sine oculis aut cum uno oculo tantum? Liquet, quod si ad ordinem habendum omnis exceptio esset seponenda, necessario deberet dici nullum fere ordinem haberi in mundo, et certe in nulla societate aliquem existere ordinem; nam fere omnes leges physicæ aliquando exceptionem patiuntur, et nulla est societas, in qua nulla detur dispensatio. — Atqui nos non defendimus Deum præ sapientia sua posse de mane ad vesperam usque, omnino frequenter, universaliter et simul inopinate miracula facere, sed tantum raro, in casibus quibusdam specialibus, et in adjunctis quæ clare extraordinarium Dei interventum denotant; quemadmodum juxta Scripturæ sacræ et Historiæ ecclesiasticæ narrationem, Deus hucusque semper id fecit. Ergo ruit objectio.

Instatur tandem et hoc modo : Si Deus, miracula patrando, exceptionem legibus physicis ponere potest, inde tamen sequitur plenam certitudinem de physicis rebus non amplius haberi, nam in singulis casibus sibi debet dicere homo : an forsan Deus mira-

culum non est facturus, et an inde lex physica, quæ nunc agere deberet, effectu suo non carebit?

R. Verum est, quod ex Dei potestate miracula faciendi, necessario fluat, certitudinem, quam habemus de aliquo physico effectu a nobis exspectato, non esse absolutam (h. e. effectum non ita esse necessarium, ut quacumque facta hypothesi non obtineri non possit), sed hypotheticam tantum (h. e. effectum certe esse obtinendum modo certa conditio impleatur, scilicet modo Deus miraculum non faciat); nam in singulis casibus per se est possibile, ut Deus miraculum faciat. Atvero ut vita humana sit possibilis, non requiritur certitudo absoluta de physicis effectibus, sed sufficit hypothetica, uti clare patet ex quotidiana experientia. Multæ enim sunt physicæ leges, uti illæ quæ hominum et animalium generationem, et plantarum productionem respiciunt, quæ ex ipsis naturalibis causis haud raro exceptiones patiuntur; ac dein leges morales, uti v. g. quod homines nolunt mendaces haberi, quod non mentiuntur sine ratione et similia, a singulis hominibus in singulis casibus suspendi possunt. Hisce legibus tamen tota commercialis et socialis hominum vita nititur; et nihilominus, quamvis de eis tantum hypothetica certitudo habeatur, nullatenus ordo impeditur aut destruitur. Ergo pariter ex eo quod omnes leges physicæ Dei interventu suspendi possunt, et ita de physicis effectibus futuris nonnisi hypothetica potest haberi certitudo, maxime cum Deus nonnisi raro miracula patret, nullatenus turbatur aut offenditur ordo mundanus (1).

(1) Ex responso, quod hic dedimus, clare perspicitur, quam absurda sint, quæ scripsit *Renan* in libello : *Lettres à ses collègues :* « Tout calcul est une » impertinence, s'il y a une force changeante, qui peut modifier à son gré » les lois de l'univers..... Si des hommes réunis et priant ont le pouvoir de » produire la pluie ou la sécheresse..... la Météorologie n'aurait plus de » raison d'être. Si on venait dire au physiologiste et au médecin : Vous » cherchez la raison des maladies et de la mort : c'est Dieu qui frappe, » guérit, tue, le physiologiste et le médecin répondraient : Je cesse mes » recherches, adressez-vous aux thaumaturges..... Il en est de même de l'hi- » stoire..... Elles (les sciences historiques) supposent qu'aucun agent naturel

Obj. 3° Etiam sanctitati divinæ miracula repugnare asserunt increduli : « *Leges universales,* aiunt, *mera sunt Dei decreta,* » *quæ ex necessitate et perfectione divinæ naturæ sequuntur.* » *Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus universa-* » *libus legibus repugnaret, id decreto et intellectui naturæ* » *divinæ necessario etiam repugnaret; aut si quis statueret,* » *Deum aliquid contra leges naturæ agere, is simul etiam* » *cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere;* » *quo nihil est absurdius.* » Ita Spinoza, *Tract. theol. polit.* c. 6; et similia habent Strauss, Kant, Wegscheider et Renan.

R. Valeret objectio, si Deus simul cum decretis de legibus physicis stabiliendis alia decreta de miraculis patrandis non tulisset; atvero, uti jam sæpius diximus, simul ac leges physicas

» ne vienne troubler la marche de l'humanité, que cette marche est la résul- » tante immédiate de la liberté qui est dans l'homme et de la fatalité qui est » dans la nature. » — Nec minus absurda sunt, quæ habet *Larroque* in suo opere : *Examen critique des doctrines de la religion chrétienne* T. II. c. 4 : « Je nie simplement la possibilité des miracles considérés en tant que faits » contraires aux lois de l'ordre naturel. La raison conçoit Dieu gouvernant » le monde par des lois générales et constantes, d'où résultent cet ordre » merveilleux et cette harmonie universelle..... On conçoit que sa sagesse » et sa véracité exigent le maintien des lois qu'il a imposées au monde. *La* » *doctrine des miracles supprime donc une des meilleures raisons que nous* » *ayons de croire en Dieu.* Bien plus le principe de la persistance des lois » qui régissent le monde physique et le monde moral est pour nous la con- » dition essentielle de toute étude et de toute science : en sorte que l'intel- » ligence qui abjurerait ce principe se condamnerait elle-même à ne plus » rien connaître et se placerait ainsi dans le vide le plus complet. » — Pariter Buchner in libro suo : *Force et Matière*, insulse dicit : « Comment » serait-il possible, que l'ordre immuable dans lequel les choses se meuvent » fût jamais interrompu, sans causer un dechirement irrémédiable au » monde, sans livrer nous et l'univers à un arbitraire désolant, sans ad- » mettre que toute science est un fatras puéril, toute recherche sur cette » terre un travail inutile. »

Quam ridenda sunt illa impiorum et incredulorum lamenta! Quis enim serio dicere potest, eos omnes, qui possibilitatem et realitatem miraculorum admittunt, necessario minori rerum physicarum et historiæ cognitione pollere, illi incredulis, qui hanc theoriam rejiciunt?

stabilivit, etiam statuit miracula, quæ certis in circumstantiis faceret; ergo Deus, faciendo miracula, suis decretis non contradicit, sed contra ea exequitur. — Nec instari potest dicendo, Deum, si simul decreta de legibus physicis et de miraculis tulit, sibiipsi in suis decretis repugnare. Nam decreta, quibus effectus ordinarios vult, non sunt nisi hypothetica, scilicet huic conditioni adstricta : nisi propter fines religionis et moralitatis extraordinarius effectus sit necessarius; adeoque decretum exceptionis non excludunt, sed includunt, vel potius utraque nonnisi unum decretum divinum sunt.

Instatur dicendo : Eadem est ratio seu natura legum physicarum ac legum seu præceptorum moralium; atqui contra leges morales Deus agere non potest, quia, si contra eas ageret, peccaret; ergo nihil etiam potest facere contra leges physicas.

R. Falso asseritur leges physicas et præcepta moralia ejusdem conditionis esse sub respectu immutabilitatis et inviolabilitatis; ac proinde ruit objectio. Sequenti autem ratione ostenditur duos illos ordines, physicum nempe et moralem, sub prædicto respectu omnino differre. — Præcepta moralia (primaria scilicet juris naturæ præcepta, in quibus nulla positiva intervenit lex) nihil aliud sunt, ac officia, quæ immediate fluunt ex relationibus quas homo et angelus habent cum Deo et cum suo proximo, ac quæ proinde non possunt mutari, nisi ipsa essentia divina aut essentia hominis et angeli fuissent mutata, h. e. nisi Deus cessasset esse Deus, vel homo et angelus cessassent esse homo et angelus; nam conclusio ex aliqua essentia deducta tam necessaria est quam ipsa hæc essentia. Sed mutatio essentiæ divinæ aut essentiarum creatarum intrinsece repugnat. Ergo præcepta moralia utpote ex ipsis deducta omnino sunt necessaria et immutabilia. Ita, ex eo quod Deus essentialiter est creator et benefactor noster supremusque fons omnis boni nostri, debemus eum ut creatorem nostrum, supremum nostrum benefactorem et fontem omnis boni nostri agnoscere, invocare, amare et colere; et non potest

hoc officium cessare, nisi Deus cessaret esse Deus et nos cessaremus ejus esse creaturæ. Ac dein, quia proximus noster est Dei filius, debemus, eum ut talem agnoscere, atque proinde tenemur ei nullum inferre malum, quod nos ipsi ferre rationabiliter nollemus, eique præstare illa bona, quæ nos ab aliis rationabiliter exspectaremus : et pariter hoc officium posset tantum cessare, ubi proximus cessaret proximus esse. Unde liquet Deum non posse primaria juris naturæ præcepta mutare, quin neget se esse Deum aut neget homines et angelos revera id esse quod sunt. — Atvero leges physicæ, uti supra p. 166 jam ostendimus, ex rerum essentiis non fluunt, sed mera sunt accidentia, quæ, integra manente rerum essentia, mutari possunt. Si homo non amplius deberet Deum colere eique servire, jam ipse non esset homo, vel Deus jam non esset Deus; sed si flumen in caput suum refluat, vel si terra celerius aut lentius circa axem suam moveatur, aqua non cessat esse aqua, terra non cessat esse terra, et Deus non cessat esse Deus. — Ergo essentialis habetur inter physicum et moralem ordinem sub immutabilitatis respectu distinctio : physicus ordo ex natura sua potest mutari, dum moralis ex natura sua mutari non potest; et ratio est, quod moralis ordo fluit ex entium essentiis, quæ omnino necessariæ sunt; dum physicus ordo mere est accidentalis.

Instatur quoque et hoc modo : pro rectore et gubernatore, qualis est Deus respectu ad mundum, morale existit præceptum non turbandi sed contra tuendi ordinem. Jamvero per miracula vere turbatur ordo. Ergo Deus, utpote summe sanctus et proinde incapax morale præceptum transgrediendi, non potest facere miracula.

R. Indubie omnis rector et gubernator ex morali præcepto tenetur generalem ordinem servare, seu efficere, ut in toto rerum complexu ordo regnet, cum totum ejus munus in hoc proprie consistat. Atvero particularem ordinem in omnibus casibus servare non tenetur, sed quandoque eum mutare potest,

imo quandoque necessario debet eum mutare, cum fieri possit ut talis mutatio optime inserviat vel etiam sit necessaria ad generalem ordinem tuendum aut promovendum. — Atqui Deus per miracula quæ facit, generalem ordinem non destruit. Destrueret eum nempe, si per miracula novas leges præcedentibus substitueret, aut tot miracula patraret, ut leges physicæ revera fierent incertæ; sed cum nonnisi raro et in specialibus adjunctis miracula faciat, nullatenus generalis ordo inde turbatur. Nec etiam sine sufficienti motivo mutat Deus per miracula particularem ordinem, nam, cum supernaturalem ordinem instituerit, debuit necessario miracula patrare, quippe quæ divinæ revelationis sint naturalis comprobatio et in tota supernaturali œconomia naturalem occupent locum. Ergo Deus, faciendo miracula, nulla ratione præceptum transgreditur ordinem servandi, quod omni gubernatori et rectori ex naturæ jure incumbit.

Instatur tandem et sequenti modo : Deus, ubi miracula facit, (saltem ubi facit miracula contra naturam), non minus rerum essentiis contradicit, quam ubi legem moralem mutaret; ac proinde non potest magis miracula facere quam legem moralem mutare. Etenim omnes causæ vi suæ essentiæ sunt ordinatæ ad talem vel talem effectum producendum; et non possunt hanc ordinationem amittere quin cessent esse id quod sunt et fiant monstra. Ita v. g. ignis ex sua essentia ad comburendum est destinatus, et sine hac destinatione jam non esset ignis sed monstrum. Jamvero Deus, ubi miracula contra naturam facit, tollit essentialem naturalium causarum ad certum effectum ordinationem. Ergo tollit earum essentiam et monstra producit; quod Deo est indignum.

R. Valeret objectio, si Deus, miracula contra naturam faciendo, revera essentialem causarum naturalium ad certum effectum ordinationem mutaret. Atvero id nullatenus facit; nam ubi miraculum contra naturam patrat, servatur tota causæ naturalis ad certum effectum ordinatio, et solummodo impeditur

quominus naturalis effectus producatur. Ita in igne fornacis, in quem tres pueri hebræorum injecti sunt, remanebat ordo ad comburendum, licet ignis iste revera non combureret : ordinatio ad comburendum manebat, sed combustionis effectus impediebatur. — Nec rursus instari potest dicendo, quod ipse effectus ad causæ naturalis essentiam spectat, cum nimis manifestum sit variis modis effectum istum posse impediri, et in nullius hominis opinione causam essentialiter mutari, ubi ejus effectus impeditur, uti supra jam diximus (1).

§ II.

De cognoscibilitate miraculorum

Q. AN DE MIRACULIS CUM CERTITUDINE A NOBIS POTEST COGNOSCI, TUM EA CERTE SICUT NARRANTUR EXSTITISSE, TUM EA VERA ESSE MIRACULA SEU VEROS ESSE EFFECTUS SUPERNATURALES?

R. *Omnino tenendum est, quod, si non de omnibus et*

(1) Hisce omnibus perspectis, quæ de miraculorum possibilitate hic diximus, liquet quod summe ridicula forent, si ob nimiam suam impietatem cor dolore non afficerent, verba illa recentis auctoris, E. Burnouf, qui in libro : *Le Catholicisme contemporain*, Paris, 1879, de miraculis hæc ausus est scribere p. 398 : « Le passé, c'est l'ignorance; l'avenir c'est la » science, non pour quelques-uns, mais pour tous. Le savoir sera plus ou » moins complet, plus ou moins profond selon la capacité de chacun et les » circonstances de la vie; mais il sera positif pour tous, c'est à dire fondé » sur *l'observation des faits et sur la raison*. Toutes les réformes de l'ensei- » gnement n'ont d'autre but ni d'autre signification (c. a. d. ils n'ont » d'autre but que d'implanter le naturalisme ou le rationalisme basé sur » les faits et sur la raison, et d'exclure toute religion révélée). Or la » science positive (basée sur les faits et sur la raison), dans quelque mesure » qu'on la donne, est en opposition formelle avec le miracle, et son pre- » mier résultat est d'empêcher qu'on y croie. Elle relègue les anciens » miracles dans la poésie des peuples crédules, elle condamne les nouveaux » et les taxe de charlatanisme et d'hallucination. En même temps elle » range ceux qui y croient parmi les gens abusés qui tiennent encore à ce » passé obscur qui s'enfuit, et elle reproche à l'Eglise de s'y rattacher elle- » même, au lieu de seconder les hommes vers la lumière et la vérité. »

singulis miraculis, saltem de multis cum certitudine nobis potest constare, tum ea certe sicut narrantur exstitisse, tum ea vera esse miracula.

—

I. Explicatio. Possibilitate miraculi exposita et adstructa, gradum facere debemus ad ejus cognoscibilitatem investigandam; nam miraculum, si a nobis cognosci non posset, nullatenus posset divinæ revelationis esse signum. Nunc autem, cum in miraculo duo distinguantur elementa, factum scilicet, et hujus facti character miraculosus; ut miraculum sit vere cognoscibile, oportet ut possimus scire, tum an *factum,* de quo agitur et quod miraculosum dicitur, vere existat, tum an factum istud sit vere *miraculosum* seu verus sit effectus supernaturalis. Et ideo in proposita quæstione hanc duplicem cognoscibilitatem distinximus, seu quæsivimus, tum an de miraculis constari possit, ea accidisse sicut narrantur, tum an facta ista, de quibus agitur, sint vera miracula. Ut nempe resuscitatio alicujus mortui nobis ut verum miraculum sit cognitum, scire debemus, tum mortuum istum vere ad vitam esse resuscitatum, et hoc factum seu hanc resuscitationem esse vere effectum miraculosum.

In responsione autem non affirmamus quod omnia et singula miracula sub utroque isto respectu cum certitudine sunt cognoscibilia, sed quod saltem multa miracula ita cognosci possunt. Non contendimus ergo de omnibus et singulis factis, quæ miracula dicuntur, nos judicium certum ferre posse; et hoc mirum videri non potest, cum ex rei natura summopere arduum sit ultimos definire limites inter naturalem et supernaturalem ordinem, ac proinde nonnisi cum permagna difficultate determinari possit, an facta, quæ hos limites tangunt, sint naturalia vel supernaturalia. Verum asserimus multa esse miracula, quæ plene sunt cognoscibilia; et hoc sufficit ut miraculum sit revelationis signum : non oportet ut de omnibus possimus cum certitudine judicare, sed tantum ut id possimus de quibusdam.

Insuper observetur in responsione non fieri sermonem de cognoscendis miraculis per viros doctos tantum sed per homines omnes, qui ratione utuntur; ita ut hic doceatur miracula multa sub utroque respectu supra exposito, ab omnibus hominibus ratione utentibus cognosci posse.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas philosophica* et simul *fidei dogma*. In Vaticano enim concilio, Const. *Dei Filius*, c. III, can. 4. legitur : « Si quis dixerit.... » miracula nulla fieri posse.... aut *certo cognosci non posse*, » anathema sit. »

III. Errores. Quæstio, quam hic præ manibus habemus, ea est, in qua nostra cum incredulis controversia de miraculis potissimum versatur. Hi enim, quamvis miracula impossibilia esse velint, multo tamen magis laborant, ut eadem non posse cognosci ostendant. — Qui autem miraculorum cognoscibilitatem negant, in duas distribuuntur classes.

1° Alii, inter quos præcipuus est David Hume (anglus, m. 1776), contendunt nos de miraculis nequidem cum certitudine scire posse, an vere sicut narrantur, acciderint. Ita autem ratiocinatur Hume : « Facilius est, ait, mille testes errare aut decipere, » quam factum legibus naturæ repugnans existere : primum » moraliter tantum impossibile est, et experientiæ consonum; » secundum vero physice impossibile, et experientiæ contrarium » est. In omni porro miraculo, contra unum testem mille insurgunt; sic e. g. si unus testetur, mortuum resuscitatum fuisse, » milleni testes affirmant, mortuos ad vitam non redire. »

2° Alii autem dicunt, de nullo miraculo, quod narratur, cum certitudine cognosci posse, an sit verum miraculum, seu an sit verus effectus miraculosus; et hanc assertionem præcipue hisce duabus rationibus stabilire conantur :

a) Nullus homo, aiunt, perspectas habet omnés naturæ vires. Jamvero qui omnes naturæ vires perspectas non habet, cum certitudine judicare non potest, tale vel tale factum omnes naturæ

vires superare ac proinde esse miraculum, cum semper maneat hæc suspicio forsan oritur istud factum ex quibusdam naturæ viribus nobis ignotis. Ergo nullus homo potest cum certitudine judicare factum aliquod, quod dicitur miraculosum, vere miraculosum esse. Hanc objectionem inter alios proposuit J. J. Rousseau *(Lettres écrites de la Montagne)* (1).

Similia habet Renan *(Vie de Jésus: Introduction,* p. LI). Hic tamen non in universum affirmat characterem miraculosum, qui in aliquo facto dicitur haberi, cum certitudine cognosci non posse; sed ad hujus characteris certam et tutam cognitionem requirit, ut miraculum patraretur in concessu hominum scientia præexcellentium qui de veritate miraculi recte judicare

(1) « Puisqu'un miracle, ait, est une exception aux lois de la nature, pour » en juger, il faut connaître ces lois, et pour en juger *sûrement*, il faut les » connaître *toutes;* car une seule qu'on ne connaîtrait pas, pourrait, en » certains cas inconnus aux spectateurs, changer l'effet de celles qu'on » connaîtrait. Aussi, celui qui prononce que tel ou tel acte est un miracle, » déclare qu'il connait toutes les lois de la nature, et qu'il sait que cet acte » en est une exception.

» Mais quel est le mortel qui connaît toutes les lois de la nature? Newton » ne se ventait pas de les connaître. Un homme sage, témoin d'un fait » inouï, peut attester qu'il a vu ce fait, et l'on peut le croire; mais ni cet » homme sage, ni nul autre homme sage sur la terre, n'affirmera jamais » que ce fait, quelque étonnant qu'il puisse être, soit un miracle; car » comment peut-il le savoir?

» De tout ce que je viens d'exposer, je conclus que *les faits les plus* » *attestés, quand même on les admettrait dans toutes leurs circonstances,* » *ne prouveraient rien*, et qu'on peut même y soupçonner de l'exagération » dans les circonstances, sans inculper la bonne foi de ceux qui les ont » rapportés. Les découvertes continuelles qui se font dans les lois de la » nature, celles qui probablement se feront encore, *celles qui resteront* » *toujours à faire;* les progrès passés, présents et futurs de l'industrie hu- » maine; les diverses bornes que donnent les peuples *à l'ordre des possibles*, » selon qu'ils sont plus ou moins éclairés, *tout nous prouve que nous ne* » *pouvons connaître ces bornes. Cependant il faut qu'un miracle, pour être* » *vraiment tel, les passe.* Soit donc qu'il y ait des miracles, soit qu'il n'y en » ait pas, *il est impossible au sage de s'assurer que quelque fait que ce puisse* » *être en est un.* »

possent; et omnia miracula in S. Scriptura narrata rejicit, utpote a viris ad certum et tutum judicium ferendum omnino ineptis, tantum recognita (1).

b) Alterum autem motivum, quod increduli, ad possibilitatem agnoscendi characterem miraculosum in aliquo facto negandam, adferunt, est sequens : etsi, aiunt, admittatur hæc doctrina, quod nempe angeli vera miracula non possunt efficere, negari tamen nequit eos posse aliqua opera mira patrare quæ opera miraculosa saltem quoad apparentiam imitantur. Ergo saltem

(1) « Nous, ait, ne disons pas : le miracle est impossible (alibi tamen miraculi possibilitatem expresse negat, sed contradictionem non horret); » nous disons : il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté. Que demain un » thaumaturge se présente avec des garanties assez sérieuses pour être » discuté; qu'il s'annonce comme pouvant, je suppose, ressusciter un mort; » que ferait-on? Une commission composée de physiologistes, de physiciens, de chimistes, de personnes exercées à la critique historique, serait » nommée. Cette commission choisirait le cadavre, s'assurerait que la mort » est bien réelle, désignerait la salle où devrait se faire l'expérience, » réglerait tout le système de précautions nécessaire pour ne laisser prise » à aucun doute. Si, dans des telles conditions, la résurrection s'opérait, » *une probabilité presque égale à la certitude* serait acquise. Cependant » comme une expérience doit toujours pouvoir se répéter, que l'on doit être » capable de refaire ce que l'on a fait une fois, et que dans l'ordre des » miracles il ne peut être question de facile ou de difficile, le thaumaturge » serait invité à reproduire son acte merveilleux dans d'autres circonstances, sur d'autres cadavres, dans un autre milieu. Si chaque fois le » miracle réussissait, deux choses seraient prouvées : la première, c'est » qu'il arrive dans le monde des faits surnaturels; la seconde, c'est que le » pouvoir de les produire appartient ou est délégué à certaines personnes. » Mais qui ne voit que jamais miracle ne s'est passé dans ces conditions-là; » que toujours jusqu'ici le thaumaturge a choisi le sujet de l'expérience, » choisi le milieu, choisi le public; que d'ailleurs le plus souvent c'est le » peuple lui-même qui, par suite de l'invincible besoin qu'il a de voir dans » les grands événements et les grands hommes quelque chose de divin, » crée après coup les légendes merveilleuses? Jusqu'à nouvel ordre nous » maintiendrons donc *ce principe de critique historique, qu'un récit surna- » turel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou » imposture*, que le devoir de l'historien est de l'interpréter ou de rechercher quelle part de vérité, quelle part d'erreur il peut récéler. »

incertum semper érit, num ea facta, quæ miracula credimus, utpote naturæ vires nobis cognitas excedentia, divinæ an angelicæ operationi adscribere debeamus.

IV. Demonstratur pars prior : *e ratione philosophica.* Quod cum plena certitudine cognoscere possumus miracula, sicut narrantur, vere exstitisse, facile probatur. Huic enim miraculoso facto, de quo agitur, vel fuimus præsentes vel ab eo fuimus absentes. — Si fuimus præsentes, cum miraculum sit opus sensibile, illud ex propria experientia per sensus nostros agnoscere valemus; nam sensus nostri non minus apti sunt ad factum insolitum, quam ad ordinarium rite observandum. Tam facile et tam tuto possumus videre mortuum a morte suscitari ac hominem infirmum per medicinalem artem a morbo sanari; tam facile et tam tuto possumus audire vocem et verba hominis antea muti, et nunc solo imperio thaumaturgi sanati, ac vocem et verba hominis qui nunquam mutus fuit. — Si vero absentes fuerimus, de facto miraculoso in aliorum præsentia patrato non minus possumus per testimonia humana, quæ debitis sunt stipata conditionibus, certiores reddi, quam de quibusvis aliis factis historicis. Quando in testibus legitimæ adsunt qualitates : scilicet, facultas percipiendi et intelligendi pro re, de qua agitur, sat exculta, et voluntas testandi verum, fides illis non minus est adhibenda, ubi testantur factum miraculosum quam ubi aliud factum historicum referunt; nam non minus perfecte potuerunt hoc factum miraculosum observare, quam aliud quodvis; ac non minus etiam potuerunt sincere referre quæ de facto miraculoso viderunt et perceperunt, quam quæ de alio quovis apprehenderunt facto. Nec dicatur eos circa miraculosum facti characterem errare, nam hic non agitur de danda definitione, an factum aliquod sit miraculosum vel non, sed de testimonio dando an et quomodo factum aliquod exstiterit. Ergo clare liquet non minus per testimonia nobis constare posse, an miracula, sicut narrantur, exstiterint, quam nobis per testi-

monia constare potest an tale vel tale factum historicum sit verum vel falsum; ac proinde qui hac in re testimonia humana nolunt accipere, debent ea quoque pro tota historia respuere, ac in omnibus quæstionibus historicis profiteri scepticismum.

Nec objectio Davidis Hume ullo pacto demonstrationem nostram infirmat. Etenim, ut ejus argumentatio valorem haberet, admittere oporteret, quod miracula sunt omnino physice impossibilia. Nam, data eorum physica possibilitate, haud difficilius de eorum existentia quam de aliis factis certiores reddimur; siquidem miraculum, utpote factum sensibile, non minus quam factum naturale sub sensus cadit et fideliter potest narrari. Hoc solum in præsenti re potest admitti, quod nempe, ubi de facto miraculoso agitur, propter summum quod semper in miraculis habetur momentum, majori quam solemus cura, examinare debemus, num testes ad rem bene percipiendam sat apti fuerint, et in narratione sua sint vere fide digni.

V. Demonstratur pars altera propositionis : *e ratione philosophica.* Quod si non de omnibus saltem de multis miraculis nobis cum certitudine constare potest, ea esse vera miracula, ita probatur : toties nobis cum certitudine constat aliquod factum esse verum miraculum, quoties certo novimus illud esse productum sine sufficienti naturalis ordinis causa; nam cum repugnet, ut detur effectus sine causa, effectus ille qui sine sufficienti naturalis ordinis causa est productus, necessario censendus est causam habuisse supernaturalem, seu extraordinario Dei interventu esse productus, ac proinde esse miraculum. Jamvero, si non de omnibus, saltem de multis miraculis certo cognoscere possumus, ea sine sufficienti naturalis ordinis causa esse producta. Ergo si non de omnibus et singulis, saltem de multis miraculis, certo constare nobis potest ea esse vera miracula.

Prob. minor : quod nempe si non de omnibus et singulis, saltem de multis miraculis certo cognoscere possumus, ea sine

sufficienti naturalis ordinis causa esse producta. Sufficiens illa causa naturalis ordinis esset vel causa mundana, vel operatio angelica. Jamvero, si non de omnibus et singulis, saltem de multis miraculis certo cognoscere possumus, ea neque in causa mundana in eorum productione adhibita, neque in aliqua operatione angelica sufficientem habere rationem. Ergo.

a) Imprimis possumus certo de multis miraculis cognoscere ea in causa mundana, quæ in eorum productione fuit adhibita, sufficientem non habere rationem. Etenim de multis causis mundanis, quamvis determinare non possimus, quousque exacte eorum efficacia sese extendat, certo tamen novimus ex quotidiana experientia, quousque ipsæ pertingere non possint. Ita, etsi ignoremus quousque pertingere possit nobilissima medecinæ ars, certo tamen novimus, nullum medicum posse sua arte mortuum, et quidem jam quatriduo defectum et fœtentem ad vitam revocare. Similiter, quamvis adamussim non cognoscamus quid vox humana possit, novimus tamen omnimoda certitudine eam non posse efficere vel ut mortuus reviviscat, vel ut cœcus videat, surdus audiat, aut mutus loquatur, quando organa visus, auditus aut loquelæ in eis desint aut essentialiter sint læsa. Pariter plena cum certitudine scimus quinque panes et duos pisces nulla ratione sufficientes esse ad satiandam quinque hominum millium multitudinem, et corpora humana medio in igne posita ex sua naturali virtute a combustione non manere immunia. — Nec dici potest, nos cum plena certitudine non cognoscere, quod istæ causæ prædictos effectus certo non possint pertingere, sed unice certo scire, (cum experientia nihil ultra testetur), quod ipsæ ordinarie hos effectus non producunt, et penitus ignorare, num extraordinarie id non possint. Etenim, si admitteretur unam eamdemque vim naturalem in iisdem circumstantiis non constanti et uniformi modo agere, sed ordinarie hunc effectum, et extraordinarie omnino alium producere, inde necessario omnis lex physica fieret incerta, ac proinde

etiam cessaret, cum physica lex nihil aliud sit ac *constans* operandi modus, qui rebus physicis inest. Sed legibus physicis redditis incertis et destructis, jam vita humana, quæ in pluribus certa legum physicarum cognitione eget, ut suis subveniat necessitatibus, fieret impossibilis; et insuper omnia officia nostra moralia, quæ cum legibus physicis sunt connexa (et sunt plurima hujusmodi) fierent incerta et dubia. Ita v. g. si non omnino constaret, mortuum nulla naturali causa ad vitam posse revocari, non liceret corpus ejus sepelire aut prosecare, nec ejus bona hæredibus dividere. Jamvero hujusmodi vitæ humanæ et ordinis moralis turbatio cum Dei sapientia, bonitate et providentia omnino pugnat; ac proinde absolute impossibilis est censenda; sicuti recte id declarat Bergier, *Diction. Theol. Miracles* : « Nous ne connaissons pas, ait, toutes les lois par» ticulières de la nature, mais nous connaissons une loi géné» rale, qui nous garantit la certitude de celles, que nous con» naissons; *c'est la sagesse de Dieu et sa providence....* » parce que, s'il n'y avait rien de certain dans la nature, il n'y » aurait rien de certain non plus dans la *société,* dans notre » *état,* dans nos *devoirs*. Je suis assuré qu'il n'y a aucune loi » possible dans la nature, en vertu de laquelle un mort puisse » être rendu à la vie, parce que la résurrection, devenue natu» relle, changerait nécessairement l'ordre de la société.... Si » par une loi physique inconnue, mais possible à connaître, de » simples paroles pouvaient guérir toutes les maladies, serions» nous encore obligés de veiller si exactement à notre conser» vation et à celle d'autrui? Si par une autre loi physique un » corps humain pouvait marcher sur les eaux, voler dans les » airs, pénétrer les autres corps, quelles barrières pourraient » assurer notre vie et notre repos?.... Depuis Adam, jusqu'à » nous, a-t-on découvert une nouvelle loi physique, qui ait » introduit un *nouvel ordre moral*, ou qui ait donné quelque » atteinte à la règle immuable des mœurs? » Præterea prædicta

illa objectio etiam hac animadversione refellitur : repugnat legi physicæ, ut ipsa iisdem in adjunctis alium atque alium effectum producat, seu ut ordinarie ita agat, et extraordinarie aliter; nam causa physica, cum libera voluntate non sit prædita, necessario, positis debitis ad agendum conditionibus, secundum totam suam vim agit, ac proinde, ubi eædem adsunt conditiones, eumdem producit effectum. — Tandem et hoc responderi potest : adversarii negant miraculi possibilitatem, propterea quod secus, aiunt, leges physicæ fierent incertæ; sed nonne multo magis fiunt incertæ, si in eis duplex operandi modus, ordinarius nempe et extraordinarius, admittatur? — Plena igitur cum certitudine de pluribus causis mundanis novimus, quousque ipsæ pertingere non possint. Jamvero in casibus, ubi hujusmodi causæ solæ adhibentur, hæc cognitio est sufficiens, ut judicare possimus effectum aliquem in causa mundana, in ejus productione adhibita, rationem non habere. Ergo possumus certo de multis miraculis cognoscere, ea in causa mundana, quæ in eorum productione fuit adhibita, sufficientem non habere rationem.

b) Non minus certe possumus de multis miraculis cognoscere, ea ex operatione angelica non procedere. Etenim 1° ex *sola facti natura,* in pluribus casibus certe constare potest illud non esse merum *mirum* aut *præstigium*, qualia ab angelis fieri possunt. — Primo plenissime in pluribus casibus constare potest illud non esse merum *mirum*. Etenim angelica potestas in miris patrandis restricta est ad ea facienda, quæ per virium physicarum perfectam notitiam atque sapientem earum ordinationem et compositionem produci possunt, ac proinde nullatenus potest producere effectus, ad quos sufficientes non habentur in natura physica vires; uti v. g. sunt resurrectio mortui, restitutio organi sensitivi, quo quis omnino caret, multiplicatio alicujus materiæ; quæ omnia omnes naturæ vires superant, et sine virtute creativa produci nequeunt. Imo quoad ipsa facta,

quæ sola virium physicarum ordinatione explicari possunt, aliquando certitudo habetur, ea non esse ex virtute angelica. Etenim rerum physicarum motio, etiamsi a spiritu peragatur, requirit aliquod tempus. Ergo opera illa, quæ in instanti fiunt, certo non sunt ab angelis, sicut v. g. sanatio corporis aut organi graviter læsi omnino repente et subito peracta. — Item in pluribus casibus certo constare potest, factum, de quo agitur, non esse merum *præstigium*. Indubie angelus, vel corpus mortuum ingrediendo illudque varie movendo, vel formando corpus ex aëre, posset resurrectionem mortui fingere. Pariter in sensus nostros agendo ita posset nobis illudere, ut putemus rem videre aut sonum audire, quæ revera non existunt. Atvero quando factum aliquod per longum tempus est permanens, aut etiam quando frequenter fit, certo pronuntiari potest illud non esse merum præstigium. Etenim præstigia sunt essentialiter et necessario transitoria et rara : boni enim angeli præ sanctitate sua certe ea efficere non vellent præstigia, quibus mundi ordo turbaretur et labefactaretur omnis certitudo physica; mali autem id efficere certe vellent, si possent; sed a Deo indubie impediuntur, cum Deus, utpote sapiens et sanctus mundi rector, veram ordinis mundi turbationem pati non possit : jamvero præstigia, quæ per longum tempus permanerent aut quæ frequentia forent, omnem physicam certitudinem everterent, cum homines amplius non scirent, num ea quæ vident et sentiunt vere sint talia, sicuti apprehenduntur; imo plurima etiam officia erga proximum dubia redderentur, quia ubique illusiones essent timendæ : ergo.

2° Aliquod factum non esse merum mirum aut præstigium, cum certitudine etiam judicare possumus *ex solis circumstantiis*. Quando nempe *persona*, quæ factum producit, est vere sancta; quando etiam *factum* ipsum quod fit, et *finis* in quem fit sunt vere sancta; et quando insuper thaumaturgus opus, quod patrat, verum esse miraculum declarat, illudque ad Deum

appellando perficit, pro certo habere possumus factum illud revera esse miraculum, cum non intelligatur quomodo Deus summe bonus et sanctus in talibus circumstantiis dæmonibus permittere posset, ut mira vel præstigia efficiant. Occurrentibus enim simul istis circumstantiis, nulla habetur ratio suspicandi aliquem diaboli interventum; et sane Deus, qui auctor et protector est mundani ordinis, tolerare non potest, ut homines a dæmonibus ita decipiantur, ut fraudem suspicari non valeant; nam secus homo necessario in errorem duceretur, quod cum Dei providentia pugnat. — Bene observetur omnes illas conditiones, sanctitatem nempe thaumaturgi, sanctitatem operis, sanctitatem finis intenti, et ad Dei potentiam appellationem, debere vere existere et simul concurrere, ut judicium certum ex ipsis erui possit. Unde quando persona agens non est vere pia Deoque devota; vel quando opus, quod fit, non est ex omni parte decens ac cum suprema Dei sanctitate plene concordans; vel quando finis non est omnino purus, uti v. g. quando unice vana gloria intenditur; vel quando opus fit ad doctrinam confirmandam quæ non videtur ex omni parte recta, pura, sancta et ad Deum conducens; vel quando thaumaturgus suum opus Deo manifeste adscribere non audet, non licebit judicare peractum opus non esse mirum aut præstigium; imo sæpissime judicandum erit hoc opus esse vere diabolicum.

Hæc autem omnia multum confirmantur ex communi hominum consensu, qui ut miraculi possibilitatem, etiam ejus cognoscibilitatem agnoverunt. Si enim miracula non plene cognoscibilia esse putassent, sane eorum ope religionem suam stabilire conati non essent, sicuti id fecerunt (Cfr. supra 173); cum absurdum sit ad miraculum appellare, quod vel ut factum vel ut verum miraculum certe cognosci non posset.

VI. Demonstratur utraque pars propositionis : *e S. Scriptura.* Miraculorum cognoscibilitas tum sub ratione facti, tum etiam sub ratione characteris miraculosi, sequenti ratione e

S. Scriptura probatur : Christus Dominus frequenter ad miracula sua, ut divinitatem suæ missionis suæque doctrinæ demonstraret, appellavit. Ita Joan. X, 25, dixit : « *Loquor vobis, et* » *non creditis; opera, quæ ego facio in nomine Patris mei,* » *hæc testimonium perhibent de me;* » h. e. « jamdiu et sæpe » dixi vobis me esse a Patre missum in mundum, mundi salva- » torem, et nondum creditis dictis meis; et tamen miracula, » quæ consuevi, vobis ipsis testibus, per virtutem Patris mei » facere, testantur seu prædicant, quod ego sim Christus Filius » Dei, quippe facta in confirmationem hujus veritatis a me » assertæ; » et multis in circumstantiis, uti ex Evangelio patet, idem asseruit. Jamvero si de miraculis cognosci non posset ea sicut narrantur accidisse, et vera esse miracula, Christus ad ea ut suam missionem demonstraret, appellare non potuisset, cum absurdum sit ad factum et ad characterem facti appellare, quæ non sunt nota et innotescere non possunt. Ergo ex loquendi modo Christi clare liquet, eum censuisse quod miracula cognosci possunt tum sub ratione facti tum etiam sub ratione characteris sui miraculosi. — Apostoli, ut constat ex *Actib. Apost.* et *Epistolis*, in Evangelii prædicatione constanter ad miracula Christi et etiam ad sua appellarunt; ergo et ipsi agnoverunt miracula sub utroque dicto respectu esse plene cognoscibilia.

VII. Demonstratur utraque pars propositionis : *e Traditione.* Inter alia plurima, citabimus textum S. Augustini in *Epist.* 102, seu in *libro ad Deogratias*, q. 6 : « Sicut, ait, hu- » mana consuetudo verbis (h. e. sicut homines solent verbis » loqui), ita divina potentia (h. e. Deus omnipotens) loquitur » factis (h. e. miraculis). » Loquitur nempe in hoc loco S. Augustinus de miraculo Jonæ. Sed ut verbis ideas nostras aliis communicare possimus, ipsa debent esse cognoscibilia tum sub ratione facti tum sub ratione sensus; ergo pariter et miracula, quæ sunt Dei verba, debent sub utraque illa ratione cognosci

posse. — Pariter Origenes *Contra Celsum,* L. II, n. 74, miraculorum cognoscibilitatem manifeste supponit, ubi dicit : « Quantalibet miracula fecerit Deus, quamlibet perspicue illis » adfuerit, nihilo magis illi fidem tribuerunt (Judæi) toto tem- » pore, quo in deserto permanserunt, ut in lege Moysis scriptum » est. Et nunc nec admirabilis Jesu adventus, nec sermones » cum potestate habiti, nec insolita coram omni populo patrata » miracula eos adducere potuerunt, ut eum reciperent. »

VIII. Notanda ad facile et tuto de alicujus facti miraculoso charactere judicium ferendum. Doctissimus Suarez (De fide, Disp. 4, sect. 3. n. 9) sequentia monet attendenda, ut facile et tuto judicare possimus aliquod factum esse verum miraculum. « *Primum,* ait, consideranda est diuturnitas effectus, et per- » severantia, quæ est magnum indicium veritatis; nam quæ ficte » tantum fiunt, subito evanescunt; et ita mors Lazari per qua- » tuor dies probata est quod fuerit vera, et postea vita illi resti- » tuta per longa tempora. *Deinde* accedunt effectus per quos » talis veritas manifestatur; qualis maxime esse solent actiones » vitæ, ut videre est in cœco a nativitate. *Tertio,* consideratur » multitudo et frequentia talium effectuum, cum omnibus signis » et indiciis veritatis, quæ esse solent in omnibus rebus quæ » præ manibus gerimus; qua enim majori evidentia constare » potest, aliquod vinum esse verum vinum, quam fuerit illud in » quod Dominus aquam convertit? Unde consideratur etiam » *quarto* multiplex modus mirabilis operandi talia signa, per » imperium, per orationem ad Deum, adjungendo simul aliud » opus proprium Dei, ut manifestationem cogitationum cordis, » quod sæpe Christus faciebat. *Præterea (quinto)* considerandus » est finis talium operum, quod nihil temporale et humanum » nihilve et pravum per illa intendatur, sed potius rectitudo » et honestas morum, et veri Dei cognitio et ipsius dæmonis » expugnatio. »

IX. Objectiones. 1° Circa quæstionem an de miraculis cognosci

possit, ea ita accidisse sicuti narrantur, sequentia objiciunt adversarii : Etiamsi, aiunt, de miraculis, quorum ipsi testes sumus, certi possimus evadere, non idem tamen de iis est censendum, de quibus non aliter, ac aliorum testimonio innixi judicare possumus. Nam 1° ex testium narratione tam accuratam omnium adjunctorum cognitionem accipere non possumus, ut ex ea de miraculoso alicujus facti charactere judicare possimus; et 2° certitudo, quam hominum testimonium parit, moralis tantum est, cui semper, ubi de miraculo agitur, physica certitudo opponitur; jamvero in hac certitudinum pugna certitudini physicæ tamquam majori necessario standum est.

R. *ad* 1^um^. Hæc objectio saltem aliquatenus valeret, si ad judicium de miraculoso facto ferendum revera requireretur, sicuti adversarii volunt, plenissima totius facti et omnium ejus adjunctorum narratio; nam summopere difficile, ne dicamus impossibile, homini est ita factum aliquod narrare, ut illud revera sub omni respectu manifestum fiat. Atvero hujusmodi narratio nullatenus requiritur : alia enim non est necessaria, ac quæ sufficit, ut physico ordini esse derogatum videamus; et hanc indubie sine ulla difficultate obtinere possumus. Ita ut de Lazari resuscitatione judicare possimus, satis est, si noverimus, eum jam quatriduo mortuum et fœtentem, Christi imperio ad vitam esse revocatum et postea longo tempore cum hominibus vixisse: quæ omnia a *quibusvis testibus*, etiam *ab indoctis, plene* percipi et *fidelissime* narrari possunt.

R. *ad* 2^um^. Falsa est illa certitudinum pugna; et falsum insuper est, quod additur, certitudinem nempe physicam morali esse majorem. — Inprimis non *adest ea certitudinis pugna*. Etenim certitudo physica, quæ in legum physicarum constantia consistit, ex natura sua non absoluta sed hypothetica est, hoc est, constantia legum physicarum innixi, certo cognoscimus id, quod juxta ordinarium naturæ cursum evenire debet, revera eventurum esse, nisi naturæ legibus a Deo derogatum fuerit. Quare,

ubi certo testimonio nobis constat aliquid contra naturæ legem esse factum, non obstat certitudini morali, quam de hoc facto per testimonium habemus, certitudo physica, cum lex physica exceptiones a Deo ponendas non excludat. Existeret ea pugna, si legibus physicis nullatenus derogari posset, et simul ex testimonio nobis certo constaret eis derogatum fuisse; sed nunc nulla ratione existit, cum leges physicæ exceptiones admittant. — Præterea falsum etiam est *certitudinem physicam morali esse majorem*. Etenim certi ex eo dicimur, quod rei alicui *sine erroris formidine* adhæremus; in quo diversos gradus fingere absurdum est. Insuper sicut certitudo physica in constantia ordinis physici, ita moralis in constantia ordinis moralis innititur; et absurde ordo moralis, qui physico ordine potior est, minus constans quam physicus esse supponitur. Non minus sane certa est lex ista moralis, quod homines nolunt mendaces haberi, ac certa est lex physica, quod ignis comburit. — Cum igitur ea pugna inter physicam et moralem certitudinem non existat, et falso etiam asseratur certitudinem physicam morali esse majorem, tota objectio ruit.

Instatur dicendo : Multo verisimilius est homines, ubi miraculum narrant, mentiri, quam revera per miraculum physicis legibus esse derogatum. Etenim homines, ubi volunt, mentiri possunt, dum Deus, si miracula faciat, certe nonnisi perraro ea facit. Quare, ubi miraculum nobis narratur, potius existimare debemus quod testes mentiantur, quam quod miraculum vere acciderit.

R. Verum quidem est, quod homines frequentius possunt mentiri et revera frequentius mentiuntur, quam Deus convenienter potest facere et facit miracula; verum an ex eo quod res facilius et frequentius, aut minus facile et minus frequenter potest fieri et fit, demonstratur eam hic et nunc factam vel non factam esse? Certe nemo sanæ mentis id contendet; nam quis dicet narrationem operis alicujus valde laboriosi ideo ut falsam esse haben-

dam, quia hominibus facilius est in narratione sua mentiri, quam istud opus ad felicem exitum adducere? Ubi nempe agitur de inquirenda facti alicujus existentia, major aut minor facti difficultas, vel major aut minor ejus frequentia certitudinem non tollunt, quando veritatis criteria adsunt, et eam etiam non dant, quando hæc absunt. Et inde, ubi narratur miraculum, non a priori judicandum est testes esse mendaces, propterea quod homines facile et sæpe mentiuntur; sed scrutari oportet, an testes illi, qui hoc miraculum narrant, non mentiantur, et fide sint digni.

Instatur rursus dicendo : Semper verum manet, quod facilius est, mille testes errare aut decipere, quam factum naturæ legibus contrarium repugnans existere : ergo si unus homo testetur mortuum aliquem a morte esse suscitatum, mille testes assurgunt et affirmant, mortuos ad vitam non revocari.

R. Verum quidem est, mille testes et etiam totum humanum genus affirmare, quod mortui ad vitam non revocantur, h. e. quod sine Dei miraculo a morte suscitari non possunt; sed non affirmant hic et nunc resuscitationem mortui esse falsam, seu a Deo per miraculum non esse factam; ac proinde nihil ex hoc testimonio potest deduci contra veracitatem testis, qui mortui resuscitationem narrat.

Obj. 2° Ut cum certitudine possemus judicare aliquod factum revera totius naturæ creatæ vires superare, deberemus necessario totam illam naturam cognoscere; jamvero nullus homo eam totam cognoscit; ergo.

R. Falso asseritur ad hoc judicium requiri, ut totam cognoscamus naturam creatam. Etenim ut judicare possimus aliquod factum revera totius naturæ creatæ superare, satis est, ut cognoscamus factum illud per causam naturalem in ejus productione adhibitam effici non potuisse; nam, hoc habito, cogimur concludere Deum hujus facti esse immediatum auctorem, cum ipse solus effectum possit producere sine sufficientis causæ

naturalis adhibitione. Atvero de pluribus causis naturalibus certo ex quotidiana experientia novimus, eas ad tales vel tales effectus non esse sufficientes. Ergo.

Instatur dicendo : Quod tales et tales causæ non possunt ad hunc vel illum effectum pertingere, non novimus nisi ex experientia. Atvero experientia ista cum certitudine quidem nos docet ea quæ facta sunt, sed quoad futura nihil declarat. Ergo.

R. Id non novimus ex sola experientia, sed simul etiam ex duobus principiis metaphysicis, quorum unum est : vires physicas, cum entia materialia libertatem non habeant, semper eodem modo agere ubi in iisdem versantur circumstantiis; et alterum : Deum præ sapientia et providentia sua leges physicas neque destruere neque mutare. Jamvèro hisce principiis innixi, sane cum plena certitudine ex experientia deducimus, ad quid producendum physicæ vires sint in posterum valituræ. Ergo.

Obj. 3° Catholici, ubi theoriam suam de miraculis propugnant, sibi contradicunt : ut nempe defendant miraculi possibilitatem affirmant leges physicas non ita debere constantes esse, ut nullam exceptionem patiantur; et ubi adversarios, qui contendunt miracula ex extraordinaria physicarum virium actione posse explicari, refellunt, tunc asserunt, extraordinarias illas naturæ physicæ actiones haud posse componi cum ordine, quem Deus præ sapientia et providentia sua in mundo servare debet.

R. In hisce theologorum catholicorum assertis nulla habetur contradictio, cum pro ordine mundano unum et idem non sit, si physicæ leges per Dei miraculum suspendantur, vel si per propriam suam vim ordinarie hunc et extraordinarie illum effectum producant. Deus enim nonnisi raro, rem aperte declarando et in specialibus adjunctis miracula facit, et in eis faciendis semper optimum prosequitur finem, ita ut per miracula ordo mundanus neque destruatur neque etiam lædatur, sed contra evehatur et sublimetur. Atvero si vires physicæ per seipsas

quandoque extraordinarium effectum ederent, mundanus ordo inde omnino turbaretur atque etiam destrueretur. Cum enim homines noverint vires physicas, ubi conditiones ad agendum requisitæ adsunt, necessario agere, semper anxii et dubii essent circa effectus a naturalibus viribus expectandos. Nescirent enim utrum hic et nunc effectus extraordinarius, an vero ordinarius sit exspectandus; atque inde vita humana redderetur summe molesta. Ita, ut unum demus exemplum, si v. g. compertum esset, quod homines mortui extraordinaria virium physicarum actione ad vitam revocari possunt, an adhuc liceret mortuos sepelire? Forsan ille mortuus, quem sepelis, cras per extraordinariam naturæ actionem posset resurgere, et si eum nunc sepelias, eum vita, quam rursus acciperet, privas. Quæ incommoda ex miraculis nullatenus fluunt; nam cum immediato et singulari Dei interventu fiant, nullatenus miracula debent sicuti effectus naturales ab homine attendi in cura de vita sua physica gerenda et in officiis suis erga proximum statuendis. — Liquet igitur miraculum optime cum mundano ordine componi; dum nulla ratione cum eo componi potest, quod naturæ vires præter consuetum suum effectum etiam inconsuetum possent producere. — Præterea, uti monuimus, cum essentia legis physicæ, quæ per se necessario agit, omnino pugnat, ut tum ad consuetum tum ad inconsuetum effectum producendum esset ordinata.

Obj. 4° Catholici, aiunt adversarii, puritatem doctrinæ thaumaturgi ut notam habent, cujus ope de miraculoso alicujus facti charactere judicari possit; et simul docent miraculum esse positivam veritatis istius doctrinæ notam : ergo versantur in circulo vitioso, nam veritatem miraculi demonstrant ex veritate doctrinæ, et veritatem doctrinæ ex veritate miraculi.

R. Vere versarentur in circulo vitioso, si thaumaturgi doctrinam judicarent esse puram et sanctam ex eo quod isto miraculo, de quo inquiritur, est confirmata; atvero non inde istud judi-

cium ferunt, sed ex hujus doctrinæ conformitate cum rationis dictamine aut cum revelatione præcedenti. Ergo non ex miraculo, de quo inquiritur, judicant thaumaturgi doctrinam esse puram, sed ex eo quod hæc doctrina cum ratione aut cum præcedenti revelatione non pugnat sed potius congruit; et in hac puritate motivum habent ad judicandum opus a thaumaturgo effectum verum esse miraculum : quo demonstrato, ex hoc miraculo demonstratur thaumaturgi doctrina esse vere divina. Liquet igitur catholicos hac in re nullatenus in circulo versari vitioso.

Obj. 5° Nulla ratione, inquiunt multi, de miraculis certo cognosci potest, ea esse vera miracula, cum quotidiana experientia constet de die in diem magis mirandos effectus, præter omnem expectationem omnesque naturæ leges hucusque notas, ope phantasiæ aut systematis nervosi commotione produci.

R. Ut hæc objectio plene refellatur, sequentia tantum sunt notanda : *a)* Si verum esset per phantasiam nervorumque turbationem quævis mira posse produci, hæc tamen indubie restringenda sunt ad effectus in ipsa persona, quæ phantasiæ aut nervorum commotione laborat, producendos; nam experientia sane non docet neque ullus homo mente sanus contendere audebit, quod qui phantasiam aut nervorum systema turbata habent, ex hac sola turbatione potestatem habeant mirabilia *extra se* operandi, uti v. g. solo imperio aquam in vinum mutare, quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millium multitudinem satiare, aut suscitare mortuos ad vitam.

b) Dein quod ad effectus attinet in ipsa persona, cujus phantasia aut nervi commoventur, producendos, certe vi phantasiæ et nervorum multi produci possunt effectus qui ab ipsis sunt dependentes, uti v. g. curatio ab iis morbis, qui ex phantasiæ et nervorum abnormi commotione sunt nati, quales sunt affectiones spasmodicæ, hypocondricæ, uterinæ et eroticæ. Atvero experientia non constat et nemo sanæ mentis contendet, quosvis

effectus in homine phantasiæ et nervorum vi produci posse, uti v. g. sunt restitutio pedis, brachii vel manus, quæ fuerunt præcisa, curatio ab inveterato quodam vulnere, illuminatio cœci, qui oculis omnino caret.

c) Concedimus haberi aliquos mirabiles effectus, de quibus nonnisi summa cum difficultate dijudicari potest, utrum a phantasia vel nervis sint producti, an vero eorum potentiam superent. Verum nihil inde contra miraculorum cognoscibilitatem fluit; nam ut ipsa sint cognoscibilia, non oportet ut de omnibus sed satis est si de multis judicare possimus, ea esse vera miracula. Jamvero ex dictis sub litteris *b)* et *c)* jam manifeste constat plures esse mirabiles effectus, qui certe non possunt haberi uti a phantasia vel a nervis producti.

Hujusmodi mirabiles effectus sunt extases et stigmata. Extasis (quæ in completa omnis operationis sensitivæ et muscularis suspensione, et in vehementissima facultatum animæ operatione consistit), potest quidem tum a Deo, tum a diabolo, tum etiam a mera humana operatione procedere, et sæpissime nonnisi summa cum difficultate distingui potest qualem revera habuerit causam, saltem utrum divinam, an vero mere humanam. Quocirca summa opus est prudentia, ad judicandum aliquam extasim non esse effectum naturalem; quod maxime confirmatur ex verbis Benedicti XIV, qui *de servorum Dei Beatif.* L. III, c. 49, n. 14, declarat S. Sedem nunquam extases ut miracula specialia approbare, nisi forte aliquo supra naturam signo comitante contigerint. « Et quamvis, ait, extases a Deo proxime immissæ » absque prævia applicatione et hominis vehementi attentione, » mirificæ dici possint, itemque illæ, quæ homini adveniunt ex » superno operanti auxilio, et firmiter divinis apprehensis » adhærenti; ab Apostolica Sede tamen nunquam pro miraculis » specialibus approbantur, nisi forte aliquo supra naturam » signo comitante contigerint, puta splendorem in vultu et » similia; tunc enim splendor ipse et radii e vultu manantes,

» tamquam miracula approbari possunt. » — Quod ad stigmata attinet, etiam valde ardua est quæstio, an ipsa necessario debeant censeri opus divinum vel diabolicum, et tamquam naturales effectus haberi non possint; nam forsan hac in re tota naturæ virtus nondum plene est explorata. Unde, ubi casus stigmatizationis habetur, haud leviter judicetur eam esse verum miraculum, sed potius judicium suspendatur quoadusque res penitus fuerit elucidata.

Extasim posse naturaliter produci, facile demonstratur. Experientia enim constat, quod, ubi intellectus et voluntas cum magna vehementia operantur, membrorum vires languescunt; halitus, quo vires instaurantur, magis magisque comprimitur; et sensus externi quasi sopiuntur. Ita, ubi quis summa attentione aliquid considerat, aut ardentissimo desiderio in aliquod bonum fertur, fere semper distractus erit a rebus quæ sub sensus ejus tunc cadent : non videbit, neque audiet quæ circa ipsum fiunt aut dicuntur. Hujusmodi distractione detentus, S. Thomas, uti refertur, semel ita fuit studio theologiæ absorptus, ut manus sua fuerit adustione læsa, quin ipse rem senserit; et pariter Socrati, uti narrat Plato, quadam die accidit, ut philosophicæ quæstioni sedulo studens per duodecim horas omnino eumdem servaverit corporis situm. Jamvero hæc omnia, quæ omnino sunt naturalia, sunt initia veræ extasis; sed hæc certe augeri naturaliter possunt, atque ita producere completam extasim; ergo dicendum est extasim naturaliter posse produci. — In libro suo *De Civ. Dei,* L. XIV, c. 24 refert S. Augustinus quosdam miros effectus naturaliter productos, inter quos habetur exemplum veræ extasis quæ certe fuit naturalis : « Nam et hominum, ait, quorumdam » naturas novimus multum ceteris dispares, et ipsa raritate » mirabiles, nonnulla ut volunt de corpore facientium, quæ alii » nullo modo possunt, et audita vix credunt. Sunt enim qui et » aures moveant vel singulas, vel ambas simul. Sunt qui totam » cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt

« ad frontem, revocantque cum volunt..... Quidam voces avium « pecorumque et aliorum quorumlibet sic imitantur, ut nisi « videantur, discerni omnino non possint..... Ipse sum expertus, « sudare hominem solere cum vellet. Notum est, quosdam flere « cum volunt, atque ubertim lacrymas fundere. Jam illud multo « est incredibilius, quod plerique fratres memoria recentissima « experti sunt. Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in pa- « rœcia Calamensis ecclesiæ, qui quando ei placebat, (rogabatur « autem ut hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram scire « cupiebant), ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis « voces, ita se auferebat a sensibus, et jacebat simillimus mor- « tuo; ut non solum vellicantes atque pungentes minime sentiret, « sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris « sensu, nisi postmodum ex vulnere : non autem obnitendo, sed « non sentiendo non moveri corpus, eo probabatur, quod tam- « quam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus : hominum « tamen voces, si clarius loquerentur, tamquam de longinquo « se audire postea referebat. » (1)

(1) Similia naturalis extasis exempla referuntur in articulo publicationis periodicæ : *Etudes religieuses*. T. I, p. 673, anni 1878; e quibus sequens factum excerpimus : « Une femme, agée de vingt quatre ans d'une basse « condition et sans éducation, allait quelquefois au temple, écoutant sur- « tout avec plus d'attention la parole sacrée lorsqu'elle avait rapport à la « haine, à l'horreur et à la contrition du péché. Son esprit, absorbé dans « ses méditations, éprouvait une angoisse extrême, et son visage expri- « mait toute la tristesse dont son âme était pénétrée. Un jour assistant au « prêche, elle resta tout-à-coup presqu'entièrement privée de mouvement et « de sentiment. Les cérémonies terminées, on la trouva immobile comme « une statue, les yeux ouverts, fixés au ciel, complétement insensible; au « bout d'une heure elle reprit ses sens. Aux questions qu'on lui faisait, elle « répondait qu'elle n'avait rien senti, ni rien entendu, qu'elle se portait « bien; que pendant cet état, qu'elle comparait à un sommeil profond, elle « avait contemplé son Sauveur et éprouvé des sensations délicieuses. Ces « accès se renouvelèrent plus de cent fois en quarante jours; tantôt ils étaient « plus légers, plus courts; tantôt plus longs, plus forts; mais dans tous « les cas, la malade ne sentait pas l'action des sels volatils les plus forts

Obj. 6° Experientia constat, mirabilia opera omnino iis similia, quæ catholici ut miracula habent, in Gentilium cultu a dæmone produci; ergo vera miracula ab operibus diabolicis dignosci non possunt.

R. Falso asseritur mira opera, quæ apud gentiles et idololatras a dæmone, historia teste, peracta sunt et peraguntur, nostris miraculosis factis prorsus esse similia; nam contra tantopere et tam manifeste ab eis differunt, ut sine magno labore cum plena certitudine inter ipsa et opera vere miraculosa possit discerni. Etenim *a)* nullum opus refertur a diabolo productum, ad quod requiritur potentia creandi seu aliquid faciendi ex nihilo, sicut resuscitatio mortui, multiplicatio alicujus materiæ, restitutio membri quod alicui corpori humano deerat.

b) Passim opera diabolica peracta sunt et peraguntur cum variis ritibus, Deo infinite sancto et perfecto omnino indignis, imo sæpe impiissimis et vere obscœnis. Pluribus enim indubitatis testimoniis demonstrat Dœllinger (Paganisme et Judaisme, T. III, L. VIII, n. 7.) apud gentiles solitum fuisse in magicæ artis operibus falsis diis immolare infantes, aliaque horrenda perpetrare.

c) Diabolica opera semper et constanter facta sunt ad peccaminosum scopum, nimirum vel ad comprobationem doctrinarum, quarum absurditas et immoralitas omnem divinæ originis possibilitatem a priori excludunt, qualia sunt systemata religiosa antiquarum nationum gentilium, et nationum idololatrarum, quæ hucusque in mundo existunt.

» appliqués aux yeux, aux narines; les frictions, les piqûres n'étaient pas » même perçues. Pendant l'acces, le pouls, la respiration et la coloration » étaient à l'état normal; à peine était-il terminé, qu'elle pouvait reprendre » ses occupations habituelles. Les paroxismes se déclaraient presque tou- » jours après avoir entendu la psalmodie ou la parole divine, quand elle » exprimait un amour ardent au Christ. Cette affection a guéri par chan- » gement d'air et promenades. » Cfr dicenda de Magnetismo et Hypnotismo.

d) Præterea opera diabolica, quæ historiæ documentis nobis sunt nota, continentur omnia dynamicis et mechanicis quibusdam effectibus, qui nullatenus, quod tamen ad verum miraculum pertinet, ad pietatem in Deum excitandam nostramque de Dei majestate existimationem augendam inserviunt, sed contra nihil aliud quam horrorem, inanem admirationem, inanis curiositatis satisfactionem in homine producunt (1).

(1) Id autem clare constat ex miris dæmonis in Thibetica regione operibus, quæ nobis a D. Huc, missionario apostolico, in ejus opere : *Souvenirs d'un voyage dans la Tartarie et le Thibet pendant les années* 1844, 1845 *et* 1846, referuntur, et generatim ut principaliora dæmonis opera nobis nota habentur : « S'entre-ouvrir le ventre, ait D. Huc, est un des plus fameux » sié-fa (moyen pervers), que possèdent les Lamas. (Hæc ventris incisio fit » ab uno alterove *lama* mediis in imprecationibus quibusdam solemnioribus » diebus.) Les autres quoique du même genre, sont moins grandioses et » plus en vogue; ils se pratiquent à domicile, en particulier, et non pas » dans les grandes solennités des lamaseries. Ainsi, on fait rougir au feu » des morceaux de fer, puis on les lèche impunément; on se fait des inci- » sions sur le corps, sans qu'il en reste un instant après la moindre » trace, etc. etc. Toutes ces opérations doivent être précédées de la réci- » tation de quelque prière.

» Nous avons connu un Lama qui, au dire de tout le monde, remplissait » à volonté un vase d'eau, au moyen d'une formule de prière. Nous ne » pûmes le résoudre à tenter l'épreuve en notre présence. Il nous disait » que, n'ayant pas les mêmes croyances que lui, ses tentatives ne seraient » non seulement infructueuses, mais l'exposeraient encore à de graves » dangers..... Tous les Lamas indistinctement n'ont pas le pouvoir des » opérations prodigieuses. Ceux qui ont l'affreuse capacité de s'ouvrir le » ventre, par exemple, ne se rencontrent jamais dans les rangs élevés de la » hiérarchie lamaïque. Ce sont ordinairement de simples lamas, mal famés » et peu estimés de leurs confrères. Les Lamas réguliers et de bon sens » témoignent en général de l'horreur pour de tels spectacles. A leurs yeux, » toutes ces opérations sont *perverses et diaboliques*. Les bons Lamas, » disent-ils, ne sont pas capables d'exécuter de telles choses; ils doivent » même se garder de chercher à acquérir ce talent impie. »

De hisce bene animadvertit R. P. Monsabré in *Conf. sur les miracles :* « Tout miracle divin, ait, a généralement un but de bienfaisance : sauver » un peuple, nourrir des foules affamées, guérir les infirmités humaines, » consoler de grandes infortunes, exciter la piété, réchauffer l'amour de » Dieu dans les cœurs. C'est le sourire de la miséricorde à travers les

Obj. 7° Omnia mirabilia opera, quæ ut miracula a catholicis habentur, omnino iis effectibus sunt similia quæ nostra ætate *magnetismi* seu *spiritismi* aut *hypnotismi* ope producuntur; ac proinde liquet vera miracula a naturalibus vel saltem a diabolicis operibus dignosci non posse.

R. Pro plena hujus difficultatis solutione sequentia puncta sunt notanda :

A) Quomodo incepit et progressus est magnetismus; et quinam sunt præcipui ejus effectus?

R. Tres in magnetismi historia distinguuntur epochæ, quibus tres effectuum classes correspondent.

a) Magnetismi auctor est Mesmer, medicus Germaniæ (1733-1815), qui per novam suam artem nihil aliud ac therapeuticos seu medicinales effectus intendebat. Manuum scilicet attrectatione, variis gesticulationibus atque etiam physicis magnetis instrumentis, in patientibus producebat *spasmos* seu violentas nervorum convulsiones; *attractionem* vi cujus magnetizatus accedit vel recedit ad magnetizantis jussum; *catalepsin* seu vim indefinite in aliqua corporis positione

» manifestations de sa puissance. Les œuvres diaboliques imitent bien » quelquefois cette action bienfaisante des miracles divins; mais, la plu- » part du temps, ils n'ont pas d'autre but, que d'administer à la curiosité » publique une vaine pâture. Produire des bruits effrayants, évoquer des « fantômes, se plier le corps, s'enfoncer les ongles dans la chair, s'ouvrir » le ventre et s'arracher les entrailles, remplir des vases d'eau : voilà à quoi » sont occupés et s'appliquent encore les ministres du malin esprit. Les » sentiments qui lui répondent, sont la stupéfaction, la défiance, la crainte » de la part des gens ignorants et crédules, le mépris de la part des gens » éclairés. C'est ainsi que les Lamas de l'orient sont méprisés et dédaignés » de leurs confrères, qui se piquent de conserver quelque dignité. » Opera, quæ hic juxta narrationem D. Huc retulimus, indubie dæmonis potentiam non superant; nam attenta magna ejus scientia atque ad naturalia media applicanda solertia, facile potest celerrime aliquam incisionem sanare, aut saltem aliquid efficere, ut sanata videatur, corpus interponere ne caro ignito ferro comburatur, et alia similia. De falsis gentilium miraculis plura reperies apud De Bonniot, *Le Miracle et ses contrefaçons*, Paris, 1888, 3e éd. p. p. 120 sqq.

manendi; *rigiditatem* seu *immobilitatem*, qua magnetizati membra nullatenus moveri possunt.

b) Versus hujus sæculi initium, mediis arte mesmerica primitiva multo facilioribus et minoribus, solo scilicet magnetizantis imperio, seu sola etiam ejus apud magnetizandum præsentia, effectus præcedentibus longe præstantiores obtineri cœperunt. Præcitatis nempe effectibus accesserunt : *somnus magneticus*, quo magnetizatus cum magnetizante exclusive communicat eique in omnibus est submissus; *somnus lucidus* (la clairvoyance), quo magnetizatus miris facultatibus videtur instructus, ut puta videndi per oculos clausos, per stomachum, per manus aut per pedes, loquendi linguas antea plane ignotas, intuendi in loca valde distantia; et *cxtasis magnetica*, in qua magnetizatus harmonicos audit concentus, vel etiam admirandis assistit spirituum apparitionibus.

c) Ab anno 1840 rursus novi et etiam mirabiliores effectus prodierunt, qui, cum sat clare spirituum interventum manifestarent, effecerunt ut ars, qua producuntur, deinceps communiter *spiritismus* cœperit vocari, et persona, quæ ipsos producit, nuncupata sit *medium* (h. e. medium, quo spiritus utuntur ad effectus producendos). Duplicis autem speciei sunt isti effectus : alii sunt physici, alii vero intellectuales. Physici effectus consistunt in rerum motu et variis circa corpora operationibus; intellectuales vero in responsis ab aliquo occulto agente ad propositas quæstiones datis.

Effectus isti sequenti modo initium sumpserunt atque progressi sunt : Primo inventum est tabulas aut alia materialia objecta rotare seu in gyrum versari (unde nomen : *tabulæ rotantes, tables tournantes*), dum extremo circumstantium digito connexo in toto circuitu tangerentur; et non multo post tabulæ aliaque objecta (uti pyxides super tabulam positæ) apparuerunt, quæ, postquam se in altum elevaverant, solum vel mensam percutiebant (unde nomen : *spiritus percutientes*,

esprits frappeurs). Quo animadverso, personæ, quæ *medii* officio fungebantur, conventione prius facta de litteris vel etiam de verbis per certum percussionum numerum vel per certum percutiendi modum significandis, quæstiones cœperunt ponere et omnigena obtinuerunt responsa ad sua quæsita. Verum iste modus responsa obtinendi mox ad majorem est adductus perfectionem : super mensam, in qua alphabeti litteræ erant depictæ, suspendebatur calamus, qui ad medii quæsita responsum dabat, successive litteras quibus responsum constabat indicando; vel etiam quandoque medium extasi quasi raptum sumebat calamum, et vi occulta impulsus, summa cum celeritate ad positas quæstiones responsa scribebat. Postea adhuc facilius responsum est obtentum : ipse enim calamus, ex solo tactu medii vel etiam ex solo ejus imperio cœpit se erigere et in tabula vel charta responsum ad quæsita per seipsum scribere. Tandem nostris diebus hucusque jam pervenit spiritismus, ut medium extasi raptum ad quæsita voce respondeat, aut etiam ad jussum medii audiantur alicujus agentis occulti vox et verba, quibus quæsitis respondetur. — Secundum has omnes methodos, solent nostris diebus *media* quæstiones spiritibus et maxime animabus defunctorum ponere. — Quod vero ad revelationes, quæ per ista responsa fiunt, attinet, sequentia sunt notanda : occulti illi agentes, qui respondent, se dicunt aliquando *genios*, sed frequentius defunctorum hominum animas; et solent, ubi a mediis anima alicujus determinatæ personæ evocatur, tanta cum arte suam cum hac anima identitatem demonstrare, talia nimirum respondendo, quæ ab hac persona sola possunt cognosci, et adhibendo quoque eumdem stylum, quo ipsa in vita sua uti solebat, ut quis hæc audiens facile putaret revera evocatam personam coram se esse præsentem. Negant autem absolute dæmones, h. e. spiritus malos ab animabus pravis hominum distinctos, existere. Sortem suam ita generatim definiunt : æternas existere pro impiis pœnas omnino negant, et docent

omnes spiritus variis modis successive se evolvere variosque existere mundos et existendi modos, per quos omnes spiritus transire debent, donec tandem plenam suam perfectionem obtinuerint. De Deo vel contradictoria affirmant, vel nihil de Ipso sibi notum esse fingunt. Aliquando res, quæ in loco longe dissito peraguntur, vel quæ humanis sensibus, utpote in corpore humano, aut in terra aut in aquis inclusa, non patent, exacte declarant. Verum circa arduas scientiarum quæstiones omittunt dare solutiones, quarum valor per certa criteria ab homine dignosci potest. Frequentissime autem eorum responsa sunt omnino frivola, omni decore destituta, atque etiam lasciva (1).

Physici autem effectus sunt fere semper iidem, et ad hæc capita revocari possunt : effectus magis consueti minusque

(1) Exempla plurima hujusmodi responsorum in libris hac de re tractantibus invenimus : In opere Cahaguet (*Arcanes de la vie future*) habetur dialogus sequens cujusdam spiritus cum medio : « Quo concedit anima a » corpore separata? — In loca cœlestia. — Quid ibidem agit, bibitne vel » manducat? — Satisfacit suis affectibus. — Suntne loca felicia et infelicia? » — Sane. — An patiuntur qui infelicibus hisce locis detinentur? — Satis- » faciunt suis affectionibus *cum summa beatitudine.* » Similia leguntur in famosa evocatione Swedenborgii : « Errant animæ, inquit spiritus de futura » vita agens, in paradiso campis Elisæis simillimo. Cernuntur ibidem beatæ » animæ gastronomicis occupatæ deliciis, mulieres corporis cultu distentæ, » ignari et eruditi studiis suis indulgentes. Heus, fruamur, usque fruamur. » — Des Mousseaux, auctor libri, *La Magie au XIX siècle*, sequentia refert de evocatione animæ Judæ : « Ton nom? — Judas d'Iscara. — Où es-tu? — » Enfer. — Tu peux donc en sortir? — Non. — Y es-tu en totalité ou en » partie? — En totalité. — Souffres-tu? — Oui. — C'est toi qui as trahi » Jésus-Christ? — Oui, — Pourquoi? — Béelzebub. — Comment cela? — » Argent. — Est-ce à un arbre ou à une construction que tu te pendis? — » A un arbre. — Existe-t-il encore? — Non. — Te repens-tu? — Non. — » Les oliviers de Gethsémani existaient-ils du temps de Jésus-Christ? — » Oui. — A-t-il prié dessous? — Oui. — Devons-nous croire au christia- » nisme et obéir à Jésus-Christ? — Oui. — Connais-tu les taureaux de » Ninive, qui sont à Paris? — Oui. — Quel est le roi, qui les a fait faire? » — Hasaraddon. — Es-tu menteur? — Oui. — Une canaille? — Oui. — » Un triple gueux. — Oui. — Es-tu obligé de nous obéir? — Oui. — Vien- » dras-tu quand nous t'appellerons? — Oui. — Va-t-en. »

præstantes consistunt in rotatione et motu tabularum, parvarum pyxidum quæ super tabulas ponuntur, aliorumque objectorum; in diminutione ponderis specifici objectorum, qua efficitur ut objecta valde gravia in aëre uti pennæ volitent; in omnigenis commotionibus personarum quæ spiritismi phænomenis intersunt; in musicis concentibus ope instrumentorum visibilium aut etiam invisibilium, quæ invisibili manu tanguntur, productis. Præstantiores autem et rariores effectus sunt : objecta materialia ex loco dissito brevissimo tempore coram assistentes afferre, et præsentia objecta invisibili operatione et repente ab oculis eorum auferre; nodos facere in fune cujus ambo fines sunt perfecte conjuncti, seu qui in circuitu est clausus; ex annulis clausis facere catenam; ante oculos spiritus evocatos sub specie humana completa, vel saltem partiali (scilicet sub specie capitis, aut brachii, aut manus) ponere, quod *materializatio spirituum* vocatur. Attamen de istis effectibus materializationis non ita certo constat, ac de cæteris præcitatis factis.

d) Hodie notissimi sunt effectus miri, per hypnotismum producti. Horum fusior descriptio traditur in Tractatu de *Deo Creatore* Cap. II, § I, inter objectiones contra animæ spiritualitatem allatas. Reducuntur fere ad phænomen magnetica sub littera *b)* indicata.

B) Quæritur secundo, utrum effectus hic descripti ut veri habendi sint; an vero liceat omnino eorum veritatem negare atque contendere, quod in spiritismi phœnomenis nihil aliud quam artis et dexteritatis humanæ opera habeantur?

R. Indubie haud pauca individua facta, quæ magnetismo aut spiritismo attribuuntur, dolo et fraudi sunt adscribenda, cum certo constet plures personas, quæ *medii* munere fungebantur, a civilibus tribunalibus, propter fraudem et dolum in spiritismi phænomenis adhibita, fuisse damnatas; sed nulla existit firma ratio ad negandum, quod effectus, quos hic memoravimus, frequenter spiritismi ope fuerint producti; ac proinde qui hæc

omnia negaret, legitime imprudentiæ posset accusari. Etenim tot tantæque auctoritatis existunt hac de re testes, ut si ipsis fides denegetur, fere omnis fides historica sit rejicienda. Habentur nempe saltem decem milliones hominum spiritismo adhærentium, ex omni expolita aut Americæ aut Europæ natione, inter quos multi habentur viri sua circa res naturales scientia et sua probitate maxime conspicui, cultores cujusvis religionis, et etiam materialistæ, qui pertinaciter abominando suo systemati adhærebant, sed evidentia effectuum spiritismi convicti spiritualismum amplexi sunt. Præterea in America usus pyxidum rotantium et quæstionibus respondentium tam communis est, ut ibi fabricæ, quæ nihil aliud conficiant quam pyxides in hunc usum destinatas, existant. Jamvero quis rationabiliter arbitrari posset tot homines neque origine, neque conditione, neque religione conjunctos, imo etiam sæpe religiosis studiis prorsus divisos, unanimiter, quasi pactum iniissent, in idem mendacium consentire, vel eos omnes constanter fuisse mediorum arte deceptos, et erronee putasse facta illa coram se vere fieri, dum non fiebant. Sane, si hujusmodi commune mendacium, aut talis communis error admitteretur, valedicendum necessario foret fere omni historiæ certitudini. (1)

C) An reipsa, sicut increduli id contendunt, verâ mira-

(1) « Aujourd'hui, ait *Matignon*, *La Question du Surnaturel* p. 404, devant » la multitude presque innombrable de témoins de tous les pays, de toutes » les religions, qui se posent comme ayant vu de sang-froid, examiné avec » toute la rigueur d'un esprit incrédule, il est à peu près impossible de » s'arrêter à une telle hypothèse (scilicet de hallucinatione vel de impo- » stura). Nous ne nions pas sans doute, que certaines expériences n'aient » été surfaites; le charlatanisme, le goût du merveilleux, la persuasion » préalable qu'on allait se trouver transporté dans un monde de prodiges, » ont pu assurément faire illusion à plusieurs; mais en défalquant tout ce » qui peut raisonnablement être attribué à de semblables causes, il reste » encore un nombre innombrable de faits, dont nous ne saurions nier la » réalité, sans renoncer à tous les principes de la certitude historique. »

cula ab istis magnetismi, spiritismi et hypnotismi effectibus, dignosci non possunt?

R. Plura et quidem tutissima habentur media ad vera miracula ab istis effectibus discernenda. Etenim 1° Magnetismus, vel spiritismus aut hypnotismus nulla ratione producit, uti eorum historia constat, effectus qui supernaturales sunt, vel *quantum ad id quod fit* (uti quod duo corpora essent simul in eodem loco), vel *quantum ad id in quo fit* (uti mortui resuscitatio). 2° Effectus igitur magnetismi hypnotismi et spiritismi analogiam tantum habere possunt cum miraculis *quantum ad modum quo fiunt,* (qualia sunt instantanea morbi sanatio, subita aëris densatio in pluviam), sed etiam ab istis facile discerni possunt. Nam magnetismus et spiritismus non omnino repente et subito, nec sine adhibitis mediis aliquod opus mirum perficiunt, sed aliquo temporis spatio, variisque adminiculis ad hoc egent; dum miracula instantanee, sine mediis, ad solum thaumaturgi jussum fiunt. Præterea 3°, sanationes v. g. magnetismi, spiritismi et hypnotismi ope obtentæ ordinarie non sunt certæ et completæ, dum contra illæ, quæ miraculo fiunt, semper sunt omnino perfectæ. « Lorsque l'agent magné-» tique, ait *Des Mousseaux, La Magie au XIX siècle,* Ch. XII, » opère sur les maux de nos corps, l'expérience établit, à titre de » vérité générale, qu'il ne les guérit point sans causer de vives » douleurs, ou sans nous faire courir le risque dans la vie, que » souvent il éteint. Ses cures sont d'une longueur désespérante; » elles ne sont complètes que par exception; le mal qu'il chasse » d'un organe est souvent remplacé dans un autre organe par » un mal farouche, et les maladies dissipées sont sujettes à de » cruels retours. » Tandem 4° modus quo magnetica et spiritica experimenta contingunt sæpius est omnino indecens, lascivus et obscœnus; dum contra quæcumque ad verum miraculum spectant, necessario sub omni ratione pura et sancta esse debent, cum Deus operis indecentis aut mali auctor esse non possit. Solent enim in istis experimentis passiones impudicæ in mem-

bris excitari, verba valde turpia proferri et obscœna quævis oculis offerri. — Pluribus igitur rationibus magnetismi, spiritismi et hypnotismi experimenta a veris miraculis distinguuntur; ac proinde saltem multa miracula ab istis experimentis certo et tuto possunt discerni.

D) Quid censendum est de magneticorum, spiriticorum et hypnoticorum effectuum causa?

R. Licet forsan quidam inferiores magnetismi, spiritismi et hypnotismi effectus naturalibus causis possint attribui, certo tamen eorum effectus principaliores nonnisi angelis malis seu dæmonibus adscribi posse videntur : quod ita demonstratur.

Plures magnetismi, spiritismi et hypnotismi effectus, quales sunt: responsa mensarum aut pyxidum ex condictis ictibus, quæstionibus adstantium data, erectio et scriptio calami absque ullo hominis contactu ad solum *medii* jussum obtentæ, litterarum indicatio eadem ratione per calamum facta, declaratio rerum quæ in eodem temporis momento in locis distantibus fiunt, aut homini sunt prorsus occultæ, scientia plurium idiomatum subito patienti infusa, et plurima alia, indubie nonnisi a causa intelligente produci possunt. Jamvero dici non potest vel homines in hoc mundo viventes, vel animas separatas, vel angelos bonos horum effectuum esse causam. Ergo concludatur oportet, hos effectus dæmonibus esse adscribendos.

1° Homines hujus mundi non possunt horum effectuum esse causa; nam, ut ipsi tales effectus producere possent, oporteret ut anima humana, durante hac vita, posset extra corpus suum et sine ipso operari, in res distantes agere, in pluribus locis simul adesse, cum personis aliis et longe distantibus sino ullo externo medio colloqui et cum eis se aliquatenus personalitatis vinculo conjungere. Jamvero id animæ nostræ, durante hac vita, naturalem facultatem omnino superat. Certum enim est animam humanam in præsenti conditione, extra corpus quod informat ac spatium quo istud continetur, *naturaliter* agere

non posse, atque etiam corporis organis ad operationes suas egere : et hoc quidem pro naturæ humanæ unitate omnino exigitur. Si enim anima vel corpus per se sola in præsenti conditione possent agere, jam unitas non haberetur in hominis natura; seu unio jam non existeret inter duas partes, quibus homo constituitur. Præterea experientia id clare confirmat; notum enim est quod, ubi unum alterumve corporis membrum est mortificatum, anima illud movere non potest. « Manifestum » est, ait S. Thomas, I. q. 117, a. 4, quod cum anima est corpori » unita, non movet corpus nisi vivificatum; unde si aliquod » membrum corporis mortificetur, non obedit animæ ad motum » localem. » Ergo physica impossibilitas in eo est, ut anima sese extra corpus diffundat, atque procul ab eo operetur, aut etiam quid ad extra agat sine corporis organis.

2° In spiriticis experimentis pluries occultus agens, qui quæsitis respondet, declarat se esse animam cujusdam determinatæ personæ defunctæ, et spiritistæ omnes contendunt animas defunctorum vere a se evocari; atvero certo tenendum est, quod animæ separatæ naturalem virtutem non habeant, ut cum mundo nostro visibili communicent, ac proinde ipsas non posse prædictorum effectuum esse causas.

Quod anima separata per signa sensibilia, uti sunt voces, corporum motiones, scriptura aliaque hujusmodi, nobiscum communicare non potest, ita demonstratur : anima, ubi cum corpore est unita, non movet immediate nisi corpus suum solum, et in cætera corpora nonnisi mediante suo corpore aliquid potest; quemadmodum quotidiana experientia constat. Jamvero inde aperte liquet animam ad movendam materiam necessario cum suo corpore debere esse unitam, ac propterea eam, ubi per mortem a corpore est separata, ex naturali sua virtute nihil in materiam efficere posse. Et re quidem vera, si res aliter se haberet, dicendum foret animam sine corpore perfectiorem esse quam cum corpore, seu contra animæ perfec-

tionem esse ut sit cum corpore unita, ac proinde naturam humanam perfectam non constare ex anima et ex corpore, sed ex anima sola : quod nefas est dicere. Si enim anima sine corpore facultatem haberet materiam movendi, necessario inde deberet concludi, animam pro perfectione sua, corpore non egere, imo contra debere ab eo separari, ut sit perfecta. — Nec opponi potest angelos naturaliter res corporales movere posse, ac proinde hanc potestatem etiam animæ tribuendam esse, quæ etiam est spiritus. Etenim alia atque alia est perfectio et potestas angeli et animæ. Ex ordine quem in creatione videmus, colligere possumus angelum ab anima humana simili distantia esse separatum, ac separata sunt corpora inertia a plantis, plantæ ab animalibus, animalia ab hominibus. Præterea angelus non est destinatus, sicut anima humana, ut corpus informet, et ex unione cum corpore plenam suæ naturæ perfectionem acquirat. Si anima ex seipsa potestatem haberet res corporales movendi, non potuisset ipsi à Deo infinite sapienti uniri corpus, cujus ope omnino egeret ad res corporales movendas; nam tali ratione ex unione animæ et corporis non una exurgeret natura completa, sed complexio rerum inter se essentialiter pugnantium. Atvero nihil obstat, quominus angelus, quin corpus habeat, materiam ex seipso movere possit, cum ipse non sit destinatus ut ex corpore, quocum uniri deberet, hanc facultatem accipiat. Imo, cum in creatione videamus superiores entium classes in inferiores dominari, plantas scilicet in materiam inertem, animalia in materiam inertem et plantas, et hominem in materiam inertem, plantas et animalia, oportet ut angeli plene dominentur in materiam inertem, plantas, animalia et hominem; ac proinde eis necessario adscribi debet naturalis virtus corpora per seipsos movendi.

Clare hanc demonstrationem proponit S. Thomas I. q. 117. a. 4. in corp. « Respondeo dicendum, quod anima separata

» sua naturali virtute non potest movere aliquod corpus. » Manifestum enim est, quod cum anima est corpori unita, » non movet (immediate) corpus nisi vivificatum; unde si » aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animæ » ad motum localem. Manifestum est autem quod ab anima » separata nullum corpus vivificatur : unde nullum corpus » ei obedit ad motum localem, quantum est de virtute suæ » naturæ, supra quam potest aliquid ei conferri virtute divina. » Et in responsione *ad primum* ita pergit : « Dicendum est, » quod substantiæ quædam spirituales sunt, quarum virtutes » non determinantur ad aliqua corpora, sicut sunt angeli, qui » sunt naturaliter a corporibus absoluti; et ideo diversa corpora » eis obedire possunt ad motum. Si tamen alicujus substantiæ » separatæ virtus motiva determinetur naturaliter ad movendum » aliquod corpus, non poterit illa substantia movere aliquod » corpus majus, sed minus. Unde cum anima secundum suam » naturam determinetur ad movendum corpus, cujus est forma, » nullum aliud corpus sua naturali virtute movere potest. » — Suarez, *De Anima*, L. VI, c. 2 : « Res spiritualis, ait, non » potest movere corporalem, nisi informando illam (h. e. unum » ens cum ea constituendo eamque vivificando), aut quasi » exterius impellendo. Primo quidem modo corpus nostrum » movet anima, quo certe modo non potest movere quidquam, » quando separata existit, cum nihil informet. Secundo modo » movent angeli corpora, non vero anima, quia ad actiones » mere externas, qualis est motus in rem alteram, nonnisi » medio nostro corpore, quasi exteriori instrumento potest » exire, cum natura sua interna sit forma corporis. Dixi *natu-* » *raliter* (h. e. animam separatam ex sua naturali virtute nihil » posse in res corporales), quoniam supernaturaliter potest » anima a corpore pati, uti apud inferos : potest etiam movere » corpus, ut anima Moysis (Matth. XVII) corpus assumpsit et in » illo loquebatur in transfiguratione. »

Nec opponi potest quod in spiritismi experimentis occulti actores, qui quæstionibus respondent, verbis et factis se animas defunctorum esse declarant. Etenim omni ætate dæmones in magicis suis artibus morem habuerunt se declarandi et simulandi defunctorum animas; uti constat ex S. Chrysostomo (in Matth. hom. XXIX) et ex S. Augustino (De Civ. Dei L. X, c. 11), qui id referunt uti rem ab omnibus notam. Dicit nempe S. Augustinus in citato loco de dæmonibus : « non, ut ipse » (Porphyrius) posuit, natura, sed vitio fallaces (dæmones), qui » *simulant deos et animas defunctorum, dæmones autem* » *non, uti ipse ait, simulant,* sed plane sunt. » Nec mirus videri potest iste agendi modus dæmonis; nam, cum in omnibus operibus suis quærat homines sibi magis magisque conciliare, et inter eos cultum suum firmius stabilire, non potest sane se spiritum malum dicere, cum hæc declaratio homines ab ipso averteret; verum summopere ad scopum suum conducit, se animam cujusdam defuncti fingere, cum homines naturaliter desiderent aliquatenus cum personis defunctis conjungi.

3° Etiam angeli boni non possunt ut causæ istorum effectuum magnetismi et spiritismi haberi. Etenim in hujus artis experimentis multa revelantur contradictoria, fallacia et falsa, uti ipse testatur D. Allan Kardec, famosus spiritistarum dux, qui dicit in suo opere : *Le livre des Mediums*, p. 426 : « La rouerie » des esprits mystificateurs, dépasse quelquefois tout ce qu'on » peut s'imaginer. On ne doit jamais se laisser éblouir par les » noms que prennent les esprits pour donner une apparence de » vérité à leurs paroles. » Præterea multa in eis occurrunt, quæ summam spirant libidinem et hominibus maxime sunt nociva. Jamvero angeli boni, utpote in bono confirmati ac proinde ab omni opere malo maxime remoti, hujusmodi operum malorum auctores esse non possunt. Ergo.

Demonstrato autem quod istorum magnetismi et spiritismi effectuum, qui manifeste causam intelligentem requirunt, neque

animæ hominum viventium, neque animæ separatæ, neque angeli boni sunt auctores, dicendum manet eos dæmonibus esse adscribendos.

E) Quem finem prosequuntur moderni magnetismi et spiritismi sectatores?

R. Relicto unius veri Dei cultu, volunt cultum instituere laicalem, in quo juxta moderna principia omnia membra haberent eamdem dignitatem, seu sacerdotium non existeret; et cujus scopus esset spiritus illos, qui in experimentis apparent, colere et venerari, ab eis beneficia implorare, et obtinere ut nos edoceant circa media ordinem in societate civili retinendi, morbos sanandi vitamque humanam protrahendi et occultas naturæ vires detegendi. D. N. Jesus Christus, Deus benedictus in sæcula, a spiritistis communiter habetur ut magnus quidam genius qui semel incarnatus, seu uti ipsi dicunt, materializatus est, aut etiamnum sæpius in experimentis materializatur. — Die 28 Septembris anni 1879, in magno spiritistarum congressu Bruxellis habito, hoc decretum, in ordine ad prædictum cultum magis stabiliendum, est editum : « Omnes spiriticæ associa- » tiones belgicæ, singulæ in centro suo, præter sessiones, in » quibus experimenta fiunt, habeant singulis hebdomadis sessio- » nem specialem, ad actus religiosos destinatam, nimirum ad » conferentiam habendam de re morali atque ad orandum. » Pariter in hoc congressu declaratum est : « in omni loco, ubi » spiritica associatio existit, pro juvenibus ab uno alterove » societatis membro singulis hebdomadis lectiones fiant de spi- » ritismo. » (Cfr. Moniteur de la Fédération belge spirite et magnétique.)

Observetur quam clare in spiritismi experimentis divina providentia eluceat. Per ea enim quærunt homines ampliorem obtinere cognitionem de morbis curandis, de naturæ viribus, quæ nobis utiles esse possent; sed, providente Deo, qui non vult ut homines verum aliquod beneficium a dæmone obtineant, nullum

unquam, Deo certe id impediente, obtentum est a spiritibus responsum, quo naturales scientiæ aliquem facere possent progressum.

X. Notandum. Ex iis, quæ ad miraculorum cognoscibilitatem probandam, atque ad adversariorum hac de re objectiones solvendas, diximus, clare patet, quam inepta et stulta sit postulatio Dⁿⁱ Renan, qua ad certam de aliquo miraculo, v. g. de mortui resuscitatione, cognitionem obtinendam requirit, ut opus miraculosum coram pluribus viris permagna scientia instructis, in subjecto seu in materia ab hujusmodi viris delecta, et non semel tantum sed repetitis vicibus esset factum. Etenim, ut de miraculo resurrectionis mortui plene constet, nihil aliud requiritur, ac ut certe cognoscamus, determinatam aliquam personam vere esse mortuam, eamdem illam personam post mortem suam indubie ad vitam esse revocatam, atque hanc ad vitam revocationem certe opus esse miraculosum. Jamvero, an D. Renan, ut alicujus personæ mortem aut a morbo sanationem tamquam certam et indubitatam habeat, testimonium exspectat virorum scientia sua maxime præstantium, qui circa ista facta scientificum instituerint examen? Sane, qui ista facta nollet credere, prius quam hujusmodi testimonia audiisset, ab omnibus, et quidem merito, ut insaniens haberetur. Sed, si ordinaria hominum testimonia sufficientia sunt ad dandam certitudinem de morte personæ ad vitam non revocatæ, aut de morbi sanatione, quo jure ut insufficientia habentur ad nos de morte personæ postea ad vitam revocatæ aut de mortui resurrectione certos reddendos? Nulla sane existit inter hos casus differentia, data miraculi possibilitate. — Præterea, quod mortui ad vitam revocatio est opus vere miraculosum, etiam a cœtu virorum sapientium definiri non debet, ut certi hac de re simus; nam non est homo in mundo, qui id in dubium vocet. Si enim aliquod superesset dubium, an homo naturaliter a morte suscitari non valeat, inhumanum et scelestum foret mortuos sepelire.

Unde nemo non videt postulationem Dⁿⁱ Renan omni carere fundamento et nonnisi risu esse dignam.

§ III.

Q. AN MIRACULA IN CONFIRMATIONEM ALICUJUS MISSIONIS VEL DOCTRINÆ, QUÆ DIVINÆ DICUNTUR, PERACTA VIM HABENT EARUM DIVINITATEM INVICTE PROBANDI?

R. *Omnino tenendum est hanc vim miraculis vere inesse, modo ad divinitatem alicujus missionis aut doctrinæ comprobandam reipsa fiant.*

—

I. Explicatio. Postquam miracula vere fieri posse et etiam ut talia posse cognosci ostendimus, jam illud aggredimur, quod nobis tertio loco ostendendum proposuimus, eadem scilicet ad divinam missionem vel doctrinam invicte probanda vere valere.

Observetur in quæstione dici : *in confirmationem alicujus missionis vel doctrinæ, quæ divinæ dicuntur, peracta;* quia miracula ad alios quoque fines, v. g. ad subveniendum humanæ necessitati, fieri possunt, atque prædicta vis pro hoc solo casu eis adscribitur, quo vere fiunt in missionis vel doctrinæ, quæ divinæ dicuntur, confirmationem. Evidens enim est, quod secus ista vis ad miracula non potest pertinere.

Cognosci autem potest, an miraculum in confirmationem alicujus missionis aut doctrinæ, quæ divinæ dicuntur, factum sit, tum ex illius qui miraculum patrat explicita declaratione, tum etiam ex circumstantiis, in quibus res perficitur.

II. Certitudo. Hæc propositio est *veritas philosophica* et simul *fidei dogma.* Ubi enim Conc. Vaticanum, Const. *Dei Filius*, III, can. 4, definivit : « *Si quis dixerit miracula fieri* » *non posse..... nec eis divinam religionis christianæ* » *originem rite probari; anathema sit;* » aperte docuit prædictam probandi vim miraculis vere inesse.

III. Errores. Aliqui increduli, quorum argumenta in objec-

tionibus proponemus, hanc veritatem impugnant, sed minori tamen cum vehementia quam possibilitatem miraculi aut ejus cognoscibilitatem.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica.* Miracula, quæ ad divinitatem alicujus missionis vel doctrinæ comprobandam fiunt, eam invicte probandi vim non haberent, si Deus ea non minus posset patrare, ubi in rei falsæ confirmationem, quam ubi ad rem veram comprobandam ab homine proponuntur. Atvero Deus miracula, quæ ab homine in rei falsæ confirmationem proponuntur, facere non potest. Ergo.

Prob. minor. Miraculum, quod ab homine in alicujus rei confirmationem proponitur, eo ipso fit divinum signum hujus rei approbativum. Ex ipsa enim thaumaturgi propositione hanc significationem obtinet; et Deus in faciendo miraculo ab homine proposito eadem ratione ad ipsam attendere ipsamque servare tenetur, ac in articulato ad homines sermone communem sensum, quem verba a se adhibita apud homines obtinent, teneretur præ oculis habere atque servare. Unde sequitur, quod Deus, si miraculum in confirmationem rei falsæ propositum patraret, hanc rem falsam coram hominibus approbaret. — Jamvero Deus, utpote infallibilis et summe sanctus, falsitatem approbare non potest. Ergo.

Huc accedit unanimis hominum consensus. Omnes enim populi, tam culti quam inculti, ut suas religiosas firmarent doctrinas, semper in miraculis quæsierunt præsidium : quod certe non fecissent, nisi fuissent convicti de probandi vi miraculis propria.

2° *e S. Scriptura et Traditione.* Ex iis testimoniis supra pp. 173 et 196 relatis, quibus narratur Christum et Apostolos, ut missionem et doctrinam suam confirmarent, ad miracula a se patrata appellasse, indubie constat, eos censuisse prædictam probandi vim miraculis vere inesse; nam secus, frustra ad miracula sua appellassent.

Patres expresse eamdem tradunt doctrinam : ita S. Augustinus, *De Civ. Dei.* L. XVIII, c. 46 dicit : « Christus *ut se commen-* » *daret Deum,* miracula multa fecit; ex quibus quædam, » quantum ad eum prædicandum satis esse visum est, Scriptura » continet. Quorum primum est, quod tam mirabiliter natus » est : ultimum autem, quod cum suo resuscitato a mortuis » corpore ascendit in cœlum. » Pariter in libro : *De utilitate credendi* c. 14 hæc habet : « Christus, afferens medecinam, » quæ corruptissimos mores sanatura esset, *miraculis conci-* » *liavit auctoritatem,* auctoritate meruit fidem. »

V. Objectiones. 1° Deus, aiunt adversarii, omnino est a mundo independens, ac proinde a nemine ligari potest. Atqui Deus, si miracula, quæ ab homine in rei falsæ confirmationem sunt proposita, non posset patrare, ligaretur vere ab homine; nam per hanc hominis propositionem vere impediretur ab aliquibus miraculis faciendis, quæ secus certe facere posset. Ergo dicendum est, Deum etiam posse illa miracula patrare, quæ ab homine in rei falsæ confirmationem proponuntur; ac proinde ruit demonstratio supra data.

R. *Dist. maj.* : Deus est ita independens, ut a nullo ente a se distincto possit aut ad aliquid agendum physice cogi, aut alicui legi submitti, *concedo;* est ita independens, ut facere possit quasvis res physice possibiles, etiamsi ipsæ vel ex se vel ex suis circumstantiis essent erroris confirmatio, *nego.* Hujusmodi enim independentia non esset perfectio sed contra magnus defectus; ac proinde in Deo summe perfecto existere non potest. Præterea facile intelligitur, hanc impotentiam Deum non reddere *dependentem,* cum dependentia proprie dicta essentialiter consistat in aliqua unius entis ad alterum subordinatione, et hæc Dei impotentia non ex aliqua ad alterum subordinatione, sed ex ipsa divinæ naturæ perfectione, ex ejus scilicet infinita sapientia et sanctitate fluat.

Pariter dist. min. : Deus aut per vim physicam aut per legem

ab homine impeditur, ne miracula in prædicto casu faciat, *nego*; ex ipsa naturæ suæ infinita perfectione ab hoc impeditur, quia ex hominis actione factum est, ut hæc miracula peragi non possint, quin error inde necessario confirmetur, *concedo*. Haud alia enim ratione Deus ab homine impeditur ne miracula in rei falsæ confirmationem peragat, ac impeditur per hominem in statu peccati mortali morientem, ne ipsi æternam concedat salutem.

Cum igitur ad veram dependentiam in Deo habendam requireretur, ut ipse per aliud ens vel vi physica vel lege cogeretur; et in præsenti casu Deus ab agendo non aliunde impediatur, ac suæ naturæ perfectione; liquet propositam objectionem omnino esse inanem.

Instatur dicendo : Deus in miraculis faciendis negligere potest significationem ab homine eis tributam; ergo etiam illa miracula, quæ ab homine in rei falsæ confirmationem proponuntur, potest efficere.

R. Bonitas vel malitia actuum non solum ab intrinseca rei natura sed etiam ab ejus circumstantiis dependet; ac proinde, ubi ens intelligens actum ponit, non solum ad rei naturam sed etiam ad circumstantias ejus attendere debet. Ergo liquet Deum haud posse negligere significationem miraculis ab homine communiter tributam, quæ ipsa convertere potest in erroris firmamentum. — Non magis potest Deus hanc significationem negligere, quam sensum verborum quibus in revelatione utitur. Nemo sane contendet, quod Deus v. g. posset in sermone, quem ad homines faceret, verborum sensum vere negligere, et ita locutionem, quæ ex communi usu esset blasphematoria, adhibere atque edicere.

Obj. 2° Miraculum optime sigillo principis comparari potest. Jamvero potest principis sigillum in scriptura falsa imprimi ex pravitate ministri illud custodientis. Ergo pariter ex pravitate

hominis miraculorum potestatem habentis, poterit miraculum patrari in confirmationem erroris.

R. Sigillum principis falsæ scripturæ a ministro infideli potest imponi quin princeps inde peccati sit reus, modo ipse rem ignoret aut saltem nulla ratione facinori ministri sui operam navet, *concedo;* si aliquo modo rem notam habeat et ministro navet operam, *nego.* — Jamvero Deus, utpote omniscius, omnia novit, quæ ab homine fiunt; ac præterea nullum miraculum potest peragi sine immediato ejus interventu. Ergo ubi homo miraculum in rei falsæ confirmationem proponit, Deus id optime novit; et miraculum istud sine immediata Dei actione peragi non potest : ac proinde paritas non habetur inter casum, quo principis sigillum falsæ scripturæ a pravo ministro, inconscio et non cooperante principe, imponitur, et illum quo Deus miraculum ad hominis propositionem in erroris confirmationem faceret.

Obj. 3° Deus ad consecrationem S. Eucharistiæ peragendam concurrit, etiam quando sacerdotes ad malum finem ea abutuntur. Ergo pariter concurrere ad miracula potest, ubi homo eis ad errorem confirmandum abuti intendit.

R. Paritas non habetur inter hos duos casus; ac proinde ruit objectio. — Etenim ubi Deus ad consecrationem, qua aliquis pravus sacerdos ad malum finem vult abuti concurrit, notum ab omnibus est, ipsum non pravæ istius sacerdotis intentioni cooperari, sed unice concursum suum dare ad veritatem sacramenti sustinendam. Præterea consecratio, cum non sit visibilis, non potest sicuti miracula tamquam divinæ approbationis argumentum assumi; sed etiamsi esset visibilis et ita tamquam divinæ approbationis argumentum posset adhiberi, nondum impediretur Deus, quominus ad eam concurrat. Hoc enim miraculum revera non haberet significationem divinæ approbationis, cum sat clare apud omnes constaret, Deum non in finem a malo isto sacerdote propositum hanc consecrationem facere, sed propter alium finem, quia nempe opus est ut sacramenta semper

existant. ubi debita materia et forma adhibentur. — Verum, aliter res sese habet, ubi agitur de miraculo ab homine in rei falsæ confirmationem proposito; nam si Deus illud perageret, nulla adesset circumstantia, unde colligi posset, ipsum non illam erroris confirmationem sed alium finem intendere; ac proinde unusquisque necessario judicare deberet, errorem a Deo confirmari. Atvero Deus talem actionem ponere non potest, e qua homines necessario colligerent errorem ab ipso confirmari : Ergo.

Obj. 4° Historica documenta referunt vera miracula, qualia sunt, restitutio visus cæco, revocatio defuncti ad vitam, subita morbi gravioris sanatio, navis onerosissima et hærens per mulierem ope ejus cinguli subducta, apud gentiles esse patrata. Sed religio gentilium certe erat falsa. Ergo miracula vim non habent rei veritatem probandi, in cujus confirmationem sunt facta.

R. Ad hanc objectionem solvendam, satis est sequentia advertere : 1° facta ista historica carent fundamento, nam ne unus quidem ex scriptoribus, qui ea referunt, oculatus fuit testis, et ex incerto rumore ea referunt. Hinc Valerius Maximus L. 1, c. 8. scribit : « Nec me præterit de motu et voce » deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, » quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. » Curtius L. 9. c. 1 pariter scribit : « Equidem plura transcribo, quam » credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec » subducere quæ accepi. » Cicero *De Divin.* L. II, c. 38 : « Omitte, dicit ad Quintum fratrem, lituum Romuli, qui in » maximo incendio negas potuisse comburi, cotem Attici Navii : » nihil debet esse in philosophia fabellis loci. » Et Tacitus sat clare indicat mira, quæ Vespasiano tribuebantur, ex assentatione in eum fuisse excogitata. — 2° Hæc facta nullatenus perhibentur in religionis gentilium confirmationem fuisse edita; quod tamen requireretur ad nostram demonstrationem infir-

mandam. — 3° Tandem ejusmodi sunt, ute ope dæmonis facile explicari possint, quemadmodum ea revera explicant : *Tertullianus, Apolog.* c. 22, 23, *Augustinus, de Trinit.* L. IV, c. 17, et *De Civ. Dei* L. X, c. 16; et *Minucius Felix* qui in *Octavio* n. 27 hæc dicit : « Isti igitur impuri spiritus, dæmones, ut ostensum est a magis, a philosophis et a Platone, sub statuis et imaginibus consecratis delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirant interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt in perditionem sui non confitentes. Sic a cœlo deorsum gravant, et a Deo vero ad materias avocant, vitam turbant, somnos inquietant; irrepentes etiam corporibus occulte, uti spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur... De ipsis etiam illa, quæ paulo ante sunt dicta *(miracula scilicet supra a nobis citata)*, ut Jupiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt pleraque pars vestrum, ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quid sint eloquuntur; nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. »

VI. Notandum *de vi probativa miris effectibus mundanas vires superantibus et ab angelis bonis productis propria.* Effectus illi indubie vim habent veritatem rei, in cujus probationem sunt facta, nobis demonstrandi, postquam bonorum angelorum sors per divinam revelationem nobis innotuit. Cum

enim divina revelatio nos doceat angelos a Deo esse dependentes, et nihil facere sine ejus jussu aut licentia, liquet ab eis nihil fieri posse, quo in errorem inducamur ac proinde effectus miros, quos in alicujus rei confirmationem faciunt, eam confirmandi vere vim habere. — Imo licet sub aliqua ratione dicere, opera illa mira a bonis angelis peracta eamdem habere auctoritatem ac miracula proprie dicta, cum bonorum angelorum operatio, utpote a jussu aut licentia Dei omnino dependens, ultimatim a Deo procedat ac proinde testificationem divinam vere contineat. Haud minoris enim pretii est testimonium ministri regii, qui aliud, ac quod vult rex, physice nequit testari, quam testimonium ipsius regis.

In dijudicando autem utrum opus, vires quidem mundanas sed non angelicas superans, sit ab angelo bono patratum, an vero a dæmone, summa opus est diligentia. Cum enim in angelo bono et in dæmone eædem dentur naturales vires, ex solis circumstantiis instituendum est judicium. Circumstantiæ autem, unde cum certitudine concludere licebit, opus aliquod mundanas vires superans a bonis angelis esse peractum, sunt : sanctitas thaumaturgi, sive ipse sit homo, sive sit angelus sub humano corpore se manifestans (hoc modo sæpius se manifestarunt angeli boni, uti e Scriptura constat); decentia operis; puritas finis per opus intenti: appellatio hominis thaumaturgi ad Deum et ad angelos. Quotiescumque enim nullum habetur medium dæmonis interventum deprehendendi, non potest Deus dæmoni permittere ut agat; quia secus mundanus ordo turbaretur. Jamvero, istis circumstantiis simul concurrentibus, medium actionem dæmoniacam deprehendendi non habetur. Ergo.

Opera mira ab angelis bonis peracta, a multis auctoribus vocantur *miracula secundi ordinis,* seu *miracula improprie dicta.*

SECTIO POSTERIOR

PRÆNOTANDA

I. Quid intelligitur per prophetiam in sensu latiori et minus proprio sumptam?

R. Prophetia, quæ ex etymo suo significat propositionem rei verbo factam, in sensu latiori et minus proprio sumpta, est cognitio et propositio alicujus rei arcanæ, sublimis, interpretatu difficilioris. Ita 1° quandoque significat *interpretationem* : quo sensu legitur *(Exod.* VII, 1, 2) : « *Aaron frater tuus erit pro-* » *pheta* (interpres) *tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando* » *tibi : et ille loquetur ad Pharaonem.* » — 2° Propheta dicitur *homo cognitionibus supra vulgus præditus* : quo sensu scripsit Apostolus *(Tit.* I, 12 sq.) : « *Dixit quidam ex illis, proprius* » *ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ* » *bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est.* » — 3° Prophetæ etiam appellantur auctores hymnorum et canticorum sacrorum, imo et illi qui ea in Dei laudem cantant : quo sensu sumitur (I *Reg.* X, 5, 6) : « *cum ingressus fueris ibi* » *urbem, obvium habebis gregem prophetarum, descenden-* » *tium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et* » *tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in* » *te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis.* » — 4° Prophetæ nomine veniunt etiam doctores et interpretes legis : unde nonnulli in antiquo testamento dicebantur filii prophetarum, quia nempe legis doctrinam ab illis interpretibus edocebantur. — Tandem 5° prophetæ sæpe dicuntur omnes Scriptores inspirati, licet prophetias proprie dictas non scripserint.

II. Quid est prophetia stricte et proprie dicta?

R. *Est prædictio certa alicujus eventus futuri, qui ex causis naturalibus prævideri non potest.*

Dicitur *prædictio* : qua voce exprimitur, quod prophetia consistit in alicujus rei manifestatione ope verborum facta.

Dicitur prædictio *certa*, ut exprimatur ad prophetiam requiri prædictionem ex parte modi, quo res enuntiatur, plene certam, tum quatenus ipsa non sit vaga, et flexiloqua et hinc omni eventui applicabilis, tum quatenus non sit conjecturalis, sicut ea v. g. qua politici enuntiant ac prædicunt futuros eventus, aut medici infirmi sanitatem vel mortem.

Dicitur prædictio certa *alicujus eventus*, h. e. alicujus facti, saltem secundum aliquam partem clare determinati, aut saltem per aliquam notam a cæteris eventibus sufficienter distincti.

Dicitur prædictio certa alicujus eventus *futuri*, ad exprimendum, quod prophetia non est manifestatio alicujus rei absconditæ aut præteritæ aut præsentis, sed rei futuræ seu in futurum exstituræ.

Dicitur prædictio certa alicujus eventus futuri, *qui ex naturalibus causis prævideri non potest* : quibus exprimitur non omnem certam alicujus eventus futuri prædictionem esse prophetiam proprie dictam, sed eam solam, quæ prænuntiat eventum qui cognosci non potest ex naturalibus causis, h. e. e legibus physicis et moralibus, quæ mundum gubernant : quales sunt omnes actus qui ab homine, ab angelo, vel a Deo libere efficiuntur. Unde liquet prædictiones, quas docti viri de eclipsibus, de terræ motibus, de morborum exitu, de perpetua malorum hominum in medio justorum existentia, rerum experientia nixi faciunt, non esse veras prophetias.

Prophetia igitur pertinet ad *genus* prædictionum certarum de aliqua re futura; et ejus notio *specifica* in hoc consistit, quod res prædicta talis esse debet, ut in naturalibus causis prævideri non possit.

III. Quis est prophetiarum auctor?

R. Non angelis sed soli Deo prophetiæ stricte dictæ attribui debent. Angeli sive boni sive mali multo plura quidem quam nos

ex naturalibus causis prævidere possunt, sed tamen prophetiæ proprie dictæ causa esse non possunt.

Soli Deo prophetias proprie dictas attribui debere, ita demonstratur : Eventus quilibet duplici tantum modo potest cognosci, nimirum in seipso, vel in sua causa. Jamvero facta, quæ per prophetiam prænuntiantur, cum talia esse debeant, ut in naturalibus suis causis prævideri non possint, certe non possunt ab angelo in suis causis cognosci; ac dein ipsa etiam non possunt ab angelo in seipsis cognosci, cum natura infinita et æterna sola eventus futuros in seipsis possit cognoscere. Ergo soli Deo, qui solus habet naturam infinitam et æternam, adscribi possunt prophetiæ stricte dictæ. — Quod autem solus Deus potest eventus futuros in seipsis cognoscere, sequenti modo probatur : « Solius » Dei est, ait S. Thomas I. Q. 57, a. 3, futura cognoscere... etiam » casulia et fortuita, quia Deus videt omnia in sua æternitate, » quæ cum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit. » Et ideo unius Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per » totum tempus, sicut in præsentia; et videt omnia ut in seipsis » sunt.... Angelicus autem intellectus, et quilibet intellectus » creatus deficit ab æternitate divina. Unde non potest ab aliquo » intellectu creato cognosci futurum, uti est in suo esse. »

Præterea et hæc ratio potest addi : Ut eventus futuri vere fiant, requiritur voluntas seu permissio Dei : dum ergo non cognoscitur quid Deus velit facere, aut velit permittere, nulla certitudo haberi potest ullius futuri eventus; atqui, quid Deus velit facere aut permittere ipse solus naturaliter novit : Ergo.

Quod autem angeli sive boni sive mali multo plures eventus in naturalibus causis cognoscere possunt, quam nos, ex eorum scientia, quæ humana longe est superior, immediate fluit. Si enim perfectius naturales causas cognoscunt, quam nos, multa debent in naturalibus causis posse prævidere, quæ nos nulla ratione prævidere possumus. Jamvero indubie longe perfectius, quam nos, naturales causas notas habent; uti necessario sequi-

tur ex eorum sublimiori natura et intellectu, ex eorum per plurima sæcula experientia, ex continuo eorum labore, qui nunquam somno vel quiete impeditur, ex summa celeritate, quacum de loco in locum se transferre possunt.

§ I.

De Prophetiæ possibilitate

Q. An prophetia stricte dicta est possibilis?

R. *Tenendum omnino est, prophetiam, sicuti supra est definita, vere fieri posse.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas philosophica,* et simul *fidei dogma.* In Vaticano enim Concilio, Const. *Dei Filius,* C. III docetur, « *prophetias, cum infinitam Dei* » *scientiam commonstrent, divinæ revelationis signum esse* » *certissimum et omnium intelligentiæ accommodatum.* »

II. Errores. Rationalistæ omnes, cum revelationis supernaturalis possibilitatem rejiciant, negant etiam possibilitatem prophetiarum. Aliis etiam motivis nituntur, quæ in objectionibus proponemus.

III. Demonstratio. 1° *è ratione philosophica.* Tota quæstio de prophetiæ possibilitate huc redit : *a)* an Deus ea, quæ in naturalibus suis causis non possunt prævideri, præscire possit; et *b)* an, supposita eorum divina præscientia, possit ea Deus aliis manifestare seu revelare. Jamvero Deus potest utrumque : ergo.

a) Deum præscire posse eventus illos futuros, qui in causis naturalibus prævideri non possunt, ita demonstratur : *A)* Præscientiam futurorum exigit æternitas Dei, nam ejus æternitas, tota simul existens, ambit totum tempus, ita ut omnia præterita, præsentia et futura sint simul ipsi præsentia, uti dicit S. Thomas in textu citato pag. 233. Unde, uti advertit S. Augustinus

(*Ad Simpl.* L. II, q. 1), melius est dicere, quod Deus habet omnium futurorum scientiam quam præscientiam, cum omnia futura coram ipso sint præsentia. — B) Hanc præscientiam etiam exigit infinita divinæ scientiæ perfectio. Si enim Deus eventus omnes futuros, etiam illos, qui e naturalibus causis prævideri non possunt, ab æterno non cognosceret, eos cognoscere inciperet, ubi actu complentur, vel eos semper ignoraret. Jamvero utrumque infinitæ perfectioni divinæ scientiæ repugnat : ei enim repugnat, tum ut per novas cognitiones accipiat augmentum, cum rei infinitæ nihil possit addi ; tum ut actus illos, qui e naturalibus causis prævideri non possunt, in æternum ignoret, cum ad scientiam infinitam requiratur cognitio omnium cognoscibilium. Ergo.

b) Quod autem Deus ea, quæ novit, hominibus potest revelare, supra c. II est demonstratum.

2° *e S. Scriptura.* Prophetiæ possibilitas plene demonstratur ex agendi modo Christi, qui, ut divinitatem suæ missionis suæque doctrinæ probaret, frequenter ad prophetias de se in veteri lege factas appellavit. « *Scrutamini*, dicit (*Joan.* V. 39), » *Scripturas.... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent* » *de me.* » Etenim si prophetiæ non essent possibiles, sane Christus ad ipsas non appellasset. — Apostoli pariter ex prophetiis missionem Christi constanter demonstrarunt, uti constat e toto libro *Actuum Apostolorum.*

3° *e Traditione.* S. Hieronymus *in Danielem* dicit ; « Con- » fitentur magi, confitentur arioli, et omnis scientia sæcularis » litteraturæ præscientiam futurorum non esse hominum, sed » Dei ; ex quo probatur prophetas Dei Spiritu locutos, quia » futura cecinerunt. »

IV. Objectiones. 1° Si admittatur in Deo præscientia futurorum eventuum, qui a libera nostra voluntate dependent, necessario rejicienda est liberi arbitrii existentia : ergo admitti non potest in Deo præscientia omnium futurorum, qui in causis

naturalibus prævideri non possunt. « Quævis prædictio, ait » Wegscheider (*Instit. Dogm.* §. 19), divinitus patefacta, qua » fatum inevitabile hominis aut populi cujusdam, quod ex re » quadam ab ipso perpetranda pendeat, diserte nuntiatur, ideæ » Dei benignissimi et sanctissimi repugnat, fatalismum fovet, et » libertatem hominum moralem tollit. »

R. Hæc futurorum in Deo præscientia haud magis entium intellectualium libertatem tollit ac scientia nostra de re, quæ sub oculis nostris fit; siquidem res futuræ omnes Deo æterno eodem sunt modo præsentes, ac res, quæ coram nobis fiunt, nobis præsentes sunt. Jamvero scientia nostra de re, quæ sub oculis nostris peragitur, certe libertatem agentis non tollit; ergo neque eam tollit præscientia Dei. Bene dicit Boetius, *De Consid. Phil.* L. 5. pr. 6 : « Quid postulas, ut necessaria » fiant, quæ divino lustrentur lumine, cum ne homines quidem » necessaria faciant esse, quæ videant? Num enim quæ præ- » sentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? » Minime. Atqui si est divini humanique præsentis digna col- » latio, uti vos vestro hoc temporario præsenti quædam videtis, » ita ille omnia videt suo æterno. Quare hæc divina prænotio » naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se » præsentia spectat, qualia in tempore olim futuro provenient : » nec rerum judicia confundit, imoque suæ mentis intuitu tam » necessarie quam non necessarie ventura dignoscit. Sicut vos, » cum pariter in terra ambulare hominem et oriri in cœlo » solem videatis, quamquam simul utrumque, conspectum tamen » discernitis, et hoc voluntarium, illud esse necessarium judi- » catis : ita cuncta dispiciens divinus intuitus qualitatem rerum » minime turbat, apud se quidem præsentium, ad conditionem » vero temporis futurarum. » — Idem demonstrari potest et sequenti ratione. Si aliqua prioritas considerari possit inter futurum eventum liberum et Dei præscientiam, dicendum est quod divina præscientia illum logice sequitur seu illum præsup-

ponit; nam prius est esse, quam esse cognitum. Atqui quod aliquam rem logice sequitur seu præsupponit, non potest ejus esse causa; ergo.

Instant adversarii dicendo : si Deus eventus liberos prævidit, necesse est ut eveniant; secus enim Deus falli posset in sua scientia.

R. Utique necesse est ut eveniant, necessitate nimirum *consequente* liberam entis intelligentis determinationem, sed non necessitate *antecedente* hanc liberam determinationem. « Est » necessitas, inquit S. Anselmus (*Cur Deus homo,* L. 2. c. 18), » *antecedens,* quæ causa est ut res sit; et est necessitas *conse-* » *quens,* quam res facit..... *Consequens* necessitas, quæ nihil » efficit, sed fit, est cum dico te ex necessitate loqui, quia » loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut » dum loqueris non loquaris, non quod alius te cogat ad loquen- » dum. » — Quemadmodum, ubi certo audimus hominem loqui, fieri non potest ut iste homo non loquatur; eodem modo, ubi Deus infallibili præscientia sua videt homines in tempore futuro liberos actus ponentes, fieri etiam non potest, ut ipsi hos actus suo tempore non ponant.

Obj. 2° Futura libera, ait Voltaire, cognosci a Deo non possunt, quia non sunt, ac propterea nequeunt esse cognitionis objectum.

R. Hæc futura libera nondum vere existunt quidem quoad nos, sed sunt præsentia Deo, qui cum sit æternus, non tantum præterito et præsenti sed etiam futuro tempori adest; et ideo a Deo possunt cognosci.

Instatur dicendo : de nihilo nihil potest cognosci, sed existentia futuri eventus liberi est verum nihilum; ergo nihil potest de eo cognosci.

R. In præsenti quidem tempore existentia illa nondum realiter adest, et ideo cognosci non potest, quasi realiter adesset. Atvero ipsa certe postea erit vel non erit, seu habet futuritio-

nem vel non; ac propterea secundum hanc futuritionem cognosci potest. Quæcumque enim sunt, possunt cognosci; sed futuritio illa adest vel non adest; ergo ipsa potest cognosci ut præsens vel ut absens.

§ II.

De Prophetiarum cognoscibilitate

Q. An de prophetiis cum certitudine a nobis cognosci potest, tum eas certo, sicuti narrantur, accidisse, tum eas veros esse effectus supernaturales?

R. *Hæc duo saltem de multis prophetiis certo nobis innotescere possunt.*

—

I. Explicatio quæstionis. Ut aliqua prophetia nobis divinæ revelationis signum esse possit, necessario de ea nobis constare debet, tum an vere exstiterit, tum an sit vera et proprie dicta prophetia seu verus effectus supernaturalis. — Ad cognoscendum autem an aliqua prophetia sit verum opus divinum seu verus effectus supernaturalis, investigari debet, tum an prædictio eventu sit completa, tum an hæc prædictio revera omnem intellectus creati cognitionem excedat. Ut enim prophetia sit Dei opus, debet certe esse vera; sed veritas ejus non demonstratur nisi rei prædictæ eventu. Præterea non omnis prædictio eventu comprobata ut opus divinum est habenda, sed ea sola, quæ vere omnem intellectus creati cognitionem superat. — Unde ut prophetiæ sint cognoscibiles, oportet ut hæc tria de eis probari possint : 1° rem, de qua agitur, fuisse vere prædictam 2° hanc prædictionem vere esse eventu completam; et 3° hanc prædictionem omnem intellectus creati cognitionem excedere.

II. Certitudo. Hæc propositio est *veritas philosophica* et

simul *fidei dogma*. Definita enim est ut fidei punctum per constitutionem Conc. Vaticani in §. I. citatam.

III. Errores. J. J. Rousseau ita prophetiarum cognoscibilitatem impugnat *(Emile III.)* : « Je dis qu'aucunes prophéties » ne sauraient faire autorité pour moi, parce que, pour qu'elles » le fissent, il faudrait que j'eusse été témoin de la prophétie, » que je fusse témoin de l'événement, et qu'il me fût demontré » que cet événement n'a pu quadrer fortuitement avec la pro- » phétie : car fût-elle plus précise, plus claire, plus lumineuse » qu'un axiome de géométrie, puisque la clarté d'une prédiction » faite au hasard n'en rend pas l'accomplissement impossible, » cet accomplissement, quand il a lieu, ne prouve rien à la » rigueur pour celui qui l'a prédit. »

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica. A)* Inprimis certo constat, quod cum plena certitudine cognoscere possumus aliquam prophetiam esse factam, et postea eventu completam. Etenim hæ duæ res sunt facta historica, ac proinde haud secus ac cætera omnia facta historica vel per propriam experientiam, vel per humanum testimonium a nobis certo cognosci possunt. — Inde ad objectionem J. J. Rousseau ita respondetur : *a)* si dicatur factum prædictionis et rei prædictæ eventum per aliorum testimonium non posse cognosci, omnibus historiæ documentis fides est deneganda. *b)* Præterea fuerunt homines, qui per propriam experientiam cognoverunt factum prædictionis, et rei prædictæ eventum. Ita Apostoli ipsi immediate audierunt prophetias resurrectionis et ascensionis Jesu-Christi, item missionis Spiritus S^{ti}; alias quoque prophetias, ut negationis Petri, eversionis Jerusalem et templi; ipsique fuerunt etiam testes oculati earum impletionis.

B) Quod autem prophetia quædam eventu completa, omnem intellectus creati facultatem excedit, etiam omnimoda cum certitudine potest cognosci. Etenim, uti supra jam vidimus, quotiescumque agitur de re futura, quæ a libera hominis, vel

angeli vel Dei voluntate dependet, plene constat eam ab intellectu creato non potuisse prævideri. — Verum, an etiam certo cognoscere possumus prophetiam, quæ eventu est completa, non esse meram conjecturam, quæ casu eventu est completa? Id etiam plena cum certitudine de multis possumus cognoscere prophetiis; quod ita demonstratur. Ubi agitur de actibus humanis prædicendis, fieri quidem potest, ut temerarie vel conjectualiter unum alterumve factum prædicatur, idemque casu eveniat; sed si eventus, qui prædicuntur, clari sint et determinati, si multiplices, si minutæ designentur circumstantiæ etc., et tamen omnes impleantur; jam moraliter certum est prophetam non ex conjecturis vel ex temeraria opinione, sed ex certa scientia et proinde ex divina revelatione prædixisse. Si vero prædicti et completi eventus sint opera supernaturalia seu divina, quæ in confirmationem alicujus doctrinæ ut divinæ propositæ sunt prædicta, tunc absoluta habetur certitudo, quod propheta ex vera scientia ac proinde ex divina revelatione est locutus; siquidem Deus non posset prophetias in erroris confirmationem factas effectu complere, quin inde errorem vere confirmaret; sed Deus errorem confirmare non potest; ergo. — Quibus intellectis, aperte liquet, quam falsa sit objectio J. J. Rousseau, qua dicit nullius prophetiæ veritatem ex eventu comprobari posse, cum ipsa semper casu possit eventu compleri.

2° *e S. Scriptura et e Traditione.* Argumenta, quæ e S. Scriptura et e Patribus ad prophetiarum possibilitatem demonstrandam attulimus, etiam valent ad earum probandam cognoscibilitatem. Appellatur nempe in S. Scriptura et in Patribus, ad prophetias tamquam ad certissima divinæ revelationis argumenta; sed in hunc finem certe ad eas non appellaretur, si cognosci non possent. Ergo.

V. Objectio. Vaticinia omnino iis similia, quæ catholici ut vera vaticinia habent, olim apud gentiles ab oraculis sunt edita, et

etiamnum spiritismi ope eduntur; ergo vera vaticinia a Deo provenientia certo cognosci non possunt.

R. Falso asseritur nullum haberi medium vera vaticinia ab oraculorum et spiritismi prædictionibus dignoscendi : etenim 1° divina vaticinia prænuntiant facta divina seu supernaturalia, neque unum alterumve factum solummodo prædicunt sed magnam factorum inter se connexorum seriem, et exactissime plures factorum circumstancias describunt; dum contra oraculorum et spiritismi vaticinia, historia teste, versantur circa eventus *proxime instantes* adeoque alicui conjecturæ subjectos, uti circa futuram alicujus personæ vel civitatis in aliquo periculo sortem; nonnisi facta singularia nulla ratione inter se nexa prænuntiant; et ita ambigue rem describunt, ut quidquid accideret prædictio videretur impleta. Quod aperte testatur Cicero *De Divin. Lib.* II, c. 56 : « Jam ad te venio, sancte Apollo,... tuis enim » oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut » ego opinor, partim *casu* veris, ut fit in omni oratione sæpis- » sime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat inter- » prete et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis, et » quæ ad dialecticam referenda sunt. » — Præterea ratio id etiam confirmat : dæmones enim, qui in oraculis et in spiritismi phænomenis loquuntur, indubie possunt, propter suum nostro præstantiorem intellectum, cum aliqua certitudine futura quædam proxime instantia, quæ etiam a libera hominum voluntate dependent, conjecturare et Deo permittente hominibus revelare. At, cum de facto agitur, quod nulla conjectura possit attingi, nihil de ipso certa aut conjecturali scientia prædicere possunt.

2° Vera vaticinia de rebus divinis et moralibus agunt, ad pietatem excitant, et ad Dei regnum in mundo stabiliendum immediate conducunt; dum contra oraculorum et spiritismi prædictiones unice ad vanæ hominum curiositati satisfaciendum, ad impium cultum aut pravam sectam promovenda, aut saltem ad bonum mere temporale procurandum proficiunt.

3° Vera vaticinia semper modo decenti, casto et sancto, atque sine indecoro impetu fiunt; dum contra oraculorum et spiritismi prædictiones mediis in actionibus lascivis, modo indecenti et sub abnormi furore fieri solent.

Instatur dicendo : constat in spiritismi phænomenis quandoque venditionum exitum et etiam determinatarum personarum suicidium fuisse prædicta et eventu completa. Jamvero hujusmodi facta certe ex naturalibus causis cognosci non possunt. Ergo.

R. Dæmon, cum celerrime de uno loco ad alium transeat, indubie potest hominum absentium consilia cognoscere, et ex notis istis consiliis concludere, quod v. g. talis venditio talem habitura sit exitum, aut quod talis persona se occisura sit. Si autem in istis casibus personæ, de quibus agitur, consilium, quod antea ceperunt, non mutent, prædictio a dæmone facta, eventu completur; si vero illud mutent, prædictio carebit eventu, ac proinde falsa erit dicenda. Unde liquet nihil obstare, quominus dæmon ex naturalibus suis viribus hujusmodi prædictiones, quales hic proponuntur, faciat, et res prædictæ aliquando, imo sæpe eventu compleantur.

§ III.

De vi probativa Prophetiarum

Q. An prophetiæ in confirmationem alicujus missionis vel doctrinæ, quæ divinæ dicuntur, peractæ, vim habent earum divinitatem invicte probandi?

R. *Omnino tenendum est, hanc vim prophetiis vere inesse, modo ad divinitatem alicujus missionis aut doctrinæ comprobandam reipsa fiant.*

—

I. Explicatio. Notetur hanc vim probativam, haud secus ac pro miraculis, pro hoc solo casu prophetiis attribui, quo nempe in confirmationem alicujus missionis aut doctrinæ, quæ divinæ

dicuntur, vere fiunt. Quod autem prophetia quædam in hunc finem est facta, clare constare potest, tum ex rei circumstantiis, tum ex prædicentis aperta declaratione.

Observetur etiam discrimen, quod ex parte vis probandi habetur inter miraculum et prophetiam. Effectus miraculosus statim ut talis apparet, ac proinde statim probat rem, in cujus confirmationem patratur : sicut si aliquis ad probandum se esse a Deo missum, *verbo* sanat in instanti infirmum vel suscitat mortuum, etc. ; illico probat suam divinam missionem. At prophetia per se non probat, nisi quando eventu completa est : eventus autem sæpe non impletur nisi post aliquam, imo longissimam quandoque temporis periodum.

II. Certitudo. Hæc propositio est *veritas philosophica* et simul *fidei dogma*. Definita enim est ut fidei punctum, in verbis Conc. Vatic. in §. I. citatis.

III. Errores. Omnes naturalistæ et rationalistæ, qui prophetiæ possibilitatem et cognoscibilitatem negant, impugnant quoque vim probativam, quam ei adscribimus.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica*. Prophetia, ubi in alicujus missionis aut doctrinæ demonstrationem fit, haud secus ac miraculum, vere est divinum hujus rei approbativum signum; cum eadem ratione ac miraculum sit opus supernaturale. Sed Deus, utpote summe sapiens et sanctus, errorem confirmare non potest. Ergo.

2° *e S. Scriptura*. Isaias aperte supponit, hanc vim probativam prophetiis inesse, ubi ad gentiles dicit : « *Annuntiate,* » *quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis* » *vos* » (XLI, 23); et ubi Judaismi veritatem demonstrat ex eo quod prophetiis est confirmatus : « *Recordamini,* inquit Deus, » *prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra* » *Deus, nec est similis mei : annuntians ab exordio novissi-* » *mum, et ab initio, quæ necdum facta sunt* (XLVI, 9 sq.). »

3° *e Traditione*. De vi probandi prophetiarum hæc habet

Origenes *Contra Celsum* VI, 10 : « Propria divinitatis nota est, » res futuras ita prædicere, ut prædicendi ratio vires creatas » superet, et ex eventu judicetur divinum Spiritum esse prædic- » tionis auctorem. »

V. Objectiones. 1° Deus dat quandoque prophetiæ donum hominibus pravis; uti constat ex historia Balaam *(Num.* XXIII et XXIV). Jamvero isti homines pravi hoc dono abuti possunt. Ergo.

R. Aliud est dare homini pravo prophetiæ donum, aliud est huic homini permittere, ut hoc dono in erroris confirmationem abutatur. Nihil enim obstat, quominus Deus per os hominis pravi et increduli in veritatis confirmationem prophetiam faciat, cum hujusmodi divinum testimonium in veritatis confirmationem ab homine pravo et incredulo editum, optime conducere possit ad veritatem istam plenissime demonstrandam. Verum, si Deus cuidam homini permitteret, ut prophetiam in erroris confirmationem ederet, ipse fieret falsitatis confirmator; quod cum divina perfectione pugnat. — Quod ad Balaam attinet, Deus edidit per ipsum prophetiam in veræ religionis confirmationem, sed nullatenus ei permisit ut prophetiam faceret ad confirmandum errorem.

Obj. 2° Exstiterunt apud gentiles vera vaticinia, prædictiones eventuum, qui nonnisi Deo revelante certo cognosci poterant. Sed gentilium religiones certe erant falsæ. Ergo.

R. Si apud gentiles quædam fuerunt vera vaticinia, sicut nonnullis videntur oracula Sybillina (eorum tamen valor historicus est valde exiguus), ipsa non fuerunt facta ad confirmandam paganam superstitionem, sed contra immediate ad cultum veri Dei conducunt, uti historia testatur. Ergo nihil ex istis vaticiniis contra doctrinam nostram deduci potest.

CAPUT QUARTUM

De Necessitate et Convenientia Revelationis

I. Materia tractanda. Postquam demonstravimus divinam revelationem esse possibilem tum a parte materiæ, tum a parte divinæ potentiæ, tum a parte ejus cognoscibilitatis, ultimo inquirendum remanet, an ipsa etiam sit possibilis a parte sapientiæ et sanctitatis divinæ, seu an sit necessaria aut saltem conveniens. Deus enim præ sapientia et sanctitate sua non potest facere nisi actus, qui sunt necessarii, aut saltem convenientes.

II. De cujusnam rei cognitione acquirenda agitur, dum quæstio movetur de revelationis necessitate? Agitur de cognitione finis nostri ultimi et de mediis ad hunc finem, seu de cognitione veri cultus Dei. Jamvero duplex distingui potest finis ultimus atque duplex mediorum ad finem series, seu duplex Dei cultus : finis nempe et media naturalia, atque finis et media supernaturalia, seu naturalis et supernaturalis Dei cultus. Finis naturalis est ille, quem homo attingere potest per naturales suas vires, h. e. per has vires, quibus a cæteris entibus distinguitur et homo est; ac per media naturalia ea intelligimus, quæ ipsæ vires naturales suppeditant. Finis autem et media supernaturalia ea sunt, quæ naturales hominis vires omnino superant. Ergo relate ad utrumque illum finem quæstio movenda est de revelationis necessitate.

III. Quotuplex necessitas hic est distinguenda? Duplex : necessitas nempe *physica* et *moralis*.

Medium aliquod est *physice* necessarium, ubi sine ipso habetur ex defectu virium, *absoluta impotentia* ad aliquem effectum obtinendum. Ita homini ad mortuum resuscitandum *physice*

necessarius est specialis Dei interventus, quia sine ipso absolute viribus caret ad tale opus efficiendum.

Medium autem aliquod est tantum *moraliter* necessarium, ubi sine ipso homines, licet opus aliquod possint ponere, illud tamen ponere non solent, quia voluntas ab applicatione virium retinetur per magnas quasdam difficultates vincendas. Ita v. g. vir sapiens et sanctus physicam habet potentiam, ut in habitu stulti per plateas civitatis incedat, sed morali laboret impotentia hoc faciendi. Propter difficultates vincendas, scilicet propter istius actus stultitiam et indecentiam, impeditur quominus eum ponat; atque eum non ponet, nisi extraordinaria quadam ratione ad id moveatur. — Ipsa autem moralis necessitatis natura et fundamentum efficiunt, ut in ea gradus sint admittendi : quo enim major vel minor erit impedimentorum et difficultatum numerus et efficacia, eo major vel minor erit moralis necessitas. Notetur unam necessitatem vocari *physicam*, quia ex conditione naturalium seu physicarum virium fluit; et alteram *moralem*, quia hominum moribus nititur.

IV. Quænam quæstiones hic sunt solvendæ? Uti ex dictis liquet, inprimis debemus inquirere, *an et quomodo revelatio sit necessaria ad supernaturalem Dei cultum;* ac dein, *an et quomodo sit necessaria ad naturalem Dei cultum.* Præterea pro majori rei elucidatione, scrutemur quoque oportet, *an revelatio sit auxiliandi modus qui humanæ naturæ per se conveniens et utilis sit.*

§ I.

De necessitate revelationis relate ad cultum supernaturalem

Q. An et quomodo revelatio est necessaria ad cultum supernaturalem?

R. *Revelatio est physice necessaria ad cultum supernaturalem habendum.*

I. Explicatur responsum. *a)* Dicitur revelatio *physice necessaria*; h. e. ita necessaria, ut sine ipsa homo ex defectu virium, absolute non possit supernaturalem cultum Deo exhibere.

b) Hæc necessitas se extendit ad omnes homines, cum oriatur ex defectu virium naturalium, et una eademque (logice scilicet) natura omnibus insit hominibus.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio est veritas philosophica et simul fidei dogma. In Vaticano enim Conc. Const. *Dei Filius* c. II, definitum est : « *Non hac de causa* (scilicet, » ad acquirendam religionis naturalis cognitionem) *revelatio* » *absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita* » *bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernatu-* » *ralem.* »

III. Errores. Hanc doctrinam impugnant omnes naturalistæ et rationalistæ, qui et possibilitatem revelationis et existentiam veritatum supernaturalium negant.

IV. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica.* Veritas nostræ assertionis immediate fluit ex analysi conditionum, quæ ad supernaturalem Dei cultum ac proinde ad supernaturalem finem attingendum sunt necessariæ. Ut enim homo ad hunc finem tendat, requiritur ut et ipsum finem, et voluntatem Dei ipsum ad hunc finem vocantis, et media conditionesque illum assequendi cognoscat. Jamvero hæc omnia nullo modo per rationem humanam sibi derelictam possunt apprehendi, tum quia ipsa, utpote res supernaturales, a natura non exiguntur aut ex ea non fluunt, ac proinde a ratione, quæ tantum naturam et Deum in natura manifestatum attingit, cognosci non possunt; tum etiam quia pendent a libera Dei voluntate, et sicut libera hominis consilia a priori cognosci nequeunt, ita a fortiori etiam libera Dei consilia circa supernaturalem hominis destinationem, absque speciali revelatione nobis non possunt innotescere. Ergo, data nostra ad supernaturalem ordinem elevatione, omnino dici

debet revelationem absolute seu physice esse necessariam. — Hanc rationem ita proponit S. Thomas (I. Q. 1. a. 1) : « Neces- » sarium fuit, ait, ad humanam salutem esse doctrinam quam- » dam secundum revelationem divinam præter philosophicas » disciplinas, quæ ratione humana investigantur. Primo quidem » quia homo ordinatur ad Deum sicut ad quemdam finem, » qui comprehensionis rationem excedit, secundum illud » Isaiæ LXIV, 4 : *oculus non vidit, Deus, absque te, quæ* » *præparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse præ- » cognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent » ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, » quod ei nota fierent quædam per revelationem divinam, quæ » humanam rationem excedunt. »

2° *e S. Scriptura et Patribus.* Tota ordinis supernaturalis œconomia in S. Scriptura et in Patribus constanter exhibetur ut summum mysterium quod per se homini plane est absconditum, et unice per revelationem ei innotuit. (Cfr. inter alia multa loca *ad Rom.* XVI, 25, 26).

Notandum. 1° Sedulo pro pleniori hujus quæstionis intelligentia, observetur triplicem distinguendam esse de divinis cognitionem : « Est triplex, ait S. Thomas, *Contra Gent.* » L. IV. c. 1, cognitio hominis de divinis. Quarum *prima* est, » secundum quod homo *naturali lumine rationis* per creaturas » (ratiocinando scilicet e creaturis) in Dei cognitionem ascendit. » Secunda est, prout divina veritas intellectum humanum exce- » dens per *modum revelationis* in nos descendit, non tamen » quasi demonstrata ad videndum (h. e. non quasi ita mani- » festata sit, ut possimus circa eam intelligere quomodo sit, seu » totam ejus essentiam intelligere), sed quasi sermone prolata » *ad credendum.* Tertia est, secundum quod mens humana » *elevatur* ad ea, quæ sunt revelata, *perfecte intuenda.* » (Cfr. supra p. 140 ad litt. *d.*)

2° Institutionem cultus supernaturalis, data ejus possibilitate

(quæ demonstrata est, ubi egimus de mysteriis), esse valde convenientem, per se liquet. Summum enim beneficium pro homine est, a Deo ipso edoceri, et ita ad cognitionem venire veritatum, quæ ipsius intelligentiam omnino superant; et Deo, qui est summa et infinita bonitas, necessario dignum est quævis possibilia bona conferre, cum *bonum sit sui diffusivum.*

§ II.

De Necessitate revelationis in ordine ad naturalem cultum

Q. An et quomodo necessaria est divina revelatio in ordine ad naturalem cultum?

R. *Ad finem naturalem seu ad cognitionem veritatum ad cultum naturalem pertinentium, revelatio non quidem physice est necessaria; verum necessaria est moraliter, ut nimirum omnes expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore hanc cognitionem acquirant.*

—

I. Explicatio. *a)* Agitur in hac quæstione de revelationis necessitate, ut possimus finem naturalem attingere, seu naturalem cultum cognoscere, h. e. cognoscere hasce veritates, quæ naturalem cultum constituunt, uti sunt : Deum mundi auctorem existere, Eum esse unicum, summe potentem, sapientem et bonum, summeque perfectum; animam humanam esse immortalem; præcepta moralia, quæ in decalogo continentur, esse observanda. Hæ veritates dicuntur esse *naturales* et constituere cultum *naturalem,* quia ex communi consensu proprium sunt humanæ rationis dominium, seu quia ex communi consensu earum cognitio ad naturalem hominis perfectionem requiritur.

b) Dicitur : *non est physice necessaria,* ad significandum quod homo physicis non caret viribus ad cultus naturalis veritates cognoscendas, seu quod absoluta non laborat impotentia

hanc cognitionem acquirendi : asserimus enim eum ad hoc physicam habere potentiam.

c) Dicitur : *est moraliter necessaria,* ad significandum, quod physica potentia, qua homo ad cultus naturalis veritates cognoscendas fruitur, tot præpeditur difficultatibus et impedimentis, ut nunquam ex se actuetur, seu ut nunquam homines proprio studio et industria actu has veritates sufficienter cognoscant.

d) Dicitur : *ut omnes expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore hanc cognitionem acquirant;* ad significandum, qualis sit gradus hujus necessitatis moralis. Non affirmamus 1° hanc necessitatem moralem existere pro *singulis hominibus,* sed pro *omnibus,* pro *toto humano genere.* Etiamsi concederemus, singularem aliquem hominem, eximio præditum intellectu et in felicissimis adjunctis versantem, naturalis cultus veritates cognoscere posse, non sequeretur propterea totum humanum genus id posse. — Non loquimur 2°, de *singulari* quadam veritate cognoscenda, nam aliquæ naturalis cultus veritates omnibus solo rationis lumine sunt perviæ ; sed de *toto complexu veritatum naturalium,* quæ cognosci debent ut homo vitam ducat sua natura dignam, et Deum colat proximumque suum amet, sicuti naturalis ordo id exigit. — Non loquimur 3°, de cognitione *quacumque,* v. g. de cognitione dubia, conjecturali, post longum tempus et post multos labores obtinenda, aut errore infecta, sed de cognitione *expedite acquirenda, certa, firma et nullo errore infecta.*

e) Ubi affirmamus revelationem esse, ad sufficientem veritatum naturalis ordinis cognitionem, moraliter necessariam, non intendimus dicere revelationem esse unicum medium, quo Deus hominem in hac re juvare potest, sed unice declaramus *aliquem Dei interventum* esse moraliter necessarium. Multa enim alia divinæ omnipotentiæ præsto sunt adjutoria ad humanæ ignorantiæ subveniendum, uti virorum doctiorum suscitatio, concupiscentiæ diminutio, manifestior malorum in mundo

punitio, etc. Verum, cum historia nos doceat, Deum inter succurrendi media, elegisse revelationem, jam ipsa revelatio recte dicitur necessaria. — Uno verbo, intendimus in præsenti quæstione dicere, revelationem esse necessariam, non *antecedenter* ad Dei inter varia succurrendi media electionem, sed tantum *consequenter* ad eam.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio, in sensu explicato, est *veritas philosophica* et simul *fidei dogma*. Definita enim fuit in Conc. Vaticano, Const. *Dei Filius*, c. II : « *Huic divinæ* » *revelationi tribuendum est, ut ea, quæ in rebus divinis* » *humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti* » *quoque generis humani conditione ab omnibus expedite,* » *firma cum certitudine et nullo admixto errore cognosci* » *possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute neces-* » *saria dicenda est.* »

III. Errores. In hac re aliqui peccant per defectum, alii autem per excessum. Per defectum peccant omnes naturalistæ et rationalistæ : ipsi enim absolute et simpliciter negant omnem revelationis necessitatem, atque statuunt tantam esse humanæ rationis sibi relictæ vim, ut ipsa sibi, in iis quæ ad Dei cultum pertinent, plene sufficiat. (Cfr. testimonia citata p. 53 et 54.) — Per excessum autem peccant, tum Lutherus, Calvinus, Baius et Jansenius, qui, cum naturam humanam per originale peccatum totaliter corruptam censerent, docuerunt hominem lapsum absolute non posse per se ipsum naturalis ordinis veritates cognoscere; tum etiam Ultrasupernaturalistæ seu Traditionalistæ, qui pariter opinantur hominem absoluta laborare impotentia naturalis ordinis veritates per se ipsum cognoscendi, aut etiam aliquam cognitionem claram et certam acquirendi. (Cfr. supra p. 61.)

IV. Demonstratur revelationem physice seu absolute necessariam non esse ad cultum naturalem : 1° *e ratione philosophica*. Quod homo physica non caret naturalis cultus

veritates cognoscendi potentia, ita *a priori* demonstrari potest : cum summa Dei perfectione pugnat, ut aliqua creatura viribus ad finem suum absolute necessariis omnino careat, cum id indicaret Deum esse impotentem aut insipientem artificem. Impotentis enim et insipientis artificis est, opus construere ad finem suum natura ineptum. Jamvero talis creatura foret homo si naturalem cultum, quem Deo debet ex natura sua dare, absolute non posset cognoscere. Ergo. — Præterea, qui ad exaltandam fidem, revelationis absolutam necessitatem ad cognitionem Dei ut auctoris naturæ et legis naturalis extendunt, eo ipso omnem fidem divinam evertunt. Etenim si ante revelationem, per rationem nullatenus cognoscere possimus Dei existentiam et legis moralis præcepta, nunquam poterimus fidei actum elicere, aut scire, quod tenemur Deo credere. Actus enim fidei necessario præsupponit notitiam testimonii et ejus veracitatis; atque etiam non possumus ad credendum obligari, nisi prævie intellexerimus officium credendi vere existere. Ergo liquet, quod homo, si suis viribus veritates naturalis ordinis absolute non posset cognoscere, nunquam Deo credere posset.

Idem probatur *a posteriori*, ex demonstrationibus scilicet quibus philosophi Dei existentiam, infinitam ejus perfectionem, et plurima præcepta moralia invicte stabiliunt. (Cfr. supra Cap. I.)

2° *e S. Scriptura et e Traditione*. Revelationem non esse physice necessariam ad cultus naturalis cognitionem, luculenter constat ex iis S. Scripturæ et Patrum testimoniis, quibus supra Cap. I. existentiam naturalis religionis demonstravimus. Aperte in istis textibus, quos citavimus, docetur Dei existentiam officiumque ipsum colendi et varia erga Deum et proximum præcepta servandi a ratione naturaliter posse cognosci.

V. Probatur altera pars propositionis : 1° *e ratione philosophica*. Revelationem esse moraliter necessariam, ut omnes expedite, firma cum certitudine, et sine admixto errore veritates naturalis ordinis revera cognoscant, demonstratur, tum *a*

priori, ex conditione naturæ humanæ; tum *a posteriori*, ex facto historico.

A) Ex conditione naturæ humanæ. De veritate nostræ propositionis ex conditione naturæ humanæ constabit, si ex ea deduci possit, quod sine revelatione veritates naturalis ordinis neque ab omnibus, neque expedite, neque firma cum certitudine, neque sine admixto errore cognoscendæ sint. Jamvero id inde certo deduci potest. Ergo.

Inprimis, si veritates naturalis ordinis, quas ratio attingere potest, rationis inquisitioni relinquerentur, certe nonnisi paucis hominibus earum cognitio inesset, quia nempe plurimi a fructuoso studio impediuntur, atque illi ipsi a philosophis efficaciter doceri non possunt. « Plurimi, ait S. Thomas, Cont. » Gent. I. 4. a fructuoso studio impediuntur tribus de causis : » quidam propter *complexionem corporis*, qua multi sunt na- » turaliter indispositi ad sciendum : unde nullo studio ad hoc » pertingere possent, ut summum gradum humanæ cognitionis » attingerent, quod in cognoscendo Deo (modo scilicet satis » extenso) consistit. Quidam vero impediuntur *necessitate rei* » *familiaris* : oportet enim esse inter homines aliquos, qui » temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in » otio contemplativæ inquisitionis non possent expendere, ut » ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingerent, » scilicet Dei cognitionem (sat evolutam.) Quidam autem impe- » diuntur *pigritia*. Ad cognitionem enim eorum quæ de Deo » ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet : cum » fere totius philosophiæ scientia ad Dei cognitionem ordinetur, » propter quod metaphysica, quæ circa res divinas versetur, » inter philosophiæ partes ultima remaneat addiscenda. Sic ergo » nonnisi cum magno labore studii ad prædictæ veritatis inqui- » sitionem perveniri potest : quem quidem laborem pauci subire » volunt pro amore scientiæ. » — Præterea, qui a fructuoso studio impediuntur, etiam non possunt a philosophis efficaciter

doceri. Etenim, uti infra dicit S. Thomas, « plerumque investi-
» gationi rationis humanæ falsitas admiscetur propter debilita-
» tem intellectus nostri in judicando et phantasmatum permix-
» tionem; et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea,
» quæ verissime etiam sunt demonstrata, dum vim demonstra-
» tionis ignorant; et præcipue cum videant a diversis, qui
» sapientes dicuntur, diversa doceri (quod necessario accidit
» propter intellectus humani imbecillitatem.) »

Secundo, ratio per se ipsam, non expedite, sed tantummodo post longum tempus ad naturalium veritatum cognitionem pervenire potest. « Illi, ait S. Thomas, l. c., qui ad prædictæ veri-
» tatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post
» longum tempus ad eam pertingerent, tum propter *hujusmodi*
» *veritatis profunditatem*, ad quam capiendam per viam ratio-
» nis nonnisi post longum exercitium humanus intellectus ido-
» neus invenitur; tum etiam propter *multa quæ præexiguntur*,
» ut dictum est; tum propter hoc, quod *tempore juventutis*,
» *dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est*
» *apta ad tam altæ veritatis cognitionem*, sed in quiescendo
» fit prudens et sciens. Remaneret igitur genus humanum, si
» sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis
» ignorantiæ tenebris; quum Dei cognitio, quæ homines maxime
» perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his pau-
» cis etiam post temporis longitudinem, proveniret. »

Tertio, ratio per se ipsam etiam non potest cum plena certitudine et sine admixto errore veritates naturalis ordinis cognoscere. « Ratio humana, ait S. Thomas, I. q. 1. a. 1., in rebus
» divinis est *multum deficiens*. Cujus signum est, quod philo-
» sophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes
» in multis erraverunt et sibi ipsis contraria senserunt. » Pariter in *Summa Cont. Gent.* I. 4. verbis mox citatis idem demonstrat ex intellectus nostri *infirmitate* in judicando et ex *phantasmatum permixtione* (h. e. ex celerrima variorum phantasmatum

in anima nostra successione, quæ intellectum a longa perscrutatione distrahit, uti dictum fuit p. 82, obj. 3).

» Salubriter ergo, concludit S. Thomas *Cont. Gent.* I. 4, divina » providit clementia, ut ea etiam quæ ratio investigare potest, » fide tenenda præciperet, ut sic *omnes de facili* possent divinæ » cognitionis (h. e. cognitionis legis naturalis) participes esse et » *absque dubitatione et errore.* »

B) Ex facto historico. Factum est publicum, universale et constans, in nullo populo sive barbaro sive exculto, quamdiu revelatione destitutus fuit, sive quod illa caruerit, sive quod eam abjecerit, omnes homines expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore veritates naturalis cultus cognovisse. Atqui id demonstrat moraliter fieri non posse, ut omnes homines, expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore hasce veritates e solis suis naturalibus viribus cognoscant. Ergo ex hoc facto concludendum est, revelationem esse moraliter necessariam ad prædictam cognitionem obtinendam.

Major hujus argumenti a nemine serio in dubium revocatur. Historia enim teste, nulla exstitit vel existit gens, quæ, revelationis lumine destituta, cultum dignum Deo exhibuerit et in turpissimos errores circa rem religiosam non sit lapsa; non habentur etiam philosophi, qui, sine revelationis ductu veritates naturalis ordinis absque admixto errore cognoverint; atque specialia et faciliora doctrinæ religiosæ capita, quæ philosophi detegerunt, plebi communicare neque tentarunt neque potuerunt. Si enim voluissent plebem circa ista puncta instruere, certe res ipsis non successisset; tum quia eorum doctrina claritate et certitudine caret; tum quia institutio philosophica plurium ingenio nulla ratione est adaptata; tum quia defectus unitatis et concordiæ inter philosophos eorum auctoritatem penitus evertit. — Indubium igitur est, a mundi initio ad nostra usque tempora, nullam inveniri nationem, in qua veritates naturalis ordinis sine revelationis adjutorio fuerint ab omnibus, expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore cognitæ.

Minor etiam facillime demonstratur. Ex hoc universali et constanti facto demonstrari potest, moraliter impossibile esse ut omnes homines expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore naturalis ordinis veritates e suis viribus cognoscant, si hæc moralis impotentia sit unica causa, quæ ad factum istud explicandum possit assignari. Jamvero ipsa est hæc causa; ergo. — Ita demonstratur eam esse unicam causam, qua hoc factum possit explicari : quando homines veritatem, quam physice possunt attingere, non attingunt, quamvis se ad eam investigandam applicent; dicendum est eos ab attingenda veritate per difficultates vincendas impediri. Jamvero homines naturalis cultus veritates physice attingere possunt; et ad eas perscrutandas se semper applicuerunt, et quidem necessario, cum ratio humana instinctive ultimam rerum causam et ultimum earum finem quærat; et tamen nunquam homines omnes hasce veritates per se ipsos sufficienter cognoverunt. Ergo dicendum est, ipsos ab hac cognitione impediri per difficultates in harum veritatum perscrutatione vincendas. — Atvero, ignorantia et error circa veritates istas est factum universale et constans; ac proinde supponit difficultates vincendas, quæ etiam sunt universales et constantes; nam effectus non potest superare causam. Sed nihil aliud omnibus populis cujusvis regionis aut ætatis est commune, ac natura humana eaque omnia, quæ ex ipsa fluunt, aut ipsam comitantur; ac proinde difficultates illæ, quæ constanter et universaliter omnes populos revelatione destitutos, a veritatibus naturalis religionis sufficienter cognoscendis impediunt, non in specialibus quibusdam adjunctis, sed in ipsa natura humana sunt quærendæ. Ergo concludendum est, aliam non haberi causam istius universalis et constantis ignorantiæ et erroris, ac graves difficultates quæ in veritatum religiosarum inquisitione ex ipsa nostra natura surgunt, seu aliis verbis, aliam non haberi hujus facti causam ac moralem naturæ nostræ impotentiam ad præstandum, ut omnes homines expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore has veritates cognoscant.

Demonstrato autem, moralem naturæ humanæ impotentiam esse causam ignorantiæ et erroris circa naturalem cultum, apud populos revelatione carentes, immediate liquet revelationem esse moraliter necessariam, cum morali impotentiæ correspondeat moralis necessitas adjutorii.

2° *e S. Scriptura.* Moralem revelationis necessitatem clare docet S. Scriptura *Sap.* IX, 14-17 : « *Cogitationes mortalium* » *timidæ,* ait auctor sacer, *et incertæ providentiæ nostræ.* » *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et* » *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et* » *difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu* » *sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt,* » *quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu* » *dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de* » *altissimis; et sic correctæ sint semitæ eorum, et quæ tibi* » *placuit didicerint homines.* » Quorum verborum hic est sensus : scientia, quam homo acquirit, tam imperfecta est, ut ipse sæpe timeat se in errore versari, vel saltem de conclusionibus suis non sit plene certus; et causa hujus imperfectionis invenitur in corpore nostro, quod, cum morti morbisque innumeris, et maximis carnis curis et tentationibus sit obnoxium, necessario animam in studiis suis distrahit atque magnopere in veritatis investigatione impedit. (Opponitur in hoc versu status, quem corpus nostrum a lapsu Adami habet, illi statui, quem per Adami lapsum amisit.) Jam consideramus cognitionem rerum mundanarum, quæ ob oculos nostros versantur, uti rem obtentu vere difficilem; et revera nonnisi cum magno labore aliquam de rebus mundanis obtinemus scientiam. Quis igitur investigare et cognoscere poterit, quæ in terra non videntur, aut sub sensus non cadunt, sed oculis nostris penitus sunt absconditа? Quis poterit Dei cognoscere voluntatem et legem, nisi tu Deus, supernaturali modo homines docueris, et supernaturale eis dederis lumen; et sic addiscant homines rectam sequi justitiæ viam et

videant, quænam sit voluntas tua? — In hisce verbis clare et expresse docetur, hominem sibi relictum, in statu, in quo nunc versatur, summa laborare difficultate, ut legem moralem cognoscat, ac proinde moraliter egere revelationis dono, ut eam facile, tuto et sufficienter cognoscere possit.

3° *e Traditione.* Ad moralem revelationis necessitatem stabiliendam sequentia possunt afferri Patrum testimonia. S. Augustinus, *De util. credendi* c. X, hæc dicit : « *Omnesne* » putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam » intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? » Paucos, ais, existimo..... quid *ceteris hominibus, qui tam* » *sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem* » *putes?* » — Lactantius (Instit. div. III, 25) ita incipit enarrare obstacula, quibus sufficiens Dei legisque naturalis cognitio apud homines moraliter redditur impossibilis : » Primum, ait, quia » multis artibus opus est, ut ad philosophiam possit accedi. » Grammaticis non parum operæ est dandum..... id multos » annos auferet necesse est. Multa cognosci debent, quæ » perdiscere neque *feminæ* possunt, quibus intra puberes » annos officia mox usibus domesticis profutura discenda sunt, » neque *servi,* quibus per eos annos vel maxime serviendum » est, quibus possunt discere, neque *pauperes* aut *opifices* aut » *rustici,* quibus in dies victus labore est quærendus. » Dein in *cap.* 30 ita pergit : « An expectabimus, donec Socrates aliquid » sciat? An Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? An Demo- » critus veritatem de puteo extrahat? An Empedocles dilatet » animi sui semitas? Aut Argesilas, et Carmeades videant, » sentiant, percipiant? Ecce vox de cœlo veritatem docens, et » nobis sole clarius lumen ostendens. »

V. Objectiones. 1° Motiva philosophica, aiunt adversarii, ad moralem revelationis necessitatem demonstrandam allata non valent. Prius argumentum, quod est *a priori,* non est validum, quia homo semper potest, si velit, omnes difficultates, quas

physice potest superare, revera vincere; ac proinde ex difficultatibus superandis, cognosci nequit, quid homines in posterum sint facturi, cum tota res ab eorum libera voluntate dependeat. Alterum argumentum haud minus infirmum est; nam ex eo quod aliqua causa non produxerit effectum, deduci nequit hujus causæ impotentia, cum ipsa aliunde ab operando potuerit impediri; ac proinde ex eo quod ratio humana hucusque per se solam, nondum attigerit plenam legis naturalis cognititionem, argui nequit, quod ipsa etiam in posterum hanc cognitionem nunquam acquirere poterit.

R. *ad* 1^um^. Falso asserunt adversarii ex magnis difficultatibus superandis concludi non posse, quid homines in posterum circa res, in quas physicam potestatem habent, sint facturi, cum id plene ab eorum libera voluntate dependeat. Etenim existit apud homines mos seu agendi lex, secundum quam nolunt aggredi opus valde arduum, nisi spes magni boni, quo labor compensetur, affulgeat; et hæc lex est constans et perpetua, quippe quæ immediate fluat ex naturali hominis inclinatione ad bonum suum quærendum et ad malum a se avertendum, et ita nostræ naturæ vere inhæreat. Sed ex agendi lege constanti et perpetua, quæ ipsi inhæret naturæ, licet certe concludere ad futura; ergo. — Observetur, quod si isto constanti hominum agendi modo non liceret niti ad judicandum de futuris hominum actionibus, vita socialis fierit prorsus impossibilis. Ut enim vita socialis possit existere et conservari, oportet ut mutua existat fiducia inter homines; nam supposita universali diffidentia, societas necessario rueret, cum homo non amplius auderet cum proximo suo conversari, contractus inire, aut etiam ab eo cibum aut potum accipere. Sed undenam cognoscimus, quod omnes viri probi, quibuscum nunc vivimus, crastina die non erunt mendaces, fures et homicidæ? Id unice novimus ex prædicto principio, secundum quod homines non solent magnas superare difficultates, nisi spes magni boni hunc laborem compenset. Ut isti homines probi

subito fierent mali et impii, oporteret ut subito abjicerent omnem Dei et hominum timorem, et inferno, carceri atque infamiæ sese offerre velint. Sed ab hisce omnibus summe abhorrent viri probi, et nonnisi extraordinaria tentatione turbati in ista mala sese injicere possunt : unde cum viris probis in omni fiducia agimus, et nulla ratione timemus ipsos subito a probitatis via esse discessuros.

R. *ad* 2^um^. Valeret objectio, si factum constantis et universalis ignorantiæ, quæ apud omnes populos revelatione destitutos, exstitit et existit, per aliam causam ac per impotentiam moralem posset explicari. Atvero per aliam causam explicari nequit : Ergo. — Ut enim aliunde explicaretur, dici oporteret, quod homines constanter et universaliter mentem ad legem naturalem investigandam non applicuerint. Atqui id dici non potest; siquidem indubitata historiæ documenta referunt, quomodo omni ætate et apud omnes populos semper fuerint homines, qui rebus divinis studuerint; et nunquam natio quædam sit inventa, quæ saltem non haberet aliquam religiosam doctrinam. — Seposita autem hac explicatione, factum istius universalis et constantis circa legem naturalem ignorantiæ aliter explicari nequit, ac ope impotentiæ moralis, qua homo in hac re laborat; ergo hæc impotentia est admittenda.

Obj. 2. Doctrina de morali revelationis necessitate pugnat cum sapientia Dei. Sapientis enim opificis est, ea omnia operi suo tribuere, quibus ipsum eget ad finem suum attingendum : ita qui domum construeret, cui aliquid deesset, ut homines in ea habitare possent, certe se declararet opificem incapacem et imperfectum. Jamvero si homines moraliter sint impotentes legem naturalem cognoscendi, Deus, ipsorum creator, eis aliquid negavit, quo egent ad finem suum, qui nempe indubie est, legem naturalem cognoscere et observare; ac proinde opifex incapax et imperfectus est dicendus. Ergo.

R. Qui hæc objiciunt, videntur supponere, vel quod omnia

media, quibus homo etiam moraliter tantum eget, debeant esse interna seu ejus naturæ intrinseca, vel quod revelatio tantum incœperit, quando verbum Dei caro factum mundo apparuit. Jamvero utrumque est aperte falsum. Inprimis nullatenus dici potest, omnia media, quibus aliqua creatura ad finem suum eget, debere esse interna et ejus naturæ intrinseca; nam, si hoc esset verum, omnes creaturæ mundanæ dicendæ essent defectuosæ, cum omnes ad evolutionem suam externis indigeant mediis : ita homo physice educari nequit sine innumeris parentum curis; animalia et plantæ pariter calore et nutrimento aliisque externis auxiliis indigent, ut sese evolvant; atque etiam materia iners sine variis subsidiis externis a corruptione et mutatione non potest manere immunis. Et hæc externi auxilii necessitas haud sine ratione a Deo est stabilita; eam nempe instituit Deus, ut varia entia mundana firmissimo mutuæ dependentiæ vinculo conjungerentur, et homines societatem inirent, atque suam a Deo, creatore suo, dependentiam sentirent. Si enim homines mutuo auxilio et divino juvamine non egerent, ac proinde per seipsos solos sine ullo auxilio externo, absque illa conditione possent finem suum attingere, societas dissolveretur atque cultus divinus in summum vocaretur discrimen; quemadmodum etiam ordo in entibus irrationalibus cessaret, si ipsa mutua dependentia non essent copulata. — Dein, supponi etiam nequit, quod revelatio, quæ est medium externum ad sublevandam moralem hominis impotentiam, tantum incœperit, ubi Christus in mundum venit. Etenim omnia monumenta testantur, Deum ab ipso mundi exordio in paradiso revelationem fecisse, ac dein etiam benigne providisse, ut hæc primitiva revelatio in patriarchis renovaretur, per Moysen et plures prophetas augeretur et conservaretur atque per successivas generationes transmitteretur. « Cessent igitur, » inquit S. Leo (serm. 3. de Nativ. c. 4), illorum querelæ, qui » impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de

» dominicæ nativitatis tarditate caussantur, tamquam præteritis » temporibus non sit impensum quod in ultima mundi ætate » sit gestum. Verbi enim incarnatio hoc contulit faciendum » quod factum; et sacramentum salutis humanæ nulla unquam » antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc » annuntiaverunt prophetæ; nec sero est impletum, quod » semper est creditum.... Non itaque sero consilio Deus rebus » humanis, nec sera miseratione consuluit, sed a constitutione » mundi unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. »

Instatur dicendo : Si revelatio esset moraliter necessaria, ea omnibus hominibus, ubique locorum et quovis tempore fuisset exhibenda; nam secus Deus non dedisset omnibus hominibus media ad finem necessaria; ac proinde sapiens dici non posset mundi opifex. Jamvero revelatio omnibus, ubique locorum et quovis tempore non est facta. Ergo.

R. Revelatio eo tempore et eo modo a Deo est facta, ut si homines voluissent, facillime eam potuissent semper et ubique conservare atque ita semper ejus lumine illustrari. Facta est nempe a mundi initio, et postea sæpius a Deo est renovata. Verum quidem est, revelationem apud plures populos amissam aut deturpatam fuisse, et ita plurimos populos ea caruisse et etiam nunc carere; verum id Deo ejusque providentiæ imputari non debet, sed hominum vitio. Haud magis Deo imputari potest revelationis privatio, qua plurimi homines laborarunt atque adhuc laborant, quam pravæ inclinationes pravique habitus, quos infantes ex mala educatione a parentibus accepta contraxerunt, quam vulnera aliaque plurima mala, quæ ab hominibus nobis quandoque infliguntur. Si plurimi igitur homines privati sunt revelatione et adhuc ea privantur, id unice ex majorum suorum fluit culpa. nam si revelatio ab initio ea, qua oportebat, cura fuisset custodita, ubique fuisset conservata et totum illuminaret mundum.

Instatur rursus : Si revelatio est moraliter necessaria,

Deus permittere non potuit, ut homines culpa majorum suorum ea privarentur, sed statim, ubi deperdita erat, debebat eam renovare. Et ratio est, quod revelatio, si moraliter sit necessaria, medium est necessarium ad salutem, atque quod Deus permittere nequit, ut vel unus homo tali ponatur in conditione, ut salutem assequi non possit, cum repugnet, ut ens rationale omni felicitate in æternam privetur sine sua culpa.

R. Valeret hæc instantia, si homines, qui revelatione carent, versarentur in physica impotentia aut in magna impotentia morali se salvandi; atque proinde necessario vel fere necessario ad infernum tenderent; advero id nullatenus locum obtinet. Etenim personæ omnes, quæ revelationis lumine non fruuntur, et ita in magna circa Deum legemque naturalem ignorantia absque sua culpa versantur, salutem assequi possunt, modo velint ea omnia, quæ de Deo legeque naturali quasi naturaliter cognoverint, fideliter servare, atque ita vitare peccatum. Facienti enim, quod in se est, Deus non denegat suam gratiam; nemo a Deo damnatur sine sua culpa; et nemo potest peccare contra legem, quam inculpabiliter ignorat. Unde liquet, eos omnes, qui revelationis lumine privantur, ideo in morali impossibilitate sese salvandi non versari. — De modo autem, quo Deus homines revelatione destitutos, in supernaturali ordine nunc existente (in quo fides in Deum requiritur ut fundamentum omnis justitiæ), ad justificationem et ad salutem adducat, hæc notat S. Thomas in III Sent. D. 25, q. 2, a 1 : « In » his quæ sunt necessaria ad salutem, nunquam Deus homini » quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex sua culpa » remaneat; unde explicatio eorum, quæ sunt de necessitate » salutis, vel divinitus homini providetur per prædicatorem » fidei, vel per revelationem. » Et *De verit.* q. 4 : « Si aliquis » nutritus in sylvis vel inter bruta animantia, ductum rationis » naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime » est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem

» revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum mitteret. » Quibus addi potest, omnes homines revelatione destitutos facile posse fidem habere, qua egent ad justificationem obtinendam, siquidem apud omnes totius mundi gentes, vigeat cultus non in ratione sed in quadam revelatione nixus, qui adhuc retinet aliqua primitivæ revelationis vestigia, et inter alia semper illa fidei puncta certe cognoscenda, Dei nempe seu causæ primæ existentiam et futuram remunerationem. Hæc autem admittendo et votum habendo cognoscendi et amplectendi verum Dei cultum, plene disponi possunt isti homines ad justificationem et salutem accipiendam.

Instatur et hoc modo : Non decet sapientem opificem, qualis est Deus, hominibus permittere, ut voluntarie revelationem deperdendo, futuris generationibus auferant moralem potentiam legem naturalem cognoscendi, quam ipse per revelationem contulit; cum, ablata illa potentia, opus Dei fiat vere defectuosum, utpote morali facultate finem suum debito modo attingendi destitutum.

R. Non minus potest Deus permittere, ut deperdatur per hominum malitiam revelatio a se data, quam ut committantur homicidia et corporum læsiones, vel ut infantes male educentur; cum inde etiam opus divinum lædatur et vitietur. Ratio autem, ob quam divina sapientia id permittere potest, est hæc : mala ista necessario connexa sunt cum conditione, in qua nunc versamur, scilicet, cum vita sociali et libertate homini concessa malum in Deum et in proximum faciendi. Si enim egeamus cæterorum hominum auxilio, et si ipsi possint, si velint, nobis hoc auxilium negare, et etiam positiva mala infligere, necessario possumus a proximo in bonis nostris lædi. Sed Deus sapienter potuit nos in sociali vita constituere, et nobis mali libertatem concedere, cum hæc conditio, quamvis non sit summe perfecta (opus autem perfectissimum, quo majus fieri non potest, a Deo effici nequit), tamen est bona et magnum divinæ bonitatis

donum, siquidem sufficiens est ad æternam beatitudinem consequendam; et quævis sors est bona et magnum donum, modo ad æternam felicitatem conducat. Ergo potest etiam Deus sapienter permittere, ut mala, quæ cum hac vitæ nostræ conditione necessario sunt connexa, in mundo fiant; qui enim potest velle causam, potest necessario et effectum velle.

Instatur tandem et hoc modo : Iis omnibus, quæ hujusque dicta sunt, admissis, nondum tamen hæc moralis necessitas cum Dei sapientia potest componi : etenim, data hac necessitate, dici debet hominem e sua natura, si externo careat auxilio, necessario duci in errorem. Jamvero repugnat, ut Deus, qui infinite est sapiens, hominem in tali conditione creaverit. Ergo.

R. Objectio valeret, si diceremus hominem absoluta seu physica laborare impotentia veritates naturalis ordinis cognoscendi; atvero hæc non est nostra doctrina. Quæ a nobis asseritur impotentia inveniendi veritates religiosas non est *absoluta,* sed *moralis* tantum; neque talis est, ut in singulis casibus, aut æqualiter quoad omnia subjecta et objecta obtineat, sed quæ generaliter, pluribus in casibus, in communi existat. Homini certe ex conditione suæ naturæ debetur potentia veritatem cognoscendi, sed quod omnem veritatem sine externo auxilio cognoscat et nunquam erret, ipsi non est debitum; potentia non ideo neganda est, quia debilis est et auxilio externo ad perfectionem suam indiget.

Obj. 3° Hæc sententia de moralis revelationis necessitate admitti nequit, quia cum aliis inconcussis doctrinæ catholicæ punctis aperte pugnat; cum doctrina scilicet de supernaturali revelationis charactere, atque cum illa de revelationis possibilitate. — Etenim *a)* si homo non posset absque revelatione cognoscere veritates ad naturalem legem pertinentes, debita homini esset revelatio. Sed quod humanæ naturæ est debitum, dici nequit supernaturale. Ergo, admissa morali revelationis necessitate, negari debet revelationem esse supernaturale

donum; quod est contra fidei catholicæ doctrinam. — *b)* Si Deus et officia nostra erga ipsum per rationem cognosci non possint, revelatio fit vere impossibilis, cum homo eam acceptare non posset. Ut enim Deo credat ejusque revelationem acceptet, necessario debet antecedenter scire quod Deus existit et infinite est verax, et quod ipse officium habet divinam revelationem fide amplectendi. Ergo, negata possibilitate Deum legemque naturalem per rationem cognoscendi, vere ruit possibilitas revelationis, cum homo eam agnoscere et amplecti non posset.

R. *ad* 1^um^. Hujus prioris difficultatis solutio jam data est in nota *e)* pag. 250. Non dicimus enim revelationem esse unicum medium, quo Deus possit morali nostræ impotentiæ veritates naturales cognoscendi subvenire; sed præsto ei esse multa alia media, sive interna sive externa, quæ in ipso naturali ordine continentur, seu nulla ratione sunt supernaturalia. Proinde revelatio non est moraliter necessaria *simpliciter* loquendo, sed *disjunctive;* est scilicet solum necessaria, ubi Deus alia providentia non consulit morali possibilitati ad naturalium veritatum cognitionem acquirendam. Cum autem Deus in præsenti providentiæ ordine non aliis mediis ac revelatione uti decreverit, nunc est necessaria revelatio.

R. *ad* 2^um^. Non abnegamus homini potentiam acquirendi aliqualem naturalis cultus cognitionem; sed tantum asserimus moraliter fieri non posse, ut ex solis naturæ viribus omnes, expedite, firma cum certitudine et sine admixto errore complexum naturalium veritatum cognoscant. Jamvero, ut possimus et debeamus Dei revelationem fide amplecti, non requiritur totius naturalis legis plena cognitio, sed sufficit, ut Dei existentiam, ejus in loquendo supremam veracitatem, nostramque erga eum omnimodam subjectionem noverimus, ac simul nobis constet Deum vere nobis revelationem fecisse : quæ duo puncta contendimus sine magna difficultate, imo facile ab omni homine cognosci posse. Cognitio enim existentiæ Dei, ejus supremæ

veracitatis nostræque erga eum plenissimæ subjectionis, juxta catholicorum doctrinam facillime atque sine ullo fere labore acquiri a nobis potest; nam Patres et theologi uno ore eam dicunt humanæ naturæ *insitam, innatam* et *connaturalem*, atque communior theologorum sententia tenet, fieri non posse, ut positivi existant athei, qui de sua doctrina vere sint persuasi (Cfr. supra p. 84). Dein, quod ad factum revelationis attinet, ejus cognitio nemini juxta catholicorum doctrinam est moraliter impossibilis, nam in Concilio Vaticano, Const. *Dei filius*, c. III, docetur : « miracula et prophetias divinæ revelationis signa » esse certissima et omnium intelligentiæ accommodata. » Ergo liquet, ex doctrina nostra nullatenus sequi, nos vel physice vel moraliter impotentes esse ad divinam revelationem cognoscendam et fide amplectendam; ac proinde ruit objectio.

Obj. 4° Tota hæc doctrina de morali revelationis necessitate ex omni parte pugnat, aiunt rationalistæ, cum *progresso continuo*, qui, historia teste, in quibusvis mundanis rebus constanter fit, et unicum est principium unde omnes eventus et mutationes, quæ hucusque in mundo acciderunt, nunc fiunt ac in posterum sunt futura, debent explicari. Juxta communem, inquiunt, *progressus continui* legem, doctrina religiosa, quæ, uti cæteræ res omnes, in mundi exordio valde imperfecta erat, sese continuo et constanter perfecit, semperque sese perficiet, ita ut in nulla ætate existat Dei cultus ab errore plene immunis, sed progressui ætatum semper correspondeat perfectior divini cultus forma : quæ variæ formæ sibi invicem succedentes et etiam contradicentes non quidem absolute, sed relative veræ et bonæ sunt, h. e. veræ et bonæ, in quantum mundi ætas, ad quam pertinent, juxta evolutionis suæ seu continui progressus legem, id postulat.

R. Liquet, admisso hoc progressus continui systemate, omnem revelationis necessitatem esse rejiciendam, cum juxta ipsum natura humana semper satis habeat. Ubi nempe homines in

errore et ignorantia versantur, adjutorio, juxta prædictum systema, non egent; cum eorum doctrina, quamvis erroribus sit referta, pro hoc tempore censenda sit vera et bona; ac proinde homines nunquam vera, et sufficienti doctrinæ religiosæ cognitione careant. — Atvero totum hoc systema ex omni parte est falsum, impium et absurdum; ac proinde tota objectio ruit.

Quam falsum, impium et absurdum hoc systema sit, e sequentibus patet argumentis :

a) Inprimis historia huic systemati progressus continui aperte contradicit, atque demonstrat illud carere isto fundamento, experientia scilicet sæculorum, quo rationalistæ ipsum stabilire conantur. Quod enim ad artes et scientias pertinet, nationum omnium tum antiquarum, uti Assyriacæ, Ægyptiacæ, Græcæ et Romanæ, tum recentium, historica documenta, quæ exstant, earum in artibus et scientiis docent ortum, incrementum et fastigium, quod deinde secuta sunt decrementum et interitus. Societates scilicet hominum hac in re imitari videntur quod in organicorum entium natura fieri conspicimus : nascuntur, crescunt et moriuntur. (1) Pariter longe abest, ut historia testetur doctrinæ religiosæ cognitionem semper et constanter in mundo profecisse. Indubia enim documenta testantur, in mundi primordiis religionem puram, sanctam et perfectam, qua unus verus Deus colebatur, exstitisse, et nonnisi deinceps post fere bis millia annorum populos in polytheismum et in abominandas ejus doctrinas esse inductos; medio in polytheismo ubique grassante judaicam nationem monotheismum servasse; et etiam recentiori ætate populos et homines, qui doctrinam fidei catholicæ etiam

(1) « Si exercitium studii, ait S. Thomas *in Arist. Ethic.* I. Sect. II, » prætermittitur, tempus est magis *causa oblivionis*, et quantum ad unum » hominem et quantum ad diversos. Unde videmus multas scientias, quæ » apud antiquos viguerint, paulatim cessantibus studiis in oblivionem » abiisse. »

ex adversariorum sententia valde sublimem deserunt, in putida pantheismi, materialismi et atheismi systemata incidisse. — Nec dicatur decrementa illa in scientiis, in artibus et in religiosa doctrina anomalias seu exceptiones esse; nam ea invenimus non in una tantum, sed in quavis mundi ætate; non in individuis tantum personis sed in nationibus; non in una alterave natione, sed in nationibus omnibus. — Neque etiam quis tentet reponere, polytheismum, dualismum, bouddhismum, mahumedanismum, indifferentismum, pantheisnum, materialismum et atheismum tot esse cultus primitivi, qui monotheismus fuit, perfectiores formas; hujusmodi enim assertio nimis insulsa et a communi sensu adhorrens est, cum et ipsi rationalistæ agnoscant monotheismi formam et decalogi præcepta quæ in christianismo continentur, polytheismo, indifferentismo, atheismo aliisque hujusmodi doctrinis esse perfectiora.

b) Assertio, qua hujus systematis defensores dicunt, veritatem esse relativam et mutabilem, seu errorem, ubi gradui evolutionis mundanæ est correspondens, esse veritatem, et tantum fieri errorem, ubi evolutionis mundanæ ulterior gradus majorem rei cognitionem postulat, est absurda et impia atque etiam omnem humanæ cognitionis certitudinem pessumdat. Etenim veritas est una, et indivisibilis, seu in judicio falso nullus gradus veritatis potest contineri; quod ita demonstratur : « Veritas cognitionis, ait S. Thomas *(Cont. Gent.* I, 59), est » adæquatio intellectus et rei, secundum quod intellectus dicit » esse quod est, vel non esse quod non est; » ac proinde ut adsit veritas cognitionis « illud, quod intellectus intelligendo » dicit et cognoscit, oportet esse rei æquatum, scilicet, ut ita in » re sit, sicut intellectus dicit. » Aliis verbis, cognitio vera seu veritas cognitionis nostræ in eo consistit, quod ideæ et judicia, quæ de aliqua re habemus, sint huic rei conformia seu exacta ejus sint imago. Atvero res cognoscenda non habet attributa opposita seu non potest simul aliquid esse et non esse : ita

Deus non potest simul esse mundi auctor et ejus auctor non esse, simul esse infinitus et finitus, simul esse sanctus et impius; et similiter nostra erga Deum et proximum officia, utpote ex relationibus nostris ad Deum et ad proximum profluentia, non possunt simul esse et non esse; non possumus simul teneri Deum colere et ad hoc non teneri, simul obligari ad proximum amandum et ad hoc non obligari. Ergo oppositæ de una et eadem re cognitiones non possunt simul esse huic rei conformes, cum opposita attributa in ea non habeantur, ac proinde non possunt simul esse veræ. Hæc sola autem cognitio erit vera, quæ rei cognitæ correspondeat; et ideo veritas est una atque indivisibilis, et nunquam in aliqua falsa cognitione gradus veritatis potest contineri. Quam veritatem ipse Cicero agnovit, ubi circa varias de diis opiniones dicit *(De nat. Deorum,* I, 2) : « Res nulla est, de qua tantopere non solum » indocti sed etiam docti dissentiant. Quorum opiniones quum » tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, *alterum fieri* » *profecto potest, ut earum nulla, alterum certe non potest,* » *ut plus una vera sit.* » — Præterea hæc theoria de veritatis mutabilitate omnem evertit certitudinem, et immediate ad scepticismum conducit. Etenim si talis sit naturæ nostræ conditio, ut nostra de rebus cognitio juxta evolutionis mundanæ gradum plus minusve erronea necessario sit; ac proinde omnes notiones nostræ ita sint mutabiles, ut quæ modo vera existimamus, decursu temporis falsa inveniantur; prudenter agimus, si nihil nunc ut certum habeamus, sed de omnibus dubitemus seu scepticismum amplectamur. Nihil enim stultius, quam id ut verum habere, quod certe novimus esse erroneum. — Insuper possumus et hoc contra adversarios animadvertere : si veritas uti ipsi id contendunt, est mutabilis; nonne et veritas systematis de veritatis mutabilitate etiam mutabilis erit; Unde noverunt hoc systema esse absolute verum; et quo jure possunt illud tamquam absolute verum proponere ac propugnare?

c) Falsitas systematis de *progressu continuo* etiam liquet ex ejus origine, atque ex repugnantia existente inter ipsum et doctrinam de Deo creatore sapientissimoque mundi gubernatore. Oriundum est hoc systema ex absurda Pantheismi doctrina, uti ex Pantheismi et hujus systematis analysi clare patet : juxta pantheistas nonnisi unica habetur substantia, quæ indesinenter, continuo et necessario se evolvit et explicat, instar araneæ, quæ velut ex suis visceribus evolvit et explicat suam telam. Inde censent humanitatem, haud secus ac cæteras res omnes, non esse nisi manifestationem et evolutionem illius substantiæ; atque idcirco in omnibus constantem illam evolutionis, seu progressus continui legem sequi. Sed religionis cognitio est una e præcipuis humanæ naturæ sequelis; ac proinde debet et hæc cognitio hanc legem progressus continui sequi, seseque de ætate in ætatem necessario evolvere et explicare; et omnes istius cognitionis evolutiones et explicationes erunt bonæ et veræ, utpote immediate emanantes ex divina substantia, quæ tam in uno quam in altero evolutionis gradu manet divina et bona, omnique veneratione digna. Posset idem historiæ testimoniis probari; sed res clarior est quam ut ulterius demonstretur. — Theoriam istam ideæ Dei creatoris sapientissimique gubernatoris mundi, directe repugnare, in oculos incurrit : etenim sapientissimus et optimus humanæ naturæ auctor sane non potuit eam in tali conditione condere, ut ipsa, quæ ad Deum suum vere cognoscendum et laudandum est creata, physica hunc finem attingendi laboraret impotentia, et per longam sæculorum seriem falsum cogeretur ut verum habere et malum ut bonum diligere. Nam si Deus hominem in tali conditione condidisset, dicendus esset aut impotens, quasi hominem mediis, quibus ad finem suum eget, non potuisset instruere, aut insipiens, quasi media homini necessaria non cognovisset, aut crudelis, quasi homini ea dare noluisset quibus absolute eget; quæ omnia cum idea, quam de Deo juxta fidei et rationis doctrinam habemus, directe pugnant.

Notetur tamen nos, quamvis systema *progressus continui* omnino rejiciamus et damnemus, nihilominus non omnem profectum in naturalibus scientiis et artibus, atque etiam in ipsa religiosa doctrina sive naturali, sive supernaturali negare. Concedimus nempe et admittimus inveniri in scientiis et artibus humanis quemdam progressum, talem nimirum, qui non sit continuus, neque constans et necessarius, sed qui contra haud raro interrumpatur, aut etiam penitus extinguatur locumque regressui cedat. Religiosarum autem veritatum cognitio ab hoc scientiarum naturalium progressu, penitus est independens.

Pariter tamen, quod ad cognitionem religionis naturalis naturæ viribus acquirendam attinet, non solum in individuis personis, sed etiam in multitudine, admittimus aliquem verum progressum, qui nempe neque constans, neque continuus, neque necessarius sit, neque in veritatis mutatione consistat, sed inconstans et versatilis sit, in sola perfectiori unius et ejusdem veritatis cognitione consistat, et ideo moralem revelationis necessitatem non auferat. — In revelatione autem divina ab initio mundi usque ad Messiæ adventum facta, habetur verus progressus uti docetur in Tractatu *de Fide*, non quidem quatenus in priori revelatione error fuisset contentus, qui in posteriori esset rejectus, sed quatenus per novas revelationes numerus articulorum credendorum auctus est et cultui puro quidem sed minus perfecto successit cultus perfectior et sublimior. Doctrina autem Christi ita est perfecta, ut nulla ulteriori revelatione sit complenda; ac proinde in ea non habetur progressus ille, qui tum in revelatione primitiva tum in mosaica invenitur. Tamen, uti manifestum est, habetur etiam in Christi doctrina progressus sub respectu scientificæ cognitionis, quam theologi de ipsa habent. Observetur hic quoque contra rationalistas, theologos pro munere non habere, ut doctrinam Christi ab erroribus emundent, sicut volunt defensores progressus continui, cum hæc doctrina sit

infallibile Dei verbum; sed ut hujus doctrinæ scientiam magis magisque perficiant.

VI. Notandum. Plures moderni scriptores, ad facilius contra rationalistas revelationis necessitatem et utilitatem demonstrandam, proposuerunt systema, quod dicit *socialem institutionem ac proinde primitivam aliquam revelationem naturalem*, absolute esse necessaria, ad obtinendum eum rationis usum, qui homini sufficiat, ut distinctam Dei et naturalis cultus cognitionem sibi comparare possit. — Verum hoc systema nullatenus conducit ad finem ab istis scriptoribus intentum : etenim primitiva illa revelatio, de qua ipsi loquuntur, non est ejusdem naturæ ac revelatio a Deo per prophetas et Christum peracta, de qua sola in nostra cum rationalistis disputatione tractatur. Nam primitiva illa revelatio necessaria fuisse statuitur, ut homo ad expeditum rationis suæ usum perveniret; ac proinde inter naturalia dona, humanæ naturæ plene debita, recensenda est; cum Deus sane homini ea dona negare non possit, quibus ille eget ut ratione sua valeat uti. Revelatio autem, de qua cum rationalistis disputamus, est donum omnino indebitum, prorsus gratuitum et supernaturale. Jamvero rationalistæ omnia dona indebita, prorsus gratuita et supernaturalia ut impossibilia rejiciunt, atque prophetarum et Christi revelationem ideo respuunt, quia ejusdem donum indebitum, gratuitum et supernaturale est. Ergo prædictum systema nullam affert utilitatem ad revelationis necessitatem et opportunitatem contra rationalistas demonstrandam. — Præterea hoc systema etiam philosophice videtur falsum; nam non intelligitur quomodo quis ab altero doceri possit, si prævie ratione sua non utatur. Quomodo enim discipulus verba vel alia signa a magistro sibi proposita, intelligere poterit, nisi antea jam acquiserit ideas? Signa sane non possunt ideas infundere, sed ideas jam in mente existentes supponunt, cum sint arbitraria, et non ex sua natura sed ex positiva institutione significent. Bene dicit hac de

re S. Augustinus *De Magistro*. c. X : « Cum mihi signum datur, » si nescientem me invenit, cujus rei signum sit, docere me » nihil potest : si vero scientem, quid disco per signum? Non » enim mihi rem, quam significat, ostendit verbum, cum lego : » *Et sarabala eorum non sunt immutata* (Dan. III, 94). Nam » si quædam capitum tegmina nuncupantur hoc nomine, num » ego, hoc audito, aut quid sit caput aut quid sint tegmina » didici? Ante ista noveram; neque cum appellarentur ab aliis, » sed cum a me viderentur, eorum est mihi facta notitia. Ete- » nim cum primum istæ duæ syllabæ, cum dicimus *caput*, aures » meas impulerunt, tam nescivi quid significarent, quam cum » primo audirem legeremve *sarabala*. Sed cum sæpe diceretur » *caput*, notans atque animadvertens, quando diceretur, reperi » vocabulum esse rei, quæ mihi jam erat videndo notissima. » Quod priusquam reperissem, tantum mihi sonus erat hoc » verbum; signum vero esse didici, quando cujus rei signum » esset inveni; quam quidem, ut dixi, non significatu sed » aspectu didiceram. *Itaque magis signum, re cognita, quam,* » *signo dato, ipsa res discitur.* »

§ III.

De revelationis cum natura humana convenientia

Q. An revelatio est auxiliandi modus, qui humanæ naturæ per se conveniens et utilis est?

R. *Tenendum est revelationem esse institutionem homini summopere convenientem et utilem, quæ Dei sapientiam et bonitatem maxime manifestat.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas philosophica* et simul *fidei dogma*. In Vaticano enim Concilio, Const. *Dei Filius*, c. II, can. 2 definitum est : « Si quis dixerit, fieri

» non posse, *aut non expedire,* ut per revelationem divinam » homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit. »

II. Demonstratio : 1° *e ratione philosophica.* Revelatio divina certe dicenda erit auxiliandi modus homini per se conveniens et utilis, si methodus, qua utitur, institutio scilicet *per auctoritatem,* talis sit naturæ, ut magis quam via opposita, cognitio nempe per rationem, humanæ naturæ sit accommodata. Jamvero ipsa revera est humanæ naturæ accommodatior quam via opposita; nam in usu est communior, quoad veritatis assecutionem securior, cultui sociali et hominum in societatem coadunationi utilior, et cum statu viæ, in quo versamur, congruentior. Ergo.

Prob. min. **a**) *Methodus auctoritatis est in usu communior.* Etenim 1° homines omnes sine ulla exceptione, plurima, imo pleraque discunt via auctoritatis : huic enim vel unice vel saltem magna ex parte innituntur omnes fere scientiæ, atque ei innititur etiam totus socialis ordo. Sine auctoritatis methodo nempe, h. e. sine fide, nullatenus subsisterent historia et geographia; de medicali arte, de jure, de linguis deque omnibus naturalibus scientiis fere nihil sciretur, cum valde exiguum sit, quod singuli homines per seipsos de istarum scientiarum materia detegere possunt. Vita vero socialis sine fide humana omnino non posset subsistere; nam, rejecta fide, jam non possemus scire, quinam sint parentes, fratres, sorores et cognati nostri; nec possemus colloqui aut contractus inire cum proximo, cum verbis ipsorum non crederemus; nec infantes a parentibus doceri ea possent, quæ ad physicam et moralem educationem pertinent.

2° Major hominum pars propter defectum sive ingenii, sive temporis vel propter alia adjuncta, præcipuas veritates proprio non potest assequi studio; ac proinde nisi eas velit in perpetuum ignorare, auctoritati innixa eas debet credere.

b) *Est quoad veritatis assecutionem securior.* Experientia

enim constat, sæpe formidinem erroris circa quæstiones difficiliores, quas ratione investigavimus, in nobis non cessare, donec peritorum ac prudentium accedente testimonio, eos inveniamus nobiscum convenientes. Timemus enim ne forte in sophisma inciderimus, aut quid falsi aut dubii ut certum assumpserimus. Unde liquet Deum non potuisse meliori via, quam auctoritate sua, nos de veritatis cognitione securos reddere, maxime cum ipse sit doctor omniscius, infallibilis et summe verax.

c) *Est cultui sociali et hominum in societatem coadunationi utilior.* Per revelationem enim a legato divino factam et ab uno homine ad alium prædicatione transmittendam, junguntur necessario homines inter se mutuæ dependentiæ vinculo, et communi fidei prædicatione conjuncti, etiam necessario ad socialem cultum adducuntur. Qui effectus certe nulla ratione obtinentur per cognitionem rationalem.

d) *Est cum statu viæ, in quo versamur, congruentior.* Doctrina via auctoritatis nobis communicata, magis quam rerum cognitio per rationem obtenta, cum statu viæ, in quo versamur, congruit, quia in doctrina via auctoritatis communicata, res non totaliter sed partim tantum manifestatur. Asseritur quidem rem esse, sed non declaratur quomodo sit. Contra autem in cognitione rationali res totaliter manifestatur, seu tum quoad suam existentiam, tum quoad suam essentiam declaratur. Jamvero decet, ut in statu viæ, qui est essentialiter imperfectus, utpote ad perfectionem tendens, non plena et perfecta rerum cognitio obtineatur, et perfecta pro statu termini reservetur.

2° *e S. Scriptura.* Inutile esset hic textus S. Scripturæ congerere, cum in omnibus tum novi tum veteris testamenti libris, laus revelationis a prophetis et a Christo peractæ, tamquam summi beneficii Dei, maximique hominum boni celebretur. Inter præcipua Dei beneficia eam numerat psalmista, ubi *Ps.* 147 dicit : « *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias* » *et judicia sua Israël; non fecit taliter omni nationi et*

» *judicia sua non manifestavit eis;* » h. e. qui revelationem fecit filiis Jacob seu Israël; h. e. genti judaicæ ex Jacob oriundæ (quæ revelatio vocatur Dei *verbum*, quia ipsa vere est Dei verbum ad homines, *justitia*, quia tradit normam summæ sanctitatis et justitiæ, et *judicium*, quia est norma recta judicandi et proponit Dei judicia); quod nulli alii nationi fecit (*non omni* valet *nulli*. Ubi in Hebr. negatio unitur cum voce *col, omnis*, et verbum phraseos afficit, semper vel, juxta alios, saltem plerumque, negat universaliter).

3° *e Traditione*. Patres expresse proponunt has rationes philosophicas, quas supra memoravimus. Ita S. Augustinus *De util. credendi*, c. XII hæc dicit : « Quæro enim, si quod » nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus » liberi eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse » non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest : sed » interposita matris auctoritate de patre creditur : de ipsa vero » matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, » famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi, nonne » potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubi- » tatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim » non videat, pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani » vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus » eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos » parentes esse crediderit, etiamsi non essent. Quis contra non » exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes mi- » nime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? Multa possunt » afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis » incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non » possumus tenere perceptum. » Et in *Lib. Confess.* L. 6. c. 5 : « Paulatim tu Domine, manu mitissima et misericordissima » pertractans et componens cor meum, consideranti quam innu- » merabilia crederem, quæ non viderem, neque cum gererentur » adfuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de

» locis atque urbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam » multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ » nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus, postremo, » quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus » ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credi- » dissem : persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos » tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed qui » non crederent esse culpandos, nec audiendos esse si qui forte » mihi dicerent : Unde scis libros illos unius veri et veracis- » simi Dei spiritu esse humano generi ministratos. » Pariter Rufinus, *Comment in Symb. Ap.* n. 3 dicit : « Quid mirum, si » accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, » cum sine hoc nec ipsa exigi posset vita communis. Hæc autem » idcirco in principiis præmisimus, quia pagani nobis objicere » solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola » credendi persuasione consistat; et ideo ostendimus nec agi nec » stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. »

III. Objectiones. Revelatio, aiunt adversarii, non est medium aptum ad homines morali impotentia, qua juxta catholicos ad legem naturalem cognoscendam laborant, liberandos; cum haud minor labor sit hanc cognitionem, quæ ad revelationem fide accipiendam requiritur, ac sufficientem de naturali lege notitiam, assequi. Etenim ad credendum oportet, ut auctoritatis systema plene sit perpensum ejusque valor perfecte cognoscatur, atque etiam ut de facto divinæ revelationis omnino constet : quæ duo puncta certe haud minus requirunt studium, neque minus sunt scitu difficilia quam altiores naturalis legis veritates. Sane pueri et indocti haud magis hæc puncta, quam veritates, quæ in naturali lege continentur, investigare et cognoscere possunt.

R. Falso asserunt adversarii, notitiam de valore systematis auctoritativi et de facto revelationis ad fidem divinam omnino necessariam, acquisitu tam difficilem esse, ac sufficientem legis naturalis cognitionem; contra enim illa notitia expedite et sine

labore a quovis homine ratione utente potest acquiri; ac proinde ruit eorum objectio.

Inprimis, quod ad cognitionem systematis auctoritativi attinet, pueri et indocti, ipsa natura duce, absque ullo speciali studio seu ratiocinatione reflexa, ex primariis et clarissimis rationis principiis, intelligunt in iis maxime, quæ obvia non sunt et sensibus non occurunt, sibi auctoritati esse fidendem. Qui enim intelligit veritatem ab homine apprehendi et eam mente conceptam verbis exterius posse exprimi, statim videt veritatem ex testimonio alterius posse cognosci; atque ex modico veritatum numero, quas per se ipsum potest invenire, illico etiam concludit, se debere auctoritatis via notitias acquirere, nisi ea velit ignorare, quæ tum ad physicam tum ad moralem vitam sunt necessaria. Inde pueri et indocti, de rectitudine et de necessitate sui agendi modi plene persuasi, parentibus, amicis, hominibus probis et suis magistris credunt, et quæ ignorant, ex eorum testimonio quærunt addiscere.

De cognitione autem facti revelationis ad fidem requisita, sequentia sunt notanda. Duplex distingui debet de revelationis facto cognitio : una, quæ tum ex parte argumentorum, quibus demonstratur, tum ex parte solutionis objectionum est omnino perfecta; et altera, quæ sub utroque isto respectu est minus perfecta. Prior illa cognitio, perfecta scilicet, certe nonnisi a paucis sapientibus et doctissimis viris potest obtineri; altera autem potest in majori vel minori gradu a quovis homine acquiri. Unde si ad fidem in divinam revelationem habendam requireretur perfecta de revelationis facto cognitio, staret adversariorum objectio. Atvero hujusmodi cognitio non requiritur, sed talis sufficit, quæ in persona, fidem volente amplecti, *prudens* excludat dubium; et ad prudens dubium excludendum non exigitur, ut ipsa sit æque perfecta in omnibus personis, sed tantum ut consentanea sit et proportione respondeat facultati, ingenio et scientiæ illius, qui fidem vult amplecti. — Ad fidem in divinam

revelationem sufficere cognitionem, quæ prudens excludat dubium, ita probatur : Imperium voluntatis, quo jubetur mentis assensus in revelationem divinam, est actus moralis; atvero ad actum moralem non requiritur plena et perfectissima objecti cognitio, sed sufficit mentis judicium, quod dicit hunc actum hic et nunc esse prudentem, seu de ejus rectitudine hic et nunc non posse prudenter dubitari; ergo. Præterea si homines nonnisi illud testimonium fide admittere possent, quod perfecte et plene sibi notum habent, pauci essent homines qui alicui testimonio credere possent, et pueri indoctique, qui sane testimonium parentum, vicinorum, amicorum et magistrorum suorum plene et perfecte explorare non valent, omni fidei etiam humanæ deberent valedicere; quod certe plane est absurdum et sensui communi directe repugnat. Nemo enim non videt quod imprudenter et impie ageremus, si ad alteri credendum semper plenissimam requireremus de ejus auctoritate notitiam : ita enim periret filialis pietas, amor conjugalis, unio socialis, cum nec filii perfecta notitia cognoscant, quinam sint sui parentes, nec conjuges perfecta evidentia fruantur de mutua fide, nec cives de mutua probitate. — Cognitionem autem facti revelationis ad prudens dubium excludendum requisitam, non debere in omnibus hominibus esse æque perfectam, sed tantum debere consentaneam esse et proportione respondere facultati, ingenio et scientiæ illius, qui fidem vult amplecti, hac ratione firmatur : non potest quis prudenter de testimonio alterius dubitare, quando, adhibitis mediis, quæ ipse possidet, et quæ uti sufficientia debet habere nisi omne testimonium velit rejicere, in testimonio sibi dato nihil inveniat, quod fide sit indignum; nam si in hoc casu prudenter dubitare posset, quodvis testimonium posset ut dubium habere ac proinde omnem rejicere fidem. Atvero, media ad judicium ferendum, quæ ab hominibus possidentur, dependent a facultate, ab ingenio, a scientia ipsorum; sunt nempe majora vel minora, secundum quod facultas, ingenium et scientia personæ,

quæ debet credere, majora vel minora sunt : ergo. Præterea id etiam clare constat, ex iis quæ in fide humana, quæ socialis ordinis est fundamentum, quotidie videmus. Homines enim, docti et indocti, pueri et adulti, de testimoniis, quæ ab aliis accipiunt, secundum suam facultatem judicant; et ubi nihil fide indignum in eis inveniunt, ea credunt : quem agendi modum nemo certe reprehendit, vel ut insanum aut imprudentem habet; sed contra omnes eum approbant, et tamquam insanos, impios et stultos illos habent, qui secus agerent et dicerent se fidem denegare testimoniis sibi datis, quia minoribus mediis sunt instructi, quam alii viri doctiores, ad eorum valorem investigandum.

Hanc doctrinam clare proponit Card. de Lugo, *De Fide, Disp. V. Sect. II*, n. 25, ubi hæc habet : « Prima objectio, ait, contra » necessitatem evidentiæ credibilitatis fidei est, quod, licet mo- » tiva fidei talia sint, ut reddant eam evidenter credibilem, hoc » tamen est respectu eorum, qui accurate vim et efficaciam » argumentorum perpendunt; non tamen respectu rustici vel » pueri venientis ad annos discretionis, quia ea motiva fere » ignorat, et solum movetur auctoritate parentis vel magistri; » quod motivum sane non sufficit ad probandum evidenter, quod » ea objecta sunt evidenter credibilia; ergo..... Respondeo : licet » illud motivum, quo puer movetur, non sufficiat ad generandam » evidentiam credibilitatis respectu omnium, sufficere tamen ad » probandum evidenter esse prudenter credibile ab ipso. Nam » evidens est, puerum et incapacem et rudem prudenter facere » credendo, quæ a parentibus audit, quos natura illis magistros » designavit, donec per se possint alia motiva majora investi- » gare; ex quo fit, quo aliquis majorem habet sagacitatem et » industriam, majora requirere motiva, quæ ipsi reddant » mysteria evidenter credibilia. » — Quemadmodum nempe pueri et indocti parentum, magistrorum proborumque hominum testimonium, nisi peculiaris quædam ratio detur, prudenter non possunt ut dubium habere illudque recusare, ubi agitur de rebus

mundanis; ita etiam ipsi prudenter non possunt de illorum auctoritate dubitare, ubi factum divinæ revelationis testantur. Si in priori casu prudenter non possit fides denegari, quare id prudenter fieri posset in altero? Et ratio hujus doctrinæ nihil aliud est, quam ipsa ordinatio Dei, qui talem ordinem moralem in mundo instituit, ut pueri et indocti isto et non alio modo haberent de rebus, quas per se ipsos non noverunt, certitudinem; quæ certitudo inde est omnino rationabilis, quippe quæ secundum ipsam ordinationem divinam sit comparata.

Instatur dicendo : Pueri et indocti dubitare possunt, an parentes, parochus et magistri sui veram doctrinam doceant, vel an qui majorem auctoritatem habent, aliam non proponant. Unde rationabiliter credere non possunt.

R. Pueri et indocti haberent specialem rationem dubitandi, quia, verbi gratia, parentes vel magistri sui sunt noti uti viri pravi, mendaces et corruptores; vel talem rationem non haberent. In priori casu rationabiliter dubitarent, sed nihil inde sequitur contra nostram doctrinam, quippe quæ tantum agat de testimonio, quod illi, qui vult credere, non apparet ut falsum vel ut dubium. In altero autem casu, est distinguendum : pueri et indocti dubitare possunt; i. e. non necessitantur ad credendum; *concedo;* dubitare possunt rationabiliter, prudenter et licite; *nego;* nam, si id licite facere possent, omnem possent rejicere fidem : quod omnino est contra Dei ordinationem, et totam societatem humanam everteret.

Instatur rursus : Puer, postquam adolevit, clare intelligit testimonium parentum et parochi non esse sufficiens, et sic incipit dubiis agitari. Sed si hoc testimonium tunc est insufficiens, semper insufficiens fuit; et si puer tunc incipit dubiis agitari, semper dubiis agitari potuit. Ergo.

R. Quoad priorem partem ita respondeo : intelligit testimonium parentum, parochi et magistrorum, quo nixus antea credidit, sibi jam docto et exculto non amplius esse sufficiens; *concedo;* intel-

ligit testimonium illud sibi olim puero et indocto non fuisse sufficiens, *nego*. Intelligit nempe puer iste, qui nunc doctus et eruditus factus est, se antea prudenter egisse illis testimoniis credendo, quia ipse puer erat et ideo juxta Dei ordinationem eis credere debebat; sed nunc se jam non posse prudenter eis solis niti, quia plenioris cognitionis de revelationis facto est capax, et ideo, ut prudenter agat, plenius juxta facultatis suæ gradum rem tenetur explorare.

Alteram autem assertionem, scilicet puerum istum, ubi adultus, doctus et excultus factus est, dubiis agitari, absolute negamus, excepto illo particulari casu, quo parentes et magistri errorem docuissent. Quo doctior enim quis in sacris disciplinis evadit, eo clarius ex variis notis et argumentis intelligit factum divinæ revelationis, quod hucusque solo parentum et magistrorum testimonio nixus crediderat, esse verum et admittendum. Si autem in casu particulari parentes et magistri errorem docuissent, ex pleniori scientia, quam obtinuit, facile errorem corriget.

Instatur tertio : Juxta principia hucusque exposita, puer cui a parentibus dogmata falsa ut vera proponerentur, teneretur falsum credere : quod rationi repugnat.

R. *Distinguo maj.* : teneretur falsum credere, quatenus hic et nunc ipsi evidenter credibile est, seu quatenus hic et nunc prudenter de testimonio sibi dato dubitare non potest; *concedo;* teneretur falsum ut falsum seu pro falso reputatum credere; *nego*. — Neque hoc rationi repugnat, quod puer iste falsum tenetur credere, quatenus hic et nunc de testimonio sibi dato prudenter dubitare non potest; nam aliter ipsi esset omni fidei valedicendum; uti supra jam diximus. — Oportet hic animadvertere actum illum, quo puer falsum credit, non esse quidem actum fidei divinæ supernaturalem (h. e. ex supernaturali virtute fidei elicitum), cum Deus per gratiam suam ad falsum credendum certe non concurrat; sed tamen actum bonum esse

submissionis erga divinam veritatem, ac proinde, positis ad meritum necessariis conditionibus, meritorium.

Instatur quarto : Hisce omnibus admissis, pueri hæreticorum tenerentur credere doctrinas hæreticas a parentibus sibi propositas, saltem ubi in testimonio ab eis accepto nulla specialis ratio errorem suspicandi habetur.

R. Certe, quotiescumque specialis dubitandi ratio non occurrit, pueri illi nullam habent causam rationabiliter dubitandi, quin doctrina a parentibus ut Dei verbum proposita sit revera divina. Ergo prudenter non possent parentum testimonium in dubium vocare, ac proinde illud deberent fide amplecti. Laborarent nimirum ignorantia invincibili, et consequenter doctrinas hæreticas eodem modo tenerentur credere, quo tenetur omnis homo sequi conscientiam invincibiliter erroneam.

Observetur illam puerorum et indoctorum necessitatem, qua aliquando rem falsam, ob testimonium quod fide dignum est censendum, ut verum debent credere, haud secus, ac istam, qua tenemur conscientiam invincibiliter erroneam sequi, immediate ex imperfectione naturæ nostræ profluere. Si enim necessario debemus via auctoritatis uti, et si homines possint errare et etiam mentiri, manifeste liquet, fieri posse, ut falsum debeatur quandoque pro vero admitti.

Instatur quinto : Pueri et indocti saltem tunc parentum aut parochi testimonio credere non possunt, ubi vident pueros et indoctos apud hæreticos omnino aliam sequi doctrinam, ac illa quam ipsi docentur. In hoc enim casu sibi necessario dicere debent, aut hæreticorum parentes et magistros aut suos falsum docere; sed per se ipsos judicare non possunt, quinam in errore versentur; ergo prudenter tunc dubitant et credere non possunt.

R. Si parentes et magistri sui vere videantur fide digni, non habent pueri vel indoctî in præsenti casu rationem eorum testimonium statim ut falsum vel ut dubium habendi, ac proinde fidem suam revocandi in dubium; nam ex eo quod alii aliam

doctrinam proponunt, non sequitur testimonium parentum et magistrorum esse falsum vel dubium. Atvero cum ad sapienter et prudenter agendum, de veracitate et scientia parentum et magistrorum sufficientem debeant habere notitiam, tenentur ab eis aut ab aliis postulare, quomodo constet hæreticos illos falsam tenere doctrinam : quod facile eis exponi poterit, cum notæ veræ Ecclesiæ sint apertissimæ et omnium intelligentiæ accommodatæ.

Instatur ultimo : Pueri et indocti, cum videant alios se doctiores non amplecti doctrinam catholicam aut etiam eam impugnare, necessario sibi dicere debent multas haberi contra catholicam doctrinam objectiones, quas ipsi neque sub respectu existentiæ neque sub respectu valoris norunt, ac proinde se nescire, num fides, quam amplectuntur, sit vera. Ergo prudenter credere non possunt parochi aut parentum testimonio.

R. Scientia, quæ apud fidei catholicæ adversarios habetur, auctoritatem doctorum et magistrorum catholicorum nullatenus destruit, ac proinde pueri et indocti, ubi vident homines doctiores fidem catholicam rejicere et impugnare, non possunt ideo prudenter de auctoritate magistrorum suorum dubitare. Sed, animadverso quod alii docti fidem catholicam impugnant, debent pueri et indocti, ut prudenter agant, a magistris suis majorem quærere notitiam de notis veræ Ecclesiæ, quæ, uti jam diximus, tam manifestæ sunt, ut ab omnibus facile possint intelligi.

Conclusio totius prioris partis

Sic ergo revelationis possibilitatem demonstravimus : ostendimus nempe revelationem de cultu divino ab homine respui non posse, quasi cultus ille esset res inutilis et indebita; eam physice a parte Dei fieri posse; eam ab homine tuto et facili modo posse cognosci; atque tandem homini non tantum summopere utilem et convenientem sed etiam sub aliquibus ratio-

nibus necessariam; ac proinde eam ex omni parti esse possibilem. — Inde autem sequitur : *a)* eos omnes, qui a priori omnem religionem revelatam, ut impossibilem, rejiciunt, quemadmodum naturalistæ et rationalistæ faciunt, in errore versari et perverse agere; *b)* omnes objectiones, quæ contra doctrinam christianam, ex eo quod a Deo dicitur revelata, desumuntur, esse inanes et falsas; *c)* et doctrinam christianam, secundum rationis principia jam ab adversariis impugnari non posse, nisi conentur demonstrare, quod ipsa a Deo revera non est revelata : si enim revelatio est possibilis, ad veritatem alicujus doctrinæ, quæ revelata dicitur, cognoscendam, solum superest, ut de veritate factæ revelationis inquiratur.

PARS POSTERIOR

De Revelationis Christianæ Divinitate

PRÆNOTANDA

I. Materia tractanda. Demonstrata revelationis possibilitate, declaratisque mediis, quibus vera revelatio a falsa tuto dignoscitur, ordo postulat, ut, adhibitis hisce mediis, divinitatem doctrinæ christianæ, quam in hoc libro proposuimus probandam, ostendamus.

Ad revelationem autem Christi, non ea tantum pertinent, quæ Christus per se ipsum docuit et instituit, sed etiam revelatio illa primæva, in mundi exordio facta, et revelatio postea a Moyse et prophetis peracta; quæ revelationis Christi initium quasi ac præparatio sunt. Tres enim illæ revelationes nonnisi unam completam constituunt, quæ in mundi exordio est inchoata, sub Moyse et prophetis magis evoluta et per Christum ad plenam perfectionem adducta. « *Multifariam,* ait S. Paulus » *Hebr.* I. 1, 2, *multisque modis olim Deus loquens patribus* » *in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in* » *Filio* (Christo), *quem constituit hæredem universorum.* »

Inde ad divinitatem revelationis christianæ demonstrandam, duplicem sequi possumus viam. Possumus enim vel successive harum trium revelationem, primævæ scilicet, mosaicæ et illius,

quæ a Christo est peracta, divinitatem demonstrare, vel tantum de divinitate revelationis Christi agere; nam hac demonstratione facta, constabit etiam de divinitate revelationis primævæ et mosaicæ, quippe quæ a Christo ut doctrinæ suæ fundamentum sint assumptæ et expresse ut divinæ approbatæ. Prior autem via, propter triplicem ejusdem argumentationis repetitionem, quam exigit, est necessario perlonga, et non parum fastidiosa, atque insuper pro hodiernis disputationibus, quæ maxime Christi revelationem respiciunt, minime requiritur; dum contra altera est multo brevior et ad hodiernas disputationes plane accommodata et directe utilis. Quapropter non priorem, sed hanc alteram sequemur viam.

II. Distributio materiæ. Ad divinitatem revelationis christianæ demonstrandam duo sunt præstanda : inprimis inquirendum est, de certitudine historica revelationis, quæ Christo adscribitur, et factorum omnium, quæ ad eam spectant; seu scrutandum est, an illa revelatio et hæc facta vere, sicuti narrantur, exstiterint; nam antequam de alicujus rei origine disquisitio instituatur, necessario prius de rei existentia constare debet. Dein, hoc præstito, oportet, ut criteria supra in *Cap.* III exposita adhibendo investigemus, an hæc revelatio sit vere divina, seu an illis notis sit ornata, quæ ad revelationem divinam pertinent. — Disquisitio autem de historica alicujus facti certitudine consistit in examine de auctoritate seu de vi fidem faciendi documentorum, quæ ad factum istud pertinent; et documenta, quæ nobis revelationem Christi, revelationem primævam et mosaicam atque omnia facta, quibus hæ revelationes stipatæ fuerunt, potissimum exhibent, sunt libri illi, quorum complexum *Sacram Scripturam veteris et novi Testamenti* appellamus. Dicitur *potissimum*, quia sunt et alia scripta, quæ de hisce revelationibus et factis ad eas pertinentibus testimonia continent, sed S. Scriptura cæteris omnibus documentis multo perfectius, multo latius et multo plenius de hisce rebus

nos edocet. Unde tota inquisitio de historica revelationis Christi veritate redit ad quæstionem de historica auctoritate S. Scripturæ. — Notetur dici auctoritatem *historicam*; quia in Scriptura duplex considerari potest auctoritas : una *divina*, quatenus Scripturam ut Spiritu Sancto inspirante conscriptam consideramus; alia *humana* seu *historica*, quatenus eam consideramus quasi non esset nisi liber humanus, h. e. non inspirante Deo, sed ex solis humanis viribus conscriptus. Cum autem hic versemur in revelatione inquirenda, ejusque existentia contra incredulos probanda, non divinam, uti patet, sed humanam seu historicam Scripturæ auctoritatem ostendere debemus.

Liquet igitur, totam hanc posteriorem *Demonstrationis Christianæ* partem in duo dividendam esse capita : unum erit de *veritate historica revelationis christianæ*, seu quod idem est, *de auctoritate historica Scripturæ Sacræ*, et alterum *de divinitate hujus revelationis christianæ*.

CAPUT PRIMUM

De veritate historica Revelationis Christianæ seu de auctoritate historica Sacræ Scripturæ

Materia tractanda ejusque distributio. Auctoritas historica alicujus libri consistit in vi fidem faciendi de iis quæ refert, seu aliis verbis, consistit in eo quod vera sunt, quæ in ipso narrantur. Hæc autem vis fidem faciendi seu hæc rerum narratarum veritas immediate pendet, uti liquet, ex scientia et veracitate auctoris. Atvero scientia et veracitas auctoris nonnisi difficillime cognosci possunt, si prænotum non sit, quis sit ille auctor, aut saltem quænam sit epocha, in qua liber scriptus est. Præterea nihil prodesset cognoscere libri auctorem vel

tempus, quo scriptus est, nisi simul constaret, hunc librum ita ad nos usque pervenisse, sicut primitus scriptus est. Nemo enim non videt hanc notitiam intime cum præcedenti esse conjunctam : ut enim liber aliquis sit talis auctoris vel talis temporis, oportet ut ad nos pervenerit, sicut primitus prodiit : secus enim, saltem quoad partes corruptas, esset alterius scriptoris vel temporis. Quapropter ad auctoritatem historicam alicujus libri defendendam, inquirendum est inprimis, an liber ille eum habeat auctorem, cujus nomen præ se fert, vel cui vulgo tribuitur, aut saltem an conscriptus sit ea circiter ætate, ad quam referatur, seu uno verbo, an sit *genuinus* vel *authenticus* (h. e. an sit ejus scriptoris vel temporis cui tribuitur); dein, an liber ad nos usque ab omni corruptione immunis pervenerit, seu an sit *integer;* et tandem an scriptor res, quas narrat, satis noverit et veritatem testari voluerit, seu an fuerit *verax*. Aliis verbis, ubi quæstio de alicujus libri auctoritate movetur, tractandum est de ejus *authentia* seu *genuitate,* de ejus *integritate* et de ejus *veracitate.*

Observetur quosdam auctores *authentiam* a *genuitate* distinguere : per *genuitatem* intelligunt hanc libri qualitatem, qua originem habet ab illo scriptore vel saltem ab eo tempore, cui tribuitur; et per authentiam, totam libri auctoritatem.

De integritate autem libri et hæc notentur. Corruptio triplici modo contingere potest : nempe aliquid addendo textui, et hoc erit *interpolatio;* aliquid ab eo demendo, et erit *mutilatio;* aliquid immutando ita ut immutetur sensus auctoris, et erit *corruptio.* Præterea integritas a parte gravitatis rei debet distingui in *substantialem* et in *accidentalem*. Liber dicitur *substantialiter* integer, si quæ ad substantiam rerum narratarum pertinent, non sunt immutata. Ad alteram vero requiritur, ut detur immunitas a corruptionibus etiam minoribus, quæ nempe voces et circumstantias quasdam minoris momenti respiciunt, salva rei narratæ substantia.

Totam hanc quæstionem de historica librorum S. Scripturæ auctoritate in duas dividemus sectiones, quarum prior de libris Veteris Testamenti, et altera de libris Novi Testamenti sub triplici respectu authentiæ, integritatis et veracitatis tractabit. In priori autem sectione speciatim agemus de auctoritate librorum Pentateuchi, quia ipsi sunt totius Scripturæ quasi fundamentum et præcipue ab adversariis nostris impugnantur.

De nominibus et divisione librorum S. Scripturæ, vide Ill. D^m^ Bracq, *Proleg. in S. Script.*; et Exim. D^m^ Lamy, Prof. Lovan. *Introductio in S. Scripturam.* P. I, c. I.

SECTIO PRIOR

De auctoritate historica Librorum Sacrorum veteris Testamenti

§ I.

Q. Quid tenendum est de Pentateuchi auctore?

R. *Plenissime constat Moysen, populi Judaici ducem et legislatorem, esse Pentateuchi auctorem.*

—

I. Observanda. *a)* Ubi dicimus Moysen esse auctorem Pentateuchi, excipimus necessario ultimam Deuteronomii partem, in qua novissima Moysis narrantur. Hæc enim post Moysis mortem ab alio auctore sacro fuit Pentateucho superaddita.

b) Authentia alicujus libri demonstratur : 1° per notas externas h. e. per testimonia aliorum et etiam per testimonium ipsius scriptoris, si ipse fide dignus censeri valeat; et 2° per internas libri notas. Verum internæ libri notæ plerumque nonnisi argumentum negativum constituunt, h. e. argumentum demonstrans nihil obstare, ut liber cuidam auctori adscribatur. Potest tamen

fieri, ut notæ internæ nonnisi uni determinatæ personæ conveniant : quo in casu vim habent argumenti positivi.

II. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas historica* et sententia saltem *theologice certa*.

III. Demonstratio : 1° *per notas externas. a)* Moysen esse Pentateuchi auctorem inprimis testatur constans et universalis Judæorum persuasio, de qua tot existunt indubia testimonia, ut a nemine serio in dubium possit vocari. Ita Christus ejusque Apostoli sæpe appellarunt ad Pentateuchum tamquam ad librum a Moyse Judæorum duce et legislatore conscriptum, quod certe non fecissent neque facere potuissent, nisi communis exstitisset apud Judæos, ad quos loquebantur, fides, quod Pentateuchus vere esset Moysis opus. Sæpe enim provocarunt ad *librum* et *legem Moysis* (1), et quidem non tamquam ad librum de Moyse tractantem, vel ad legem ab eo oretenus tantum traditam, sed tamquam ad librum a Moyse scriptum; nam Christus (*Joan.* V, 46) dixit : « *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan* » *et mihi; de me enim ille scripsit;* » atque liber iste seu lex illa Moysis, ad quæ provocant, nihil aliud sunt ac quinque libri Pentateuchi, cum ex istis quinque libris plura recitentur sub nomine vel *Moysis* vel *legis Moysis* vel *libri Moysis* (2). Hæc persuasio etiam clare constat ex verbis Philippi ad Nathanaël (*Joan.* I, 45) : « *Quem scripsit Moyses in lege et prophetæ,* » *invenimus, Jesum filium Joseph a Nazareth;* » atque ex reliquis Veteris Testamenti libris : ita jam ex libro *Josue* 1, 8, docemur, tunc temporis apud Judæos exstitisse legem scriptam cujus Moyses erat auctor ; « *non recedat,* ait auctor sacer, *volu-*

(1) Cfr. Matth. VIII, 4; XII, 5; XIX, 7; Marc. I, 44; VII, 10; XII, 19, 26; Luc. II, 22; XXIV, 27, 44; Joan. I, 17, 45; V, 46; Act. Ap. III, 22; VII, 37; XV, 21; Rom. X, 5; I, Cor. IX, 9.

(2) Cfr. Matt. XIX, 4-7 cum Gen. I, 27 et Deut. XXIV, 1; Marc. XII, 26 cum Exod. III, 6; Luc. II, 22-24 cum Num. VIII, 16 et Levit. XII, 8; Marc. XII, 19 cum Deut. XXV, 5.

» *men legis hujus* (Moysis) *ab ore tuo*; » et II, *Paral.* XXXV, 12, dicitur hoc volumen a Moyse esse scriptum.

Jamvero hæc integræ nationis persuasio firmissimum præbet argumentum pro authentia Pentateuchi. Etenim nemo unquam dubitavit Homerum auctorem esse Iliadis, Virgilium Æneidos, Ciceronem Catilinarum, quia nempe fides publica et constans ipsos esse horum librorum auctores testatur; sed si hæc persuasio valet pro authentia istorum librorum demonstranda, certe etiam valebit ubi de Pentateuchi auctore agitur. Præterea ex ipsa Pentateuchi materia ejusque publico usu liquet, fieri omnino non posse, ut Judæorum de hujus libri auctore persuasio falsa fuerit : non enim intelligitur, quomodo liber, qui omnes leges religiosas et civiles totius nationis complectitur, qui est regula totius vitæ religiosæ, domesticæ et civilis, qui leges valde duras et onerosas imponit, quique simul in constanti erat usu, cum publice coram populo legeretur, potuisset successu temporis Judæis obtrudi tamquam a Moyse conscriptus, dum ab alio auctore originem haberet.

b) Ipse Pentateuchi auctor, cujus veracitas mox demonstrabitur, disertis verbis et iteratis vicibus se dicit esse Moyen populi israëlitici ducem et legislatorem. Sic expresse in Pentateucho legitur Deum præcepisse Moysi ut scriberet et Moysen revera scripsisse legem (Exod. XXXIV, 27), apparitiones divinas (Exod., XXIV, 4), historias populi (Exod. XVII, 14; Num. XXXIII, 2), volumen legis (Deut. XXXI, 9, 24), et Canticum (Deut. XXXII). Verum quidem est, textus hic citatos, immediate non valere nisi de Pentateuchi partibus, et nullibi in Pentateucho dici, quinque libros e quibus constat, totos a Moyse esse scriptos. Sed ex allatis testimoniis saltem constat maximam Pentateuchi partem Moysen pro auctore habere; ac dein cum ex operis distributione, ex materiæ dispositione, ex unitate scopi ab auctore intenti, ex eadem dicendi ratione, quæ in toto opere occurrit, pateat illud nonnisi unum habere aucto-

rem, legitime ex eis inferimus Moysen totius Pentateuchi esse auctorem.

2° *Per notas internas.* Nihil in toto Pentateucho occurrit, quod impediat, ut dicamus Moysen ejus esse auctorem; sed contra *qualitates* quæ in scriptore apparent, *selectus dispositioque* materiæ et *ratio dicendi*, si non per se demonstrent Pentateuchum Moysi adscribendum esse, saltem id validissime suadent. Auctor enim se exhibet ut testem auricularem et ocularem eorum, quæ narrat, nam minuta et particularia refert; ut scriptorem vetustissimum, nam facta cum simplicitate narrat et lingua utitur rudiori populo accomodata; maxime eruditum, nam leges cum magna auctoritate promulgat, et earum observantiam gravibus sanctionibus inculcat; atque etiam sanctum et pium, nam de Deo rebusque divinis magna cum reverentia et libenter loquitur, semper ostendit candidam simplicitatem, ingenuitatem et veritatis studium, et nunquam adulatur aut orationis vanitatem prosequitur : quæ notæ indubie Moysi Judæorum duci et legislatori optime conveniunt. Quod ad selectum et dispositionem materiæ attinet, manifeste apparet, quod auctor pro fine habuit, ea narrare et exponere, quæ constitutionem populi judaici ut populi specialiter Deo sacri seu constitutionem theocratiæ super populum judaicum præpararunt atque perfecerunt : ordine enim temporis diligenter refert omnia facta, quæ ad hujus theocratiæ institutionem cognoscendam, seu pro hujus mirabilis eventus intelligentia scitu sunt necessaria : qui scribendi finis plene etiam congruit cum missione Moysis. Tandem si ratio dicendi spectatur, nulla unquam præbetur oculis talis discrepantia, quæ demonstret hoc opus a pluribus auctoribus esse compositum. Eadem est ubique dictionum ratio, eademque ex notionibus theocraticis desumpta auctoritas; et occurrunt permultæ voces et phrases soli Pentateucho peculiares, archaismi et similia quæ omnibus partibus, quibus Pentateuchus constat, sunt communia.

IV. Errores. Post veteres Manichæos primi omnium authentiam Pentateuchi negarunt J. Peyrerius in famoso suo libro *Præadamitæ*, 1655, et Spinoza. Ab eorum autem tempore ad nostras usque dies non pauci protestantes, aliique plures qui a fide catholica discesserunt, idem egere ut mosaici operis everterent auctoritatem. Pentateuchum de Moyse, non vero a Moyse conscriptum clamarunt, ut ita plura ex Pentateucho, quæ suis opinionibus minus conveniunt, facile et impune rejicere possent. Eidem opinioni adhærent etiam quidam e catholicis : ita R. Simon Presb. Congr. Orat., novarum opinionum nimis studiosus, in *Historia sua critica Vet. Test.* 1681, dicit : « fieri nequit » Moysen omnium plane, quæ in libris ipsius nomine dictis » exstant auctorem esse; » et nostris diebus Fr. Lenormant in libro suo nuper in *Indicem* relato : *Les Origines de l'histoire d'après la bible*, *Paris*, 1880, similem sententiam defendit.

A) Quomodo communius explicatur ab istis auctoribus origo Pentateuchi? Sæculo præterito, præeunte Astruc (*Conjectures sur les mémoires originaux, dont il paraît que Moïse s'est servi pour composer le livre de la Genèse*, Brux. 1763), communiter contendebant adversarii nostri, Pentateuchum nihil aliud esse, ac meram documentorum collectionem a Moyse vel ab aliis confectam, et præcipue constantem duplici documentorum serie, quarum una Deum appellat *Jehova*, altera autem *Elohim*. — Per priorem hujus sæculi partem ea magis arrisit opinio, quæ dicit, Pentateuchum constare antiquo quodam scripto in quo Deus vocatur *Elohim*, et plurimis supplementis, quibus primitivum illud opus est refectum et reconcinnatum. Primitivum illud opus dicunt supplementis istis doctius et perfectius; hæc autem supplementa censent ex notitiis per Salomonis cum gentibus commercium obtentis oriunda, et sub hoc rege vel etiam per Esdram primitivo illi scripto superaddita. — Postea docuerunt, Pentateuchum conflatum esse ex duobus scriptis originariis, quorum unum est *jehovisticum* et alterum

elohisticum. Scriptum autem jehovisticum censent altero multo antiquius. — Ita hac de re sentit Lenormant (Opus citatum; préface, X) : « Je ne crois pas possible de maintenir plus long-» temps la thèse de ce qu'on appelle *l'unité de composition des* » *livres du Pentateuque*. Dans ma conviction de savant, un » siècle d'études de critique extrinsèque et intrinsèque du texte » ont conduit sous ce rapport à des résultats positifs, que je n'ai » pas acceptés sans peine, mais à l'évidence desquels j'ai dû finir » par me rendre.... Je dois me borner, à énoncer sur ce point » une conviction sincère et profondément réfléchie, qui a de-» mandé pour s'établir dans mon esprit des raisons d'autant plus » fortes que je n'ignore pas, qu'elle va à *l'encontre d'une longue* » *tradition, à l'encontre de l'opinion encore universellement* » *admise par les docteurs catholiques*, mais qui, je me hâte de » l'ajouter, n'est pas définie dogmatiquement et ne le sera » jamais, car elle sort des matières qui peuvent être de dogme. » (Falso hic asseritur punctum istud ad fidei doctrinam pertinere non posse, cum omnis veritas a Deo revelata ad eam pertineat; jamvero certe in Dei revelatione potest contineri, quis sit Pentateuchi auctor, et quidem id videtur in libris Novi et Veteris Testamenti certo contineri, uti jam ostendimus. Hæc veritas tamen non est fidei dogma, quia non omnino evidenter in fidei fontibus continetur, neque ab Ecclesia ut fidei dogma est proposita; sed saltem *theologice certa* est dicenda, quia sat facile e S. Scriptura deducitur). « Ainsi que l'admettent aujourd'hui » les écrivains les plus autorisés de l'école protestante ortho-» doxe en Allemagne et en Angleterre, défenseurs de la révé-» lation et de l'inspiration des Ecritures non moins que les Catho-» liques (?), je tiens pour démontrée la distinction des deux » documents fondamentaux, Elohiste et Jéhoviste, qui ont servi » de sources au rédacteur définitif des quatre premiers livres » du Pentateuque et entre lesquels il s'est presque borné à établir » une sorte de concordance, en laissant leur rédaction intacte. »

De tempore autem, quo Pentateuchus sit compositus, hæc addit p. XIII : « Autre chose est la distinction des deux livres » primitifs, Elohiste en Jéhoviste, combinés par le rédacteur » définitif, où la critique rationaliste me paraît être parvenue » à une démonstration formelle que la critique orthodoxe peut » parfaitement accepter : autre chose est la question de la date » qu'il faut assigner à la composition de ces deux écrits origi- » naires et à leur combinaison finale en un seul livre..... En » considérant la question à un point de vue de pure science, en » dehors de toute préoccupation religieuse elle me *paraît encore* » *en suspens*..... Un seul point me semble être aujourd'hui » établi, et cela par les plus récents critiques, contrairement à » l'opinion, qui a longtemps prévalu; c'est que le Jéhoviste, » quelle qu'en soit la date précise est notablement antérieur à » l'Elohiste; que son écrit représente le livre le plus primitif » sur les origines d'Israël, sa sortie d'Egypte et son séjour au » désert. »

Demum nostris diebus, prævaluit apud rationalistas systema, quod a præcipuo ejus patrono *Graf*, vocari solet *théorie grafienne* : « Docent non existere Pentateuchum per se stan- » tem, sed *Hexateuchum*, qui etiam librum Josue com- » plectatur; totum hoc opus ex multitudine documentorum » diversæ naturæ et diversæ ætatis esse compositum *(Liber* » *fœderis, Elohista, Jahvista, Jehovista, Deuteronomicus,* » *Codex sacerdotalis, Codex Esdræ etc.)*, ad quæ designanda » speciales notæ introductæ fuerunt, v. g. Q. (L. quatuor fœde- » rum), E, E^2, E^3, J, JE^3, J^2, D, P, C. *(Priestercodex)*. Quamvis » haud conveniat inter criticos de ambitu et ætate singulorum » elementorum, potest tamen tanquam generalis novæ scholæ » opinio designari, quod a Moyse ipso nihil prorsus proveniat, » quod antiquissima Hexateuchi elementa regnante Josia exarta » sint et quod totum opus ad summum ab Esdra compilatum » fuerit. » *Additamenta ad cursum Scripturæ Sacræ*, auct,

P. J. Van Damme, Can. Prof. Gandæ 1888. *Introd. in Pentateuch.* (ex Dⁱˢ Kaulen, *Einleit.*) p. 33 sq.

B) Quibusnam argumentis stabiliunt adversarii suam sententiam? Ut suas opiniones defendant, non habent argumenta externa seu testimonia; et idcirco confugiunt ad argumenta interna, ad naturam scilicet libri. Concludunt nempe Pentateuchum constare variis documentis in unum collectis : 1° ex eo quod per totum hunc librum Deus nunc *Elohim,* nunc *Jehova* vocatur : inde, aiunt, duplicis generis documenta sunt distinguenda : *Elohistica* et *Jehovistica :* quorum priora tribuenda sunt scriptoribus, qui Deum nomine *Elohim* designabant, et altera aliis, qui eum *Jehova* appellabant : 2° ex eo quod in Pentateucho tales occurrunt rerum repetitiones, quæ in libro unitate fruente locum invenire non possunt : in exemplum afferunt textus *Genes.* II, 4-8, ubi legitur : « *Istæ sunt generationes* (hebr. toledôt, h. e. generationes hominum vel rerum, » aut historia eorum: hic autem significat *historia) cœli et terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram : et omne virgultum agri antequam oriretur in terra... Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ;* » quæ sunt otiosa repetitio capitis præcedentis; et textus cap. V, 1-3 : « *Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creavit eos : et benedixit illis : et vocavit nomem eorum Adam, in die quo creati sunt;* » in quibus verbis rursus sine ulla ratione repetuntur, quæ supra jam bis sunt dicta : 3° ex diversitate in stylo, doctrina et legibus occurrente. Dein ad Pentateuchum *Moysi* abjudicandum etiam arguunt ex elogiis, quæ auctor sibi tribuit, et Moysi viro sancto et modesto non conveniunt, ex nominibus locorum et civitatum in Pentateucho occurrentibus quæ ætate Moysis adhuc incognita erant, et ex indole linguæ, quæ cum scriptis multo serioribus plane concordat.

C) Quomodo refutantur hæc adversariorum argumenta?

R. *Ad argum.* 1^um^. *a)* Distinctio illa partium Pentateuchi in Jehovisticas et Elohisticas est falsa; nam sæpius in eadem narratione Deus nunc *Elohim* nunc *Jehova* vocatur, uti v. g. in narratione diluvii, *Gen.* c. VI, VII, VIII; sæpius etiam dicitur *Jehova-Elohim,* uti *Gen.* II, 4 et 5; et tandem *Gen.* VII, 16 in eodem versu utrumque nomen obtinet : legitur nempe. « *Et quæ* » *ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introie-* » *runt, sicut præceperat ei Deus* (Elohim) : *et inclusit eum* » *Dominus* (Jehova) *deforis.* » — *b)* Verum etiam si existeret illa partium distinctio, adhuc hæc theoria esset rejicienda, utpote omni fundamento destituta. Etenim, ut adversarii ex nominibus *Jehova* et *Elohim* arguere possint, quemadmodum id faciunt, supponere debent hisce nominibus duos distinctos designari *deos,* vel unum eumdemque scriptorem non posse utroque illo nomine Deum appellare. Atvero utrumque est falsum.

Liquet enim in Pentateucho non de variis diis, uti rationalistæ id volunt, sed de uno vero Deo fieri sermonem, de Deo scilicet qui fecit cœlum et terram; et hic Deus habet nomen sibi *proprium,* scilicet *Jehova,* quod exprimit *esse divinum, ens a se,* ideoque soli Deo convenit (1); sed habet et nomen *Elohim,* quod est nomen *appellativum* seu *commune,* significans : *qui timetur, qui timendus seu colendus est,* et optime Deo convenit,

(1) Vox *Jehovah* est tertia persona masculina singularis verbi *Hajah* vel *Hafah* (*esse*), et significat *qui erit,* seu potius *qui est* (nimirum *a se*); nam tempus futurum ponitur apud Hebræos pro præsenti, ubi res perpetua, quæ nunc est et pro futuro tempore permanet, est significanda. Deus, nomen suum proprium Moysi declarando, dixit (*Exod.* III, 14) : *Ego sum qui sum, hehjeh hascher hehjeh,* h. e. ego sum ille. qui habet esse a se; unde sequitur proprium Dei nomen esse *qui est,* hebraice *jehjeh* vel *jehfeh* (in 3° persona). Verum Judæi ob reverentiam in Deum timebant proprium Dei nomen proferre, et ubi in lectione occurrebat, ejus loco pronuntiabant *Adonaj* vel *Edonaj* (Dominus meus); et hic usus effecit, ut litteræ vocales vocis *Adonaj* translatæ sint ad vocem *jehjeh* vel *jehfeh,* atque ita originem dedit voci *Jehovah.*

cum ipse super omnes sit colendus. — Stabilito autem, quod unus verus Deus utroque illo nomine potest exprimi, cur unus et idem scriptor non posset utroque illo nomine verum Deum significare? Notum enim est omnes scriptores, ubi varia existunt nomina ad unam rem exprimendam, nunc isto, nunc illo uti, vel ad tædium in lectione vitandum, vel quia unum magis contextui convenit quam aliud : cur igitur Moyses idem non potuisset facere? — *c)* Refutatur etiam hæc theoria ex falsis suis consequentiis : si enim ex eo quod Deus in Pentateucho nunc *Elohim*, nunc *Jehova* vocatur, sequitur hunc librum a pluribus esse compositum, dicendum erit et multas prophetias et etiam multos psalmos plures habere auctores, cum in ipsis quoque duplex istud Dei nomen sit adhibitum : ita in psalmo XVIII, Deus vocatur sexiesdecies *Elohim* et novies *Jehova*. Præterea si ipsorum theoria valeret, applicanda quoque esset aliis Dei nominibus, uti *Hel* (fortis); *Schaddaj* (potens), *Adonaj* (Dominus meus), et dicendum foret toties haberi documentum a speciali auctore conscriptum, quoties occurrit speciale Dei nomen.

R. *ad argum.* 2^{um}. Repetitiones nobis objectæ non sunt, uti adversarii volunt, inutiles otiosæque, neque talis sunt naturæ, ut in libro, in quo unitas habetur, inveniri non possint; sed contra ex attenta Pentateuchi consideratione liquet, eas ex proposito et quidem ex sapienti consilio a scriptore esse adhibitas : unde non documentorum varietatem, sed potius Pentateuchi unitatem demonstrant. Consideremus inprimis *Genesin*, in quo libro plures et apertiores quam in aliis occurrunt repetitiones. Si ad structuram et dispositionem hujus libri attendatur, liquet omnes repetitiones in eo occurrentes eamdem habere naturam et optimum in rerum contextu obtinere locum : unde non tantum ex ipsis concludi nequit Genesim esse meram documentorum collectionem, sed contra erui potest ejus scriptionis unitas. Et re quidem vera, Genesis indubie est populi judaici a mundi initio arbor genealogica cui addita fuit brevis historia

præcipuorum eventuum, quibus a mundi initio hujus populi electio et theocratica ejus constitutio fuerunt præparata. Dividuntur autem hæc genealogia connexaque historia, seposito præambulo in quo mundi creatio narratur, in septem capita, secundum septem principaliores series rerum quæ narrantur. Primum caput, quod de initiis mundi tractat, est a c. II, 4, — V; secundum, quod tractat de generatione Adam, est a c. V, 1, — VI, 9; tertium, quod tractat de generatione Noë, est a c. VI, 9, — XI, 10; quartum, quod tractat de generatione Sem, est a c. XI, 10, — XI, 27; quintum, quod tractat de generatione Thare a c. XI, 27, — XXV, 19; sextum, quod tractat de generatione Isaac a c. XXV,19, — XXXVII, 2; et septimum, quod tractat de generatione Jacob a c. XXXVII, 2 ad finem libri. Jamvero in initio sex priorum capitum et ante initium septimi habetur brevis rerum jam antea memoratarum repetitio; sed hac in re nihil est mirum, cum apud omnes scriptores usitatum et rationi summopere consentaneum sit, in novi capitis initio breviter repetere prædicta, quæ novam materiam tractandam immediate respiciunt. Pro rei enim claritate dividuntur libri in capita; sed hæc divisio parum utilitatis afferret, si in initio vel in fine capitum connexio non ostenderetur inter varias partes, et breviter non revocaretur in memoriam quæ antea fuerunt dicta. Unde clare liquet, quod ex repetitionibus in Genesi occurrentibus potius concludendum est, hunc librum unius scriptoris esse opus, et non posse plurium documentorum collectionem censeri; nam, si varia Geneseos capita ut distincta documenta habeantur, ratio non potest reddi de uniusmodi repetitionibus, quæ in ipsis occurrunt.

Repetitiones autem, quæ in aliis Pentateuchi libris continentur, facillime explicari possunt; nam aliæ factæ sunt ad alterius rei rationem dandam, aliæ autem consequuntur ex ordine chronologico, qui in narratione observatur : cum enim multæ leges pluries a Deo ad majorem explicationem repetitæ fuerint, repetitis vicibus etiam in libris sacris, qui chronologice eventuum seriem exhibent, proponuntur.

R. *ad* 3^um^. Quod ad styli diversitatem spectat, concedimus quidem hic et illic aliquam in scribendi ratione varietatem observari; sed ipsa talis est naturæ, ut in materiæ varietate sufficientem habeat causam : omnia enim diversitatis exempla, quæ citantur, optime explicari possunt ex varietate objecti, de quo sermo instituitur. Præterea juxta hanc diversitatem elucet in Pentateucho perfectissima styli unitas, uti constat ex usu eorumdem per totum opus archaismorum, qui aliis in scriptis non occurrunt. Ita, ut inter varia exempla unum citemus, occurrit antiqua forma *huh* loco *hih* (hic) et *nahar* loco *naharah* (lux) pluribus vicibus : vox enim *huh* occurrit 195 vicibus per varias Pentateuchi partes.

Demum, in Pentateucho contineri doctrinæ puncta quæ secum pugnent, aut instituta quæ ad recentiorem populi judaici ætatem pertineant, adversarii hucusque nullo firmo argumento demonstrarunt. De illorum conatibus merito scribit *Kaulen :* « quæ- » cumque in hanc rem dicta sunt, in *subjectivam* recidunt » opinionem, et ideo a singulis adversariis singulari modo » proponuntur. »

Nec minus recte concludit idem scriptor, in indole subjectiva objectionum quæ contra authentiam Pentateuchi prodierunt, universale et certissimum haberi indicium illarum falsitatis; quum nulla ex istis tantum habuerit virtutis persuasivæ, ut communem quemdam ipsorum adversariorum obtineret consensum. « Quilibet autem a præjudiciis liber animus censebit, » arbitrarie procedere acutos illos criticos, qui in textu, ante » ter mille annos scripto, diversa elementa secundum versiculos » et semiversiculos hodiedum distinguere se posse confidunt (1). »

Resp. ad objectiones, quibus adversarii Pentateuchum

(1) Cf. *Additamenta ad Curs. S. Script.* loc. cit. p. 37. Ad accuratiorem confutationem systematis hodierni circa Hexateuchum, cfr. *Les livres saints et la critique*, par M. Vigouroux; *Introductio in S. Scripturam*,

Moysi abjudicant. Dicunt *a)* Moysen censeri non posse auctorem Pentateuchi, quia in hoc libro de Moyse constanter in tertia persona fit sermo, et de ipso multa referuntur, qualia nemo certe de se asserere auderet : ita *Num.* XII, 3 dicitur : « *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines;* » et *Exod.* XI, 3 : « *Fuit Moyses vir magnus valde :* » quæ, aiunt, elogia talia sunt, ut nullus scriptor ea sibimetipsi tribuere possit. — Respondemus autem nullatenus insolitum fuisse apud antiquos scriptores, ut in suis libris de seipsis in tertia persona loquerentur : ita de se locuti sunt apud auctores sacros : Esdras, S. Mattheus, S. Joannes et S. Paulus; et apud profanos : Xenophon, Cæsar, Flavius Josephus et alii. Dein Moysen id etiam fecisse indubie constat ex sermone ejus, quo benedixit populo, nam in eo expresse de seipso in tertia persona loquitur. Demum quod ad specialia illa elogia in objectione memorata attinet, textus *Exodi* unice exprimit, quemnam influxum habuerint in Ægyptios miracula a Moyse patrata; et sententia libri *Numerorum* unice effertur, ut pateat Moysen nullam murmurationi contra ipsum ortæ dedisse causam, et murmurantes a Deo fuisse punitos, quin Moyses id postulavisset. Ac proinde in hisce sententiis non apparet nimius superbiæ spiritus, uti adversarii supponunt.

Dicunt *b)* Pentateuchum non posse Moysi tribui, quia in eo occurrunt nomina civitatum et locorum, quæ posteriorem sapiunt ætatem. — Responderi potest, quod hæc nomina forsan sunt glossemata seu notæ explicativæ a librariis apposita, quæ temporis lapsu in textum irrepserunt; verum insuper directe respondere possumus nullum ex oppositis nominibus certo posterioris esse ætatis : omnes enim appellationes nobis objectæ a Scripturæ

auctore Cornely, S. J.; *Introduction à la critique générale de l'Ancien Testament*, par l'abbé Martin; *Les nouveaux historiens d'Israel*, par l'abbé de Broglie; *La critique biblique et l'Apologétique*, par A. Van Hoonacker, in periodico *Miscellanées*, Louvain, 1888, 1889.

interpretibus clare et solide explicantur et cum mosaica ætate optime posse componi ostenduntur.

Dicunt *c)* Pentateuchum non posse a Moyse esse scriptum, quia lingua hujus operis plene cum idiomate recentiorum librorum concordat atque ita posteriorem denotat ætatem. — Respondemus apud eruditos constare de immutabilitate linguarum semiticarum. Talis est indoles linguæ hebraicæ et linguarum cognatarum ut invariabiles quodammodo per sæcula decurrant, uti ipse fatetur Renan : « Cette ressemblance (inter linguam » Pentateuchi et librorum posteriorum), ait in opere : *Etudes* » *Critiques sur la Bible, Paris* 1862, n'a rien d'incroyable » pour celui qui s'est fait une idée juste de la fixité des langues » sémitiques ; les langues sémitiques en effet ne vivent pas comme » les langues indo-européennes : elles semblent coulées dans un » moule, d'où il ne leur est pas donné de sortir. » Præterea dantur in Pentateucho aliqui archaismi, uti supra jam notavimus.

Notetur tamen nos minime negare, quod Moyses in Pentateuchi scriptione variis usus sit antiquis documentis ; sed aliud est vetera documenta ad libri compositionem fuisse adhibita, aliud librum aliquem nonnisi collectionem esse antiquorum documentorum.

§ II.

Q. Quid tenendum est de Pentateuchi integritate ?

R. *Plenissime constat Pentateuchum, saltem quoad substantiam, integrum et incorruptum ad nos pervenisse.*

I. Explicatio. Dicitur : *saltem quoad substantiam, integrum et incorruptum* ; ergo non defendimus Pentateuchum in omnibus, etiam in minimis circumstantiis esse integrum, sed saltem in illis rebus, quæ narrationis substantiam et auctoris

scopum respiciunt. Non requiritur autem pro auctoritate libri, ut etiam in minimis circumstantiis sit integer; ac præterea humanitus fieri non potest, ut liber quivis sine corruptione accidentali servetur.

II. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas historica*, et simul *fidei dogma*. Ecclesia enim definivit Pentateuchum cum omnibus suis partibus, prouti in veteri vulgata latina editione habetur, pro sacro et canonico libro suscipiendum esse, uti in tractatu *de logis theologicis* demonstrabitur.

III. Demonstratio. 1° *e traditione constanti et universali.* Eadem illa fides Judæorum, quæ declarat Pentateuchum esse genuinum Moysis opus, etiam testatur hunc librum integrum et incorruptum mansisse; siquidem integræ nationi semper persuasum fuit se habere illud opus, quod a Moyse Patribus fuerat traditum. Jamvero nemo sane supponere potest, totam gentem in re tam momentosa, ac in auctoritate scriptæ suæ legis, quæ durissima imponit onera, in errore versari. Ergo constat Pentateuchum, quo Judæi tempore Christi utebantur, et quo ipse Christus et Apostoli usi sunt, fuisse incorruptum. — Quod autem a tempore Christi ad hodiernam diem non fuit corruptus, nemo id in dubium revocat. Consonat nempe Pentateuchus quem Ecclesia fidelibus proponit, cum illo quem Judæi servant, consonat cum veteribus codicibus, consonat cum scriptis Patrum necnon cum citationibus S. Scripturæ novi Testamenti.

2° *Demonstratur Pentateuchi integritas, ex eo quod corruptio fieri non potuit.* — Corruptio fieri non potuit : *a) ratione connexionis Pentateuchi cum cæteris libris S. Scripturæ.* Qui tentasset Pentateuchum corrumpere, debuisset simul adulterare cæteros libros, qui omnes in Pentateucho tamquam in fundamento suo nituntur. Jamvero quis unquam potuisset totam scripturam corrumpere? — Nec dicatur Pentateuchum corrumpi potuisse, antequam cæteri libri scriberentur; nam tunc temporis recentior adhuc erat memoria eorum, quæ a Moyse scripta et

facta fuerant; et hæc memoria certe non potuit cito deperdi, cum omnia illa, quæ in Pentateucho habentur, essent apud Judæos ipsius vitæ religiosæ, civilis et domesticæ fundamentum et constitutio. — *b) Ratione corruptorum.* Illi nempe fuissent aut Judæi ipsi, aut eorum adversarii, Samaritani nempe, Gentiles, vel Christiani. Jamvero nulla ex hisce hypothesibus est possibilis. Imprimis si ipsi Judæi Pentateuchum corrupissent, vel omnes Judæi simul in hoc conspirassent, vel aliqui tantum id attentassent; atvero neutrum admitti potest. Non enim intelligitur, quomodo tota gens, absque aperta rebellione, clanculo suas leges perverteret, et ubi eas perverteret, leges tam duras servaret. Si vero tantum aliqui perversionem tentassent, restitissent cæteri omnes, imprimis legis doctores, prophetæ aut alii viri sancti zelum legis habentes. Præterea, si tota natio vel quidam Judæi corruptionem attentassent, ea procul dubio a Samaritanis, infensissimis eorum hostibus qui etiam Pentateuchum tenebant, fuisset publicata; quod nunquam factum fuisse constat. Neque magis potuerunt Judæorum adversarii Pentateuchum corrumpere; nam si id fecissent, reclamassent sane Judæi; jamvero nunquam hujusmodi reclamatio est facta. Præterea omnia Pentateuchi exemplaria, quæ nunc circumferuntur, et antea fuerunt in usu, plene concordant cum textu, quem Judæi tenent. Alia nunquam exstitit circa Pentateuchum disputatio inter Judæos et ipsorum adversarios, ac de ejus interpretatione.

IV. Objectiones. 1° Tempore Josiæ regis, Helcias Pontifex volumen legis Moysis improviso invenit in templo (IV. *Reg.* XXII;) et lecto hoc volumine coram rege, ipse scidit vestimenta sua. Proinde volumen legis, tempore Josiæ regis, omnino perierat, unico excepto exemplari tunc reperto; sed hoc facile corrumpi potuit; ergo integritas Pentateuchi saltem est dubia.

R. Ex tota illa narratione nihil aliud colligitur, ac sub Josia rege repertum fuisse in templo exemplar legis (probabiliter

Deuteronomium et forsan ipsum Moysis autographum) templo destinatum, quod nempe fuerat deperditum sub Manasse rege, qui cultum gentilium in templum introduxerat, et quæcumque sancta profanaverat. Rex autem, audita libri lectione, commotus quidem fuit, sed non quasi audiisset leges deperditas et ignotas, verum quia patres sui non servaverant has leges. Dixit nempe : « Magna Dei ira succensa est contra nos; quia non audierunt » patres nostri verba libri hujus, ut servarent omne quod » scriptum est nobis, » (IV. Reg. XXII, 13); et juxta II. *Paral.* XXXIV, 21 : « Magnus furor Domini stillavit super nos, » eo quod non custodierint patres nostri verba Domini. » Quæ verba manifeste indicant legem non fuisse deperditam et oblivioni traditam, nam secus majores non potuissent contra eam peccare. Nec dicatur rationem non adfuisse specialis commotionis ob repertum illud volumen aut specialis lectionis hujus exemplaris, si alia exemplaria fuissent in manibus; nam hæc commotio et specialis lectio satis possunt explicari ex peculiari veneratione erga volumen istud templo destinatum et forsan Moysis autographum.

Obj. 2° Narratur, aiunt, libro quarto Esdræ omnes libros sacros combustos fuisse in incendio Hierosolymitano, et ab Esdra per 40 dies et noctes, quinque scribis dictatos atque ita recompositos fuisse. Sed fieri non potuit ut in hac recompositione libri sacri manserint integri. Ergo.

R. Constat imprimis librum IV Esdræ non esse canonicum, et multas continere fabulas. — Præterea, si concedamus in incendio isto omnes libros legis in urbe existentes potuisse comburi, nihil potest inde contra nos deduci, nam quis demonstrabit præter illa exemplaria nulla alia exstitisse apud Judæos jam in captivitate versantes, aut apud illos, qui extra urbem degebant? An nemo e captivis ante incendium aliqua legis exemplaria legis secum tulisset? — Tandem certo constat libros sacros apud captivos haud raros fuisse; nam Daniel librum legis commemorat, ut

ab omnibus suæ nationis civibus cognitum, omniumque manu tritum, ac se prophetias Jeremiæ nuperrime legisse expresse asserit. *(Dan.* IX, 2, 11, 13.)

Obj. 3° Grassante Antiochi persecutione, codices sacri omnes flammis dicuntur traditi, I. *Mach.* I, 59.

R. In libro primo Machabæorum narratur quidem, libros sacros conquisitos fuisse et combustos, sed insulse inde concluditur omnia exemplaria ibi periisse; nam eo tempore variis in regionibus dispersi erant Judæi et jam existebat etiam versio LXX Interpretum. Verum etiam certo constat tunc in ipsa Judæa non omnia volumina sacra fuisse deleta, cum *Lib. I. Mach.* XII, 9 dicatur : « *habentes solatio sanctos libros, qui sunt in* » *manibus nostris.* »

Obj. 4° SS. Patres, teste Morino, Judæos accusant interpolationis et corruptionis S. Scripturæ.

R. SS. Patres non loquuntur de corruptione ante adventum Christi peracta, sed de falsis versionibus Theodotion, Symmachi et Aquilæ. Præterea ex istis querelis Patrum clare liquet, quomodo textus corruptus universali consensu accipi non potuisset.

Obj. 5° Triplex habetur in Pentateuchi codicibus chronologia : alia Hebræorum, alia Samaritanorum et alia LXX Interpretum; et nescitur, quænam ex istis sit vera : ergo corruptus est Pentateuchus.

R. Non negamus chronologiam Pentateuchi non mansisse integram; sed res chronologica certe ad hujus libri substantiam non pertinet. Substantia enim libri præcipue determinatur ex ejus scopo; jamvero quis dicet scopum Pentateuchi esse, ut det eventuum primitivorum chronologiam. Ergo hæc corruptio chronologiæ est res mere accidentalis. — Juxta textum Hebraicum, cujus nostra Vulgata est versio, ab Adamo ad diluvium elapsi sunt 1656 anni; dum in textu versionis LXX computantur anni 2243, et in textu Samaritano anni 1307. A diluvio autem ad nativitatem Abrahæ computat Vulgata annos 352, vel uti

aliqui volunt, annos 292; sed versio LXX computat annos 972, aut 1272; et lectio Samaritana annos 972 aut 1072.

Obj. 6° S. Hieronymus *(contra Helvidium* § 7) dicit : « Sive » Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram » ejusdem restauratorem operis, non recuso. » Ergo admittit Pentateuchum forsan ab Esdra mutatum esse.

R. Nullatenus id admittit S. Hieronymus, sed loquitur secundum sententiam quorumdam Patrum, qui putabant biblia sacra in expugnatione Jerusalem periisse, et postea ab Esdra, sub inspiratione Spiritus S^ti^ fuisse verbotenus restaurata. — Notetur hanc opinionem tantum paucorum fuisse Patrum, et ab aliis Patribus ut absurdam habitam esse; ac proinde nullius esse auctoritatis.

§ III.

Q. Quid censendum est de Pentateuchi veracitate ?

R. *Certo et aperte constat vera esse, quæ Moyses in Pentateucho scripsit.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas historica.* Pro catholicis autem, cum credant Pentateuchum esse librum sacrum a Deo inspiratum, necessario est etiam *fidei dogma,* cum Deus in inspirando necessario sit verax.

II. Explicatio responsi. Ad stabiliendam auctoritatem historicam Pentateuchi, demonstrare non debemus ipsum esse veracem etiam in circumstantiis minoris momenti; satis enim est, si ostendamus auctorem veritatem esse testatum in iis omnibus, quæ gravioris sunt momenti et ad libri scopum faciunt. Profecto nullus probatæ fidei liber historicus auctoritatem amittit in rebus gravioris momenti, ex eo quod aliquis error in eo deprehenderetur circa levissimas quasdam circumstantias. — Ubi autem agitur de alicujus libri inspiratione defendenda,

tunc nullus, nequidem in minimis circumstantiis, admitti potest error; nam auctoritas divina supponit absentiam cujuslibet erroris, cum Deus falli aut fallere non possit.

III. Demonstratio. Certe ut verax habendus est ille testis, 1° qui rem, de qua scribit, optime cognoscere potuit, 2° qui voluit veritatem testari, 3° et qui, propter externas rerum circumstantias, etiam non potuisset decipere, si voluisset. Jamvero talis testis est Moyses, Pentateuchi auctor; ergo.

A) Rem, de qua scribit, optime novit Moyses : imprimis quod ad ea spectat, quæ in Exodo, in Levitico, in libro Numerorum et in Deuteronomio referuntur, ipse Moyses fuit eorum omnium testis de visu et de auditu, et cum dux et legislator esset populi, nemo ipso aptior erat ad ea probe cognoscenda. — Quod vero ad Genesim attinet, hæc sunt notanda : *a)* Illa, quæ de creatione mundi in hoc libro narrantur, debuit pandere Spiritus Sanctus, quia nempe humano testimonio sciri non poterant; et hanc revelationem Moysi, aut ab initio mundi Adamo, a quo traditione usque ad Moysen pervenit, factam esse merito supponimus, cum ex Pentateucho clare pateat Deum haud raro patriarchis et præcipue Moysi revelationes fecisse. *b)* Ea, quæ de patriarchali ætate narrat, a Patribus optime cognoscere potuit vel monumentis scriptis, qualia jam pluribus ante Moysen sæculis, apud orientales exstitisse constat, vel orali traditione quæ tunc temporis facillime mansit integra et incorrupta, tum quia externo influxu non adulterabatur, tum etiam quia vita hominum tam longa erat. — Nec dicatur hanc traditionem forsan a Patribus fuisse neglectam, nam hoc repugnat eorum sanctitati et in vero Dei cultu perseverantiæ. Ea enim omnia, quæ Moyses narrat de patriarchali ætate, sunt fundamenta cultus religiosi; et proinde, superstite vero Dei cultu, oblivioni tradi non potuerunt. *c)* Quoad ea, quæ de patriarchali ætate narrat, præsertim quoad quædam minuta, adjutus etiam fuit Moyses per varia antiqua monumenta, quibus insignium factorum memoria ser-

vabatur. Mons Moria, quem Abraham conscenderat filium suum immolaturus, adhuc eodem nomine Moriæ vocabatur, quod ab ipso acceperat; et mare mortuum de Sodomæ et Gomorrhæ incendiis testis erat. Exstabant insuper sepulchra patriarcharum, congesti lapides, putei a majoribus effossi, cantica quædam antiqua (uti Gen. IV, 23, 24) et Genealogiæ (Gen. V), quibus majorum gesta quasi per hereditatem ad posteros transmittebantur.

B) Moyses voluit veritatem testari. Etenim non occurrit in Pentateucho ullum mendacii vestigium; sed contra in eo splendide apparent certissima veracitatis indicia. — *a)* Imprimis nullum in eo apparere mendacii vestigium ita demonstratur : qui in scribendo mentitur, id semper facit ex spe alicujus boni obtinendi, scilicet vel ex spe gloriæ propriæ seu boni proprii, vel ad extollendam gentem suam, vel ex studio partium. Jamvero Moyses in Pentateucho non quærit sane gloriam suam, nam probrosa de se refert; neque etiam intendit extollere gentem suam, nam innumeris vicibus eam reprehendit et carpit propter ejus peccata et infidelitatem; neque scribit ex studio partium, nam non fit sermo in Pentateucho de ulla partium lucta, ac insuper quod absentiam studii partium omnino ostendit, reprehenduntur in eo omnes Judæi, ubi a lege deficiunt, etiam illi, qui Moysi erant maxime familiares et conjunctissimi, uti frater ejus Aaron, et soror ejus Maria : nemini parcit Moyses, nemini blanditur, et ubique apparet uti strenuus veritatis et justitiæ defensor. — *b)* Ab alia parte occurrunt in Pentateucho certissima veritatis indicia; uti sunt : solida in Deum pietas, magna in proximum charitas, ingenuitas et simplicitas in loquendo, patientia in malis tolerandis. Eximia ejus in Deum pietas elucet in iis omnibus, quæ ad impediendas legis transgressiones fecit; ejus charitas in proximum apparet ex iis quæ pro gente sua in Ægypto et in deserto fecit et sustinuit; ejus ingenuitas in loquendo manifestatur in modo humili et candido, quo

de peccatis suis deque etiam ignominiosa a Deo sibi inflicta punitione loquitur, et tandem de ejus in malis pro justitiæ defensione tolerandis patientia, constat ex innumeris contradictionibus, quas a populo sustinuit.

C) Moyses, propter externas rerum circumstantias, non potuisset mentiri, etiam si id facere voluisset. Etenim *a)* Moyses narrat res ab omnibus lectoribus suis clare et facili traditione notas, aut quarum etiam ipsi fuerant testes; atque insuper ad lectorum suorum testimonium sæpe appellat. Jamvero, quis in hujusmodi circumstantiis mentiri auderet? *b)* Præterea, quod etiam majus est, Moyses scribendo Pentateuchum non intendit docere historiam, sed legem imponere, et quidem legem severissimam, super illa ipsa historica facta, quæ narrat, stabilitam; populus judaicus autem hanc legem acceptavit eamque per 1500 annos servavit. Jamvero quis impostor unquam eo dementiæ venit, ut voluerit populo cuidam persuadere, ipsum egisse quæ non egit, et vidisse quæ non vidit, atque super hanc persuasionem legem stabilire; et quis populus potuisset accipere legem, et quidem legem durissimam, in falsis factis stabilitam, et ab impostore ab omnibus ut tali cognito impositam? Repugnat certe hominem mente sanum tale opus aggredi, et aliquam gentem totam ita veritatis amorem et rationalem agendi modum exuere, ut ab impostore optime noto durissimas velit accipere leges.

Confirmatur maxime Pentateuchi veracitas ex antiquis historiæ documentis nuperrime in Ægypto, in Assyria et in Chaldæa repertis. Hæc enim documenta indubie in multis punctis nullam merentur fidem, uti constat ex absurdis doctrinis quas proponunt, atque ex impiis factis quæ Deo attribuunt; verum inter fabulas et commenta, quæ proponunt, multas de primitiva mundi ætate narrationes et morum descriptiones continent, quæ cum Pentateucho plene consonant. Jamvero hæc consonantia ostendit Pentateuchi narrationem congruere cum universali

primitiva traditione, quæ certissimum est veritatis documentum; ac proinde ejus veracitatem validissime confirmat. — Consonantiam illam inter antiqua illa documenta et Pentateuchum, in lucem protulerunt Vigouroux, *la Bible et les Découvertes modernes en Egypte et en Assyrie;* G. Smith, *Chaldean Account of Genesis;* Delitszch, *G. Smiths Chaldæische Genesis;* Fr. Kaulen, *Assyrien und Babylonien nach den neuesten entdeckungen;* Schrader, *Die keilinschriften und das alte Testament;* Oppert, in variis operibus gallice editis, et alii supra citati, p. 300.

Splendidum hujus consonantiæ exemplum habemus in quibusdam documentis cuneiformibus Assyriæ de origine mundi tractantibus, quorum aliquas partes hic citamus juxta versiones a doctis viris G. Smith, Delitzsch et Oppert factas : « Du temps, » où en haut le ciel n'était pas encore nommé et en bas la terre » restait sans nom, l'abîme sans limites fut leur générateur et » la mer choatique celle qui enfanta leur ensemble. Leurs eaux » confluaient en un; aucune troupe d'animaux n'était encore » rassemblée, aucune plante n'avait encore poussé. Du temps » où aucun des grands dieux n'avait encore été produit, où ils » n'étaient pas encore désignés par un nom, où aucun destin » n'était encore fixé; les grands dieux furent ensuite formés. — » Asschour ouvrit sa bouche et dit à la déesse Scherouya : Au » dessus de la mer qui est le siège de....., en face du firmament » que j'ai fait....., en bas le lieu je le rends ferme. Que là soit » faite aussi la terre sèche pour l'habitation de..... »

Confirmatur etiam veracitas Pentateuchi ex ejus cum aliis scriptis profanis, de quorum veracitate minime dubitatur, comparatione. Cætera enim omnia antiqua scripta profana, quæ ut indubie veracia habentur, neque tantæ auctoritatis testimoniis, neque tam splendidis notis ac Pentateuchus gaudent : non enim, uti Pentateuchus, a magna gente tamquam totius suæ vitæ fundamentum sunt accepta, et eadem narrationum parcitate,

expositionis claritate, doctrinæ elevatione, morum castitate clarescunt. Si ergo hæc scripta ut veracia habentur, a fortiori Pentateuchus ut verax habendus erit.

IV. Errores. Hodierna nostra ætate increduli non directe sed potius indirecte veracitatem Pentateuchi impugnant : non dicunt quidem ejus auctorem vel auctores voluisse mentiri et decipere, verum contendunt in eo consignata esse non vera tantum historiæ documenta, sed etiam innumeros mythos, qui in traditione populi continebantur; ac proinde concludunt Pentateuchum haud magis fidem mereri, quam scripta mythologica aliorum populorum. Ita censent fere omnes rationalistæ, inter quos præcipue citandi sunt Rosenmüller, Eichhorn, Vater, De Wette, Strauss, Hitzig, Nöldeke, Schenkel, Renan, Littré.

Mythus, quod idem est ac latine *fabula,* generatim definiri potest : alicujus facti aut status aut ideæ descriptio symbolica, ficto nimirum involucro historico et plerumque portentosis figmentis vestita; quales occurrunt in doctrinis et historiis quas gentiles de diis suis deque origine suæ nationis proponunt.

Mythi autem communiter dividuntur in *historicos, philosophicos,* et *mixtos.* — Mythi *historici* sunt narrationes de rebus vere gestis, variis modis auctæ et exornatæ; quales juxta rationalistas v. g. sunt : Dei et angelorum apparitiones, Abrahami sacrificium, Moysis vocatio, legislatio in monte Sinaï aliaque plura hujusmodi. Hæ narrationes, aiunt, continent quidem aliquam veritatem historicam, sed multis circumstantiis ab imaginatione populi oriundis circumdatam. De sacrificio Abrahami v. g. hanc tenent sententiam plures rationalistæ : dicunt Abrahamum exemplo Phœniciorum, qui diis pueros immolare solerent, eo adductum, ut et ipse filium suum unicum Jehovæ in victimam offerre voluerit; sed quum jam in eo esset, ut puerum occideret, subito ipsum de ea, qua Deus coli vult, religione rectius sensisse, atque ita ab immolatione filii abstinuisse. — Mythi *philosophici* sunt antiquæ doctrinæ specu-

lativæ aut morales, quæ sub forma aliqua concreta, h. e. sub facto aliquo historico proponuntur. Huc a rationalistis referuntur formationis terræ descriptio, hominis in peccatum prolapsus et primordialis innocentiæ deperditio. Contendunt hæc omnia nihil aliud esse ac humani ingenii inventiones ad exprimendum quod mundus ab aliquo ente superiore est factus, quod homo ab initio peccavit et quod pedetentim ad cognitionem suæ naturæ pervenit. Ita textum Geneseos, in quo dicitur, Adam et Eva ante peccatum de nuditate sua pudore non fuisse affectos sed post illud statim de ea erubuisse, interpretantur dicendo, hanc narrationem inventam esse ad docendum, quod homines in infantili ætate adhuc versantes de nuditate sua, sicut nunc juniores infantes, non erubescebant, sed quod de ea erubescere inceperunt, ubi ad adultam venerunt ætatem. — Mythi *mixti* sunt illi, qui naturam mythorum tum philosophicorum tum historicorum simul participant. Hujus generis esse statuunt rationalistæ historiam diluvii, confusionem linguarum et alia similia.

Argumenta, quibus adversarii doctrinam suam de mythis stabilire conantur, sunt sequentia : 1° analogia cum aliis populis : apud cæteros enim populos omnes antiquiora scripta mythos continent; ergo et antiquiora judæorum scripta sunt mythica. 2° Similitudo multarum narrationum Pentateuchi cum narrationibus indubie mythicis aliarum nationum. 3° Judæorum et aliorum orientalium ingenium, ad res omnes mirum in modum augendas et exornandas propensum. 4° Plurimæ Pentateuchi narrationes, quæ cum certissimis naturalium scientiarum dogmatibus aperte pugnare videntur.

Respondetur ad ista argumenta. **R.** *ad* 1^{um}. Ex eo quod apud alias gentes antiquiora scripta mythos continent, non licet desumere, quod etiam antiquiora Judæorum scripta certo mythis sunt referta, sed tantum, quod hoc a priori est possibile. An autem revera hæc scripta mythos contineant, ex eorum

notis tum externis tum internis est dijudicandum. Jamvero supra ex eorum notis tum internis tum externis, plene demonstravimus ipsa indubie esse veracia. Ergo. — Præterea causa, unde mythi gentilium fluxerunt, apud Judæos non exstitit; ac proinde ex analogia cum populis gentilibus nequidem possibilitas existentiæ mythorum in scriptis Judaicis potest desumi. Apud gentiles enim naturaliter orti sunt isti mythi ex falsis suis de divinitate deque attributis et operibus ejus doctrinis; jamvero apud Judæos falsæ istæ doctrinæ non viguerunt : servata enim apud eos semper fuit pura doctrina de Deo ejusque natura, de origine mundi, de hominis natura ejusque fine.

R. *ad* 2^{um}. Duplex distinguenda hic est similitudo : una, quæ in eo consistit, quod narrationes Pentateuchi eumdem illum mythicum characterem præ se ferrent, qui in mythicis gentilium scriptis occurrit; et altera, quæ inde nasceretur, quod Pentateuchus contineret veram historiam, dum scripta gentilium essent hujus veræ historiæ in ipso contentæ adulterationes et depravationes, seu ex Pentateucho essent desumpta sed variis mythis deturpata et corrupta. Si prior similitudo hic obtineat, valet adversariorum argumentum; sed istud non valet si tantum altera existat. Jamvero hæc posterior similitudo sola inter Pentateuchum et mythica gentilium scripta habetur : ergo.

Aliam non haberi inter Pentateuchi narrationes et mythica gentilium scripta, similitudinem quam illam, quæ habetur inter historiam veram et ejus adulterationes, facile ostenditur. Ubi enim plura scripta historica in quibusdam punctis consonant, manifeste liquet ea ex communi fonte esse hausta et si unum ex istis scriptis auctoritatis certis signis est stipatum, dum alia eis carent, in oculos incurrit illud scriptum ut fontem cæterorum vel saltem ut puræ traditionis documentum, et alia scripta ut hujus veræ historiæ vel ut puræ istius traditionis adulterationes esse habenda. Jamvero Pentateuchus indubiis veritatis signis stipatur; dum alia gentilium scripta eis omnino carent. Ergo.

R. *ad* 3^um^. Præsidium, quod rationalistæ in communi Orientalium propensione ad fabulas et commenta, et generatim ad res quascumque mirum in modum augendas et exornandas desumunt, nullius est valoris. Etenim certo constat Orientales ex imaginationis suæ ardore ad usum metaphorici styli et parabolarum maxime esse propensos; sed nulla ratione ostendi potest eos magis, quam alios populos ad mendacium vel ad falsam scribendam historiam inclinari : aliud enim est propensio ad metaphorici et ornati styli usum, aliud propensio ad mendacium. — Præterea, admissa etiam speciali Orientalium ad mendacium propensione, nullum inde deduci potest solidum argumentum ad demonstrandum, quod Pentateuchus, qui splendidis veracitatis signis est ornatus, mythos et figmenta continet; nam ut liceret hanc conclusionem inde deducere, oporteret ut ista propensio tam vehemens foret, ut apud istos populos nemo posset veritatem testari : qua hypothesi nihil sane stultius.

R. *ad* 4^um^. Asserunt quidem adversarii multas haberi inconcussa hodiernæ scientiæ theoremata inter et Pentateuchum contradictiones; verum sine fundamento, uti multi Scripturæ interpretes clare demonstrarunt. Ex ipsorum enim explicationibus aperte constat in rebus nobis objectis, aut errores et contradictiones apparentes pro veris proponi, aut dubia et incerta naturalium scientiarum theoremata tamquam plane certa et indubia haberi, aut falsum vel saltem incertum Scripturæ textibus tribui sensum (1).

(1) De *opificio sex dierum* in primo capite Geneseos narrato, quod ab adversariis præcipue proponitur tamquam locus aperte cum certis naturalium scientiarum theorematibus pugnans, cfr. Tractatus de *Deo Creatore*, Pars I, sect. II. Cap. I. De Mundo.

Utile erit hic notare, quid doceant S. Augustinus et S. Thomas de prudentia, qua opus est in explicatione obscuriorum Scripturæ textuum. Ita dicit S. Augustinus, *De Gen. ad litt.* L. 1, c. XVIII : « In rebus obscuris

§ IV.

Q. Quid tenendum est de authentia, integritate et veracitate cæterorum librorum Veteris Testamenti?

R. *Plene constat hosce omnes libros ut vere authenticos, saltem quoad substantiam integros et omnino veraces esse habendos.*

—

I. Observandum. Singulorum librorum authentia, integritas et veracitas in Introductione ad S. Scripturam demonstrandæ sunt; itaque ea tantum hic dicemus et quidem summatim, quæ ad scopum nostrum immediate sunt utilia.

II. Demonstratur horum librorum authentia. Sunt quidem inter hos libros aliqui, qui nulli certo auctori tribuuntur; sed quod omnes ad ea tempora pertinent, quibus scripti dicuntur, et quod ii, qui certo auctori attribuuntur, illos præcise et non alios auctores habuerunt, ex notis tam internis quam externis demonstrari potest:

a) Notæ externæ. Illorum librorum authentiam clare attestatur constans totius judaicæ nationis fides et traditio, quæ nobis plene innotescit ex modo quo Christus et Apostoli ad illos

» atque ab oculis nostris remotissimis, si qua inde scripta etiam divina » legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur alias atque alias parere » sententias; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, » ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus; non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita » dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est. » Et S. Thomas. I. q. 68. a. 1: « Sicut Augustinus docet, in hujusmodi quæstionibus duo sunt observanda. Primo quidem ut veritas Scripturæ inconcusse » teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod » nulli expositioni quis ita inhæreat, ut si certa ratione constiterit hoc esse » falsum, quod aliquis sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus » asserere præsumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne » eis via credendi præcludatur. »

libros appellarunt ad suam probandam doctrinam. Jamvero hæc fides, eodem modo ac in quæstione de Pentateucho, validissimum præbet argumentum. Cum enim libri isti publici essent usus, in synagogis legerentur, a levitis custodirentur, et vitam religiosam, civilem et domesticam Judæorum immediate respicerent, intelligi nequit quomodo tota natio potuisset circa eorum originem in errore versari, eos accipere tamquam a certis Dei viris scriptos, dum ab impostoribus essent compositi.

b) Notæ internæ. Nihil in horum librorum materia, dicendi modo cæterisque adjunctis adest, quod certe repugnat auctori aut tempori, quibus attribuuntur; imo ejusmodi sunt eorum materia, dicendi modus aliæque eorum qualitates, ut nullatenus cogitari possit eos esse ab impostoribus compositos. Proponunt nempe omnes isti libri purissimam et sublimissimam de Deo deque officiis nostris in Deum doctrinam, declarant quomodo constitutio populi judaici per Moysen incœpta constanter se evolverit et progressa sit, describunt multa facta particularia et minutas vitæ religiosæ, civilis et domesticæ circumstantias, et nunquam sibi aut historiæ et doctrinæ in Pentateucho contentæ contradicunt, aut imposturæ vel fraudis indicia produnt. Jamvero hujusmodi characteres certe non inveniuntur in libris ab impostoribus compositis : ergo.

III. Demonstratur eorum integritas. Horum librorum integritas facile probari potest. Corruptionem factam non esse ante Christum, magna Judæorum erga libros sacros veneratio, et corruptionis impossibilitas propter magnam illorum librorum dispersionem, plene evincunt. Post Christum autem multo minus potuit corruptio fieri sive a Judæis, sive a Christianis. Cum enim exemplaria Scripturæ non illis tantum, sed et istis præ manibus essent, corruptio a Christianis facta per Judæos, et a Judæis introducta per Christianos fuisset detecta et notata.

IV. Demonstratur horum librorum veracitas. Plurima habentur argumenta ad eorum veracitatem stabiliendam.

a) Horum librorum auctores noverunt res de quibus tractant, et voluerunt verum testari : interfuerunt nempe rebus quas narrant, vel ostendunt se ex certis documentis notitiam suam hausisse; et talem spirant ubique pietatem et virtutis amorem, ut censeri debeat, quod veritatem testari voluerint. *b)* De seipsis ac de populo Judaico non solum quæ laudem merentur, sed etiam multa, quæ summopere sunt probrosa, referunt; jamvero qui mendax est, non talia certe proponet, quæ, lectoribus suis non placeant aut sibimetipis non faveant. *c)* Facta in eis referuntur publica, ad totius gentis historiam pertinentia, cum nationis integræ statu et fatis connexa. Jamvero hujusmodi factorum falsitas facillime et quidem necessario detegitur. *d)* Tandem argumentum omnium librorum veteris Testamenti cum effatis antiquissimorum scriptorum externorum, qui de iisdem populis et regionibus scripserunt, apprime consentit; quod, quamvis magnus antiquorum monumentorum numerus interierit, tamen advertendi sat frequens non deest occasio.

SECTIO POSTERIOR

De auctoritate historica Librorum Sacrorum Novi Testamenti

§ I.

Q. Quid tenendum est de authentia Librorum Sacrorum Novi Testamenti?

R. *Nisi universalis scepticismus historicus admittatur, authentia horum librorum in dubium vocari nequit.*

—

I. Errores. Hodierni increduli libros novi Testamenti partim ut authenticos, partim ut non authenticos habent, et maxime inter se circa hanc quæstionem dissentiunt.

II. Gradus certitudinis. Hæc propositio certe est *veritas historica*, et simul est saltem *veritas theologica*, aut etiam *veritas fidei proxima*.

III. Demonstratio : 1° *ex notis externis. a)* Authentiam librorum novi Testamenti testatur imprimis constans et universalis persuasio Ecclesiæ catholicæ. A tempore enim Apostolorum ad nostras dies, ipsa agnovit semper et ubique libros N. T. eos habuisse auctores, quorum nomina præ se ferunt, atque eo tempore fuisse conscriptos, quod etiam nunc communiter traditur. — Ne autem inutiliter testimonia ad hanc constantem et universalem persuasionem demonstrandam congeramus, notandum est ab ipsis adversariis concedi, quod illa a medio circiter sæculo secundo certe exstiterit. Quod autem ab initio Ecclesiæ exstitit e sequentibus constat : imprimis nullum tempus assignari potest, quo primo exorta sit, et Ecclesia nihil admittere solebat nisi quod erat traditum, uti testatur Tertullianus *adv. Marc.* IV, 4, 5. Præterea si ex Patribus apostolicis non habeamus diserta et explicita de authentia librorum N. T. testimonia, habemus tamen implicita; nam hos libros sæpius et expressius quam exspectari possit, vel diserte vel æquipollenter uti scripta divinitus inspirata et a majoribus tradita citant. Ita Clemens Romanus, Petri et Pauli discipulus, textus producit ex Matthæo et ex Luca distincte; ex Marco autem conjunctim cum Matthæo; — Papias, discipulus et ipse Apostolorum, nominat Matthæum et Marcum ut Evangeliorum, quæ eorum nomine circumferuntur, auctores; — SS. Ignatius et Polycarpus frequenter textus fere completos illorum librorum in suis epistolis afferunt; — S. Ignatius scribens ad Ephesios, S. Polycarpus Philippensibus in memoriam revocat epistolas a Paulo acceptas; atque insuper tota ipsorum scripta locutionibus et doctrinis fere verbotenus ex libris N. T. desumptis, et allusionibus ad horum librorum sententias pertinentibus sunt impleta, uti bene ostendit D^r^ Sprinzl

in aureo suo opere : *Theologia Patrum Apostolicorum. Viennicæ,* 1880.

b) Hanc authentiam testantur etiam plerique veteres hæretici, uti Ebion, Cerinthus, Marcion aliique qui nostris Evangeliis sicut cæteris N. T. scriptis usi sunt. Quamvis enim ea suo modo explicare et corrumpere tentaverint, nunquam tamen Apostolis apostolicisque viris abjudicare ausi sunt. Jamvero ipsi certe hæc scripta ut authentica non admisissent, si aliquod habuissent argumentum, quo niti potuissent ad eorum authentiam impugnandam. Hinc S. Irenæus (*Cont. Hær.* L. III, c. 11) jam dixit : « Tanta est autem circa » Evangelia hæc firmitas, ut et ipsi hæretici testimonium red- » dant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur » suam confirmare doctrinam. Ebionei etenim eo Evangelio, » quod est secundum Matthæum solo utentes, ex illo ipso con- » vincuntur, non recte præsumentes de Domino. Marcion autem » id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quæ adhuc » servantur penes eum, blasphemus in solum existentem Deum » ostenditur. Qui autem Jesum separant a Christo, et impas- » sibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, » id quod secundum Marcum est, præferentes Evangelium, cum » amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem, qui » a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime » utentes, ad ostensionem conjugationum suarum ; ex ipso dete- » gentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in » primo (cap. 9.). Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testi- » monium perhibeant, et utantur his, firma est vera et nostra » de illis ostensio. »

c) Ipsi Pagani nobis de librorum N. T. authentia sunt testes; nam quotquot ex illis contra Christi doctrinam scripserunt, de horum librorum authentia ne levissimum quidem dubium moverunt, sed contra eam semper ut indubitatam supponunt : unde manifeste liquet universalem ab initio exstitisse

persuasionem, quod illi libri indubie erant authentici. Ita Celsus (vide *Origen. Contra Celsum.* L. 3) nunquam negavit, libros sacros N. T. authenticos esse; sed contra plura citat ex Evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat. Pariter Porphyrius conatus est, uti testatur S. Hieronymus, Evangelia, Actus Apostolorum aliosque libros confutare, ac proinde admisit horum scriptorum authentiam; et Julianus Apostata (*apud S. Cyrill. Alexandr.* L. 10.) nomina quatuor Evangelistarum clare exprimit dicens : « Jesum quippe illum » neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque » Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes..... primum id » prodere ausus est. » Quare merito concludimus cum S. Joanne Chrysostomo (*Hom.* 6. in I. *Cor.*) : « Sufficiunt etiam qui nobis » adversantur, ad contestandam librorum nostrorum sacrorum » antiquam originem, libri scilicet scripti a Celso et a Bataneote » (Porphyrio Bataneo oriundo) qui cum ipso faciebat. Neque » enim libris, qui post ipsos scripti fuerint contradicere po- » tuissent. »

Post hanc demonstrationem nemo non videt, quam impudenter egerit Renan, ubi scripsit (*Vie de Jésus; Introd.* p. XV.) : « On sait que chacun des quatre Evangiles porte en tête le nom » d'un personnage connu soit dans l'histoire apostolique, soit » dans l'histoire évangélique elle-même. Ces quatre person- » nages ne nous sont pas donnés rigoureusement comme des » Auteurs. Les formules, selon Matthieu, selon Marc, selon Luc, » selon Jean, n'impliquent pas que dans la plus vieille opinion, » ces récits eussent été écrits d'un bout à l'autre par Matthieu, » par Marc, par Luc, par Jean : (C'est ainsi qu'on disait : » l'Evangile selon les Egyptiens), elles signifient seulement que » c'étaient là les traditions provenant de chacun de ces Apôtres » et se couvrant de leur autorité. Il est clair, que si ces titres » sont exacts, les Evangiles sans cesser d'être en partie légen- » daires, prennent une haute valeur puisqu'ils nous font re-

» monter au demi siècle, qui suivait la mort de Jésus, et même, » dans deux cas, aux témoins oculaires de ses actions. »

Ex unanimi igitur consensu constat libros N. T. esse vere authenticos; jamvero talis consensus est indubium demonstrationis historicæ argumentum; ergo. — Præterea hic consensus de authentia librorum N. T., non tantum plenum habet demonstrativum valorem ex sua universalitate et constantia, sed etiam ex eo quod absolute repugnat, ut error ei subsit. Facile enim ostenditur, fieri non potuisse, ut libri ab impostore conscripti tamquam libri apostolicorum virorum atque tamquam libri sacri proponerentur, et communi consensu tamquam tales acciperentur. Et re quidem vera, si id factum fuisset, res evenisset vel ante, vel post mortem Apostolorum. Atqui utrumque est impossibile. Ante mortem Apostolorum hæc fraus erat certe impossibilis, quia statim detecta fuisset. Imo hæc ratio valet, ubi solus Joannes ex Apostolis supererat, quia ille fideles de fraude monere non omisisset. Post mortem autem Apostolorum fraus erat impossibilis ex pluribus causis. Obstabat nempe præsentia discipulorum Apostolorum, Clementis, Ignatii, Polycarpi aliorumque plurimorum qui apprime cognoscebant an libri illi vere ab Apostolis vel ab apostolicis viris essent conscripti. Obstabat quoque præsentia hæreticorum multorum et doctorum paganorum contra Christi fidem dimicantium, qui summa vi libros N. T. impugnabant, et qui proinde contra falsorum scriptorum introductionem necessario reclamassent. Obstabat tandem et vigilantia Episcoporum, qui summa cum cura integritatem doctrinæ Christi tuebantur, et statim a communione fidelium eos omnes rescindebant, qui aliquid novi inducere conabantur, uti per historiæ documenta docemur.

2° *Ex notis internis*. Nihil in libris N. T. occurrit, quod impediat quominus dicamus ipsos esse ab Apostolis vel ab apostolicis viris scriptos; sed contra omnia, quæ in eis habentur, manifestum faciunt, ipsos a talibus auctoribus certo prodire.

a) Imprimis certe nihil in eis habetur, quod aliquatenus suadeat, hosce libros tantum sæculo secundo vel tertio esse scriptos, uti adversarii communiter contendunt; nam hucusque nihil ex eis potuit depromi, quod ætati apostolicæ non conveniat.

b) Omnia autem manifestum facere hosce libros vere ab Apostolis et ab apostolicis viris esse compositos, patet ex sequentibus: 1° Exprimuntur in hisce libris multæ rerum et personarum circumstantiæ individuæ et minutæ, quas ita accurate scire tantum poterant viri, qui res non e longinquo sed prope aspexerant. 2° In Evangeliis Matthæi, Marci et Lucæ referuntur vaticinia Christi de urbis excidio; nec quidquam additur de prædictionum completione. Ex quo manifestum est, illos libros ante urbis Jerosolymæ excidium scriptos fuisse. In Actibus Apostolorum historia Pauli usque ad primum ejus in urbem adventum deducitur, quod probat librum editum fuisse ante Pauli a primis vinculis solutionem : scriptor enim posterioris ætatis res ab Apostolo gestas ulterius produxisset. Sic et Pauli epistolæ aperte suam produnt ætatem. 3° Scriptores horum librorum tales sunt moribus, scientia, lingua, quales fuerunt Apostoli iique quibus hi libri tribuuntur. Ipsi se exhibent viros probos, ingenuos, natu Judæos, illitteratos, tali scientia instructos, qualem in discipulis Christi fuisse, testantur Evangelia; et talem linguam hebraismis impletam, eas nempe voces, eas phrases et eam structuram adhibent, quibus uti poterant Judæi græce scribentes. Præterea cujuslibet auctoris character plene congruit indoli libri, qui ab eo scriptus esse perhibetur.

Quibus argumentis omnibus rite perpensis liquet, librorum N. T. authentiam tam manifestam esse, ut si ea non admittatur, jam non habeatur vel unus liber antiquus, qui tamquam authenticus haberi possit; nam ex omnibus antiquorum profanis scriptis, quæ supersunt, nullum sane tot et tam clara authentiæ indicia habet, ac Scriptura N. T.

IV. Objectiones. 1° Si libri N. T. ab Apostolis et ab apostolicis viris fuissent scripti, Patres apostolici hosce auctores nominatim citassent; jamvero ipsi id non fecerunt; ergo.

R. Adversariorum assertio est omnino gratuita seu omni fundamento destituta; ac proinde eorum objectio ruit. — Quod autem hæc assertio fundamento caret, facile intelligitur : expressæ enim auctorum Scripturæ citationes non solent fieri in quibusvis libris de rebus divinis tractantibus, sed in iis tantum, in quibus scientifice fides Christi propugnatur. Ita in Catechismis, in libris asceticis aut in scriptis pro indoctis compositis non solent hujusmodi citationes occurrere : citantur quidem in hujusmodi libris verba Scripturæ, sed non solet expressa fieri mentio de loco Scripturæ aut de auctore, unde textus est desumptus. Jamvero pauca Patrum apostolicorum scripta, quæ supersunt, non sunt scientificæ de fide demonstrationes sed meræ instructiones circa fidem et mores ad populum destinatæ. Ergo. — Ratio autem, ob quam in scriptis minus scientificis ad populum destinatis, non solet expressa fieri mentio de Scripturæ auctoribus in eo est, quod in Scriptura præter scriptorem humanum habetur Deus uti primarius auctor, qui scriptore humano tamquam instrumento est usus. Jamvero hæc divina Scripturæ auctoritas debet optime populo inculcari; et ideo ubi in sermone vel in scripto ad populum quid e Scriptura citatur, melius est mentionem facere de Scriptura in genere quam de aliquo libro vel auctore Scripturæ, ut populus ita animadvertat appellationem fieri ad librum divinum et non ad librum humanum.

Obj. 2° Contra authentiam Evangeliorum movet Eichhorn (interpres rationalista m. 1827) et hanc difficultatem : In Evangeliis, ait, Matthæi, Marci et Lucæ permagna habetur consonantia, non modo quoad res narratas, sed sæpe etiam quoad verba. Jamvero hæc consonantia explicari nequit, si hæc tria Evangelia a tribus auctoribus sunt scripta; cum fieri non possit ut tres auctores omnino eadem facta narrent et sæpe iisdem

utantur verbis; et alia hujus consonantiæ ratio non potest dari, nisi quod in initio unum tantum exstitisset Evangelium, in quo successu temporis plures mutationes sunt factæ, ita ut tandem in diversis Ecclesiis tres diversæ obtinuerint Evangelii editiones, quæ nunc sub nomine Matthæi, Marci et Lucæ circumferuntur. Putat Eichhorn has diversas unius Evangelii editiones hisce tribus auctoribus adscribi incepisse, ex eo quod diversæ essent in diversis Ecclesiis opiniones de auctore primitivi Evangelii. — Multi rationalistæ hanc sententiam amplexi sunt : Marsh, Episcopus Ecclesiæ Anglicanæ eam conatus est perficere addendo, quod primitivum Evangelium fuerit deperditum, ac postea a diversis auctoribus restitutum secundum ea, quæ memoriter de illo retinuerant. Verum fieri non potuit, ut memoria fuerit semper omnino fidelis et accurata; et inde enata sunt diversa Evangelia.

R. Isti auctores aliud argumentum ad suam sententiam stabiliendam non habent ac illam consonantiam, quæ, aiunt, aliter explicari nequit, ac admittendo primitus nonnisi unum exstitisse Evangelium, e quo illa tria postea sunt enata. Atvero hæc ratio non valet, cum ista consonantia aliter facile explicari possit; ac proinde ruit objectio.

Imprimis jam magna habetur contra rationem ab adversariis allatam præsumptio ex solidissimis argumentis, quibus supra authentia librorum N. T. fuit demonstrata. Verum et directe confutatur hæc ratio : imprimis consonantia, quæ inter plurima narrata trium priorum evangeliorum habetur, sufficientem habet causam in summa cura, quacum ab Apostolis eorumque discipulis facta et dicta divini sui magistri fuerunt exacte tradita : ob summam suam erga Jesum venerationem conati certe sunt omnia quæ ab ipso viderant et audiverant omnino accurate referre. Altera illa consonantia, quæ in ipsis verbis habetur, in primo aspectu videtur explicatu sat difficilis, sed si res bene consideretur, sine labore solvitur. Consonantia nempe verborum

non occurrit frequenter, nec in omnigenis circumstantiis, sed tantum raro et quidem in fere solis verbis Christi et Apostolorum referendis. Jamvero quid vetat, quominus dicamus, Apostolos verba illa memoriter retinuisse atque ea Marco et Lucæ communicasse? Hæc explicatio sane omnino rationi est consentanea; nam fieri certe non potuit, ut Apostoli, qui sermones Domini maximi faciebant, plurimas ex Ejus sententiis memoriter non retinuerint ac postea istas aliis verbotenus non tradiderint; et quod ad sua verba attinet, mirum esset, si nulla ex eis memoriter retinuissent. Dein Marco et Lucæ accurate ab Apostolis ea omnia fuisse narrata, quæ ipsi de vita Jesu noverant, etiam absque labore explicatur, cum simul sat diu vixerint. — Liquet igitur alio modo, ac illo ab Eichhorn proposito, consonantiam trium priorum Evangeliorum explicari posse; ac proinde ejus ratiocinatio ruit. Si enim alia explicatio, ac illa ab ipso proposita, est possibilis, tota ejus objectio evertitur. — Notetur tria Evangelia Matthæi, Marci et Lucæ *synoptica* vocari, quia sæpe eadem et eodem modo narrant.

§ II.

Q. Quid tenendum est de integritate librorum Novi Testamenti?

R. *Plene demonstratur hos omnes libros saltem quoad substantiam esse integros.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc assertio est *veritas historica*, atque etiam *fidei dogma*; nam Ecclesia definivit omnes N. T. libros, cum omnibus suis partibus, prouti in veteri vulgata latina editione continentur, pro sacris et canonicis libris esse suscipiendos, uti in Tractatu de *Locis Theologicis* demonstrabitur.

II. Errores. Fere omnes increduli moderni integritatem librorum N. T. impugnant; contendunt nempe eos variis manibus interpolatos et corruptos esse.

III. Demonstratio : 1° *e testimoniis historicis.* Certissimum habetur de alicujus libri integritate testimonium, si ejus codices antiquissimi cum recentioribus quoad substantiam plane conveniunt. Jamvero antiquissimæ versiones, quæ de N. T. libris existunt, uti Syriaca, dicta *Peschito*, et Latina, *Itala* dicta (quæ jam medio sæculo secundo certe exstitisse merito affirmantur) cum novo Testamento, quo Ecclesia catholica nunc utitur, quoad substantiam plene concordant. Præterea ab antiquissimis scriptoribus, uti S. Ignatio Martyre (m. 107), S. Clemente Romano, S. Justino, S. Irenæo, Athenagora, Tertulliano, S. Theophilo Antiocheno, Clemente Alex., Origene, etc. textus citantur, qui in nostris codicibus eodem modo leguntur. Ergo. — Hoc argumentum jam proponebat suo tempore Tertullianus, qui de corrupto a Marcionitis Evangelio Lucæ loquens dicit *(adv. Marc.* L. IV, c. 4 et 5) : « Ego meum (Evangelium Lucæ) » dico verum, Marcion suum. Quis inter nos determinabit, nisi » temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius » reperietur, et ei prædicens vitiationem, quod posterius revin- » cetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum » præcedat necesse est veritas falsum..... Dico itaque apud illas » (Ecclesias Apostolicas), nec solum jam Apostolicas, sed apud » universas quæ illis de societate Sacramenti confœderantur, id » Evangelium Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum » maxime tuemur, Marcionis vero plerisque nec notum, nullis » autem notum ut non eo damnatum..... Eadem auctoritas » Ecclesiarum ceteris quoque patrocinabatur Evangeliis. »

2° *Ex eo quod corruptio horum librorum fieri non potuit :* non potest enim assignari *a)* vel aliquod tempus quo hæc corruptio fieri potuisset; vel *b)* aliquis auctor, qui eam potuisset perficere. — *a)* Tempus assignari non posse, quo hæc corruptio fieri potuisset, ita demonstratur : Si libri N. T. potuissent corrumpi, hæc corruptio debuisset contingere vel tempore Apostolorum, vel statim post eorum mortem, vel sequentibus sæculis,

Jamvero certe non potuit *tempore Apostolorum,* nam intelligi nequit, quomodo ipsi non reclamassent et fideles suos de corruptione illa monuissent. Dein neque magis potuit fieri *statim post eorum mortem;* nam tunc adhuc recens erat Apostolorum doctrina; et autographa sacrorum codicum in Ecclesiis servabantur, aut certe probata ab Apostolis exemplaria. Tertullianus enim *(de Præscript.* c. 36) provocat ad autographa « *litteras authenticas,* » quæ tunc temporis in Ecclesiis apostolicis asservabantur. Tandem neque sequentibus sæculis potuit corruptio illa fieri, cum tunc sacrorum codicum exemplaria plurima ubique existerent, et versiones jam essent factæ : jamvero quis unquam potuisset omnia exemplaria existentia et varias versiones corrumpere? Ergo. — *b)* Etiam assignari non posse auctorem, qui hanc corruptionem potuisset perficere, hac ratione ostenditur : Si libri N. T. potuissent corrumpi, hæc corruptio debuisset fieri vel a Judæis, vel a Paganis, vel ab Hæreticis, vel a Catholicis; atqui nihil horum dici potest; ergo. Non potuit hæc corruptio fieri a Judæis; nam si ipsi id tentassent, restitissent certe catholici totis viribus, et libros ab aliis corruptos damnassent. Neque etiam potuit fieri a Paganis, nam repugnat ut catholici a Paganis idololatris suisque acerrimis persecutoribus sacros codices ab eis corruptos accepissent. Neque magis fieri potuit ab Hæreticis, cum catholici ab eorum societate et doctrina summopere abhorrebant, uti historia testatur; neque tandem fieri potuit a Catholicis, nam si ipsi id tentassent, debuissent etiam omnia exemplaria, quæ in manibus erant Judæorum, Hæreticorum et Paganorum, corrumpere; quod sane fieri non poterat. Præterea ab hoc impediebantur per fundamentale suum principium constanter ab Ecclesia docente applicatum, quo dicebant se nihil nosse *nisi quod traditum* est, et quo summopere ab omni novitate abhorrebant.

Quibus attente perpensis, nemo non videt, quam recte S. Augustinus (De util. cred. c. III) dixerit : « Nihil mihi vide-

» tur ab eis impudentius dici vel, ut mitius loquar, incuriosius » et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas cum id » nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus pos- » sint convincere. »

IV. Objicitur. 1° Apud Patres dicitur, quod Hæretici catholicos de Scripturæ N. T. corruptione accusarunt, et Patres similiter Hæreticos de eadem re accusant. Ergo liquet Scripturam N. T. saltem potuisse corrumpi et probabiliter etiam corruptam fuisse.

R. In accusationibus fit sermo de conatibus Scripturam N. T. corrumpendi, non vero de corruptione omnium exemplarium in mundo existentium. Sane corruptio Scripturæ sæpe est tentata ab acatholicis et in quibusdam exemplaribus etiam peracta; sed aliud est libri corruptionem tentare et plurima ejus exemplaria revera corrumpere, aliud vero omnia ejus exemplaria corrumpere, ita ut liber, sicuti primitus prodiit, jam non existat. Unum est corruptionis initium, aliud est vera et completa corruptio. — Præterea illæ ipsæ accusationes ostendunt, quomodo fieri non potuisset ut Scriptura revera corrumperetur.

Obj. 2° Constat Evangelia esse interpolata; nam plura in ipsis hodie leguntur, quæ in antiquis desunt codicibus; uti v. g. duo priora capita Matthæi, caput ultimum Marci, historia sudoris sanguinei et mulieris adulteræ.

R. Plura in libris sacris Novi Testamenti hodie leguntur, quæ in antiquis codicibus desunt; *distinguo :* quæ in nonnullis codicibus desunt, *concedo;* quæ in omnibus antiquis codicibus et monumentis desunt, *nego.* Jamvero si in aliquo libro quædam occurrunt partes, quæ in nonnullis antiquis ejus codicibus non inveniuntur, nemo certe inde legitime concludere potest hunc librum esse interpolatum; cum ex multis particularibus causis fieri potuerit, ut una alterave pars in nonnullis exemplaribus fuerit omissa. Ergo nullius valoris est prædicta objectio.

Obj. 3° Renan in libro suo *Vie de Jésus* p. XVIII hoc objicit : Papias, ait, qui vixit sæc. II, de scriptis Matthæi et Marci

sermonem faciens, dicit Matthæum Christi *sermones*, et Marcum ejus *facta* proposuisse; ergo Evangelia Matthæi et Marci certe sunt corrupta, cum in Matthæo præter Domini sermones plurima ex ejus factis et in Marco præter facta plurimi ex ejus sermonibus contineantur.

R. Non debent hæc verba *sermones* et *facta* Domini stricte intelligi, cum alio in loco Papias dicat a Marco *facta et dicta Domini narrari*. Sed objectio a Renan proposita supponit hæc verba esse omnino stricte intelligenda. Ergo omni fundamento caret hæc objectio.

§ III.

Q. Quid tenendum est de veracitate librorum Novi Testamenti?

R. *Horum librorum veracitas tanta argumentorum vi demonstratur, ut nulla ratione in dubium possit vocari.*

—

I. Gradus certitudinis. Hæc propositio est *veritas historica* et simul *fidei dogma* : ab Ecclesia enim definitum est omnes Novi Testamenti libros a Deo esse inspiratos.

II. Errores. Cum divinitas doctrinæ christianæ e libris Novi Testamenti invicte demonstretur, horum librorum veracitatem impugnant omnes increduli; et præcipuus eorum impugnationis modus in eo consistit, quod contendant omnia miracula et etiam plurima alia in hisce libris narrata esse *mythos* seu *legendas*, uti aiunt. Hac de re ita scribit Renan *Vie de Jésus*, p. XV : « Que les Evangiles soient en partie légendaires, c'est » ce qui est évident, puisqu'ils sont pleins de miracles et de » surnaturel; mais il y a légende et légende. Personne ne doute » des principaux traits de la vie de François d'Assise, quoique » le surnaturel (quod Dr Renan semper ut mythum habet) s'y » rencontre à chaque pas. Personne, au contraire, n'accorde de

» créance à la vie d'Apollonius de Tyane, parcequ'elle a été » écrite longtemps après le héros et dans les conditions d'un » pur roman. A quelle époque, par quelles mains, dans quelles » conditions les Evangiles ont-ils été rédigés? Voilà donc la » question d'où dépend l'opinion qu'il faut se former de leur » crédibilité. » Et infra idem auctor, postquam de tempore, quo libri Novi Testamenti scripti sunt, dixit, hæc addit p. XLIV : « On comprend maintenant, ce semble, le genre de valeur » historique que j'attribue aux Evangiles. Ce ne sont ni des » biographies à la façon de Suétone, ni des légendes fictives à la » manière de Philostrate; se sont des *biographies légendaires*. » Je les rapprocherais volontiers des légendes de saints, des » vies de Plotin, de Proclus et d'Isidore et d'autres écrits du » même genre, où la vérité historique et l'intention de présen- » ter des modèles de vertu se combinent à des degrés divers. » L'inexactitude, qui est un des traits de toutes les combinaisons » populaires, s'y fait particulièrement sentir. Supposons qu'il y » a dix ou douze ans, trois ou quatre vieux soldats de l'empire » se fussent mis chacun de leur côté à écrire la vie de Napoléon » avec leurs souvenirs. Il est clair que leurs récits offriraient » de nombreuses erreurs, de fortes discordances. L'un d'eux » mettrait Wagram avant Marengo; l'autre écrirait sans hési- » ter que Napoléon chassa des Tuileries le gouvernement de » Robespierre..... Mais une chose résulterait certainement avec » un degré de vérité de ces naïfs récits, c'est le caractère du » héros, l'impression qu'il faisait autour de lui..... On peut en » dire autant des Evangiles. Uniquement attentifs à mettre en » saillie l'excellence du maître, ses miracles, son enseignement, » les Evangélistes montrent une entière indifférence pour tout » ce qui n'est pas même l'esprit de Jésus. Les contradictions sur » les temps, les lieux, les personnes étaient regardées comme » insignifiantes; car autant on prêtait à la parole de Jésus un » haut degré d'inspiration, autant on était loin d'accorder cette

» inspiration aux rédacteurs. Ceux-ci ne s'envisageaient que » comme de simples scribes et ne tenaient qu'à une seule chose : » ne rien omettre de ce qu'ils savaient. »

III. Demonstratio. Ut quæ in Evangeliis et in aliis libris N. T. narrantur, tamquam vera ab omnibus admitti debeant, id solum, supposita horum librorum authentia et integritate, requiritur, ut certo constet eorum auctores tum debitam rerum scientiam habere potuisse, si voluerint, tum candida sinceritate voluisse verum cognoscere et testari. Atqui utrumque constat de scriptoribus eorum librorum, et præsertim Evangeliorum et Actuum Apostolorum. Ergo.

A) Prob. 1ª *Pars; potuerunt verum cognoscere, si voluerunt.* Id enim facile potuerunt *a)* tum a parte mediorum cognitionis, *b)* tum a parte rerum cognoscendarum, *c)* tum a parte suarum qualitatum personalium : ac proinde ex omni parte facile potuerunt debitam rerum scientiam acquirere.

a) A parte mediorum cognitionis. Plures enim auctores Novi Testamenti fuerunt testes oculati eorum factorum, quæ narrant. Hinc S. Joannes dicit (I *Ep.* I. 1, 3) : « Quod audivimus, » quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus » nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ..... Quod vidimus et » audivimus, annuntiamus vobis. » Et S. Petrus idem inculcat, dum scribit (II. *Petr.* I. 16) : « Non enim doctas fabulas secuti, » notam fecimus vobis Domini nostri Jesu-Christi virtutem et » præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. » Illi autem qui testes oculati non fuerunt, rerum notitiam acceperunt a testibus immediatis et fide dignissimis. Ita S. Lucas in initio Evangelii sui animadvertit : « Quoniam quidem multi conati » sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt » rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et » ministri fuerunt sermonis : visum est et mihi, assecuto omnia » a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime » Theophile. »

b) A parte rerum cognoscendarum. Ea omnia, quæ in libris N. T. narrantur, sunt facta sensibilia, sine præparatione, in plena luce, multis adstantibus patrata. Jamvero hujusmodi facta facillime observari et cognosci possunt. — Præterea si fraus quædam latuisset, non potuisset occulta et ignota manere, nam inimici Christi, qui summo eum persequebantur odio et diligentissime omnia ejus facta observabant, pro sua sagacitate eam certo detexissent et palam manifestassent.

c) A parte qualitatum personalium auctorum. Non erant isti auctores proclives ad falsum pro vero amplectendum. Certe in ipsorum historia nullum nimiæ credulitatis vestigium appareret, nam contra se sæpius nimis incredulos exhibuerunt, præsertim cum agebatur de Christi resurrectione. Etsi enim ex Christi promissionibus eam exspectare deberent, ad eam tamen credendam justo tardiores fuerunt. Imo Thomas cæterorum Apostolorum, qui Christi resurrectionis jam testes fuerant, testimonio noluit credere, et mansit incredulus donec ipsemet Christi resuscitati vulnera vidit et palpavit. — Dein parvus est locus nimiæ credulitati, quando testes sunt oculati : et tales plerique fuerunt ex auctoribus N. T.

Nec obstat, quod auctores N. L., exceptis Paulo et Luca, fuerint homines rudes. In iis enim rebus, quarum notitia sensuum experientia obtinetur et ad quas cognoscendas nonnisi sani sensus eorumque rectus usus requiruntur, testimonium viri rudis haud minus valet ac attestatio viri docti : imo sæpe majoris est auctoritatis cum viri docti facilius quam personæ rudiores sua placita veritati admiscere possint. Jamvero facta vitæ Christi erant omnino externa et a quovis homine sensibus prædito poterant plene cognosci. Præterea facta ista, cum essent omnino extraordinaria, de se attentionem moverunt, atque ita causa exstiterunt facilioris cognitionis apud omnes, etiam apud rudes.

B) Prob. 2ª Pars : voluerunt verum testari. Quod hanc

voluntatem habuerunt, id constat *a)* tum ex eorum moribus, *b)* tum ex eo quod motivum non habebant ad mentiendum, *c)* tum ex eo quod decipere non potuissent, si id tentare voluissent, *d)* tum ex consonantia narrationis ab ipsis factæ cum scriptis exterorum.

a) Ex eorum moribus. Apostolorum et Evangelistarum vita adeo fuit integra et perfecta, ut nullus eorum unquam nequidem ab infensissimis hostibus de aliquo crimine accusatus fuerit : ipsorum vita plane cum doctrina, quam prædicabant, erat consentanea, et vivum sanctissimæ rationis vivendi exhibebat exemplum. Id enim constat tum ex eorum scriptis, tum ex Patrum testimoniis, tum etiam ex confessione inimicorum, uti Celsi, Porphyrii, Juliani. Jamvero qui sancte vivunt et Deum timent, certe non tentabunt in libris, quos edunt, homines decipere; maxime ubi agitur de introducendo cultu a Deo revelato, cum mendacium in hac re admissum enorme constitueret crimen.

b) Ex absentia motivi. Cum homo necessario in singulis actibus, quos ponit, suum quærat bonum, certe non tentabit aliquod magnum crimen committere, nisi inde magnum bonum possit sperare; ac proinde librorum N. T. auctores, si in scriptis suis voluissent mentiri, quod enorme fuisset peccatum, debuissent ex suo mendacio permagnum aliquod sperare bonum. Jamvero neque tale bonum, imo neque ullum bonum inde exspectare poterant. Sane ex falso suo testimonio nullum emolumentum exspectare poterant in hac vita; nam patiebantur in prædicatione sua omnigenas persecutiones, ærumnas et afflictiones : imo videbant quotidie fideles pro confessione nominis Christi ad martyrium duci. Neque mercedem pro altera vita sibi polliceri poterant cum ipsimet optime scirent et prædicarent, deceptionem in re cultus divini summum esse crimen et æternis suppliciis esse puniendam.

c) Ex impossibilitate deceptionis seu mendacii. Imprimis, quomodo homines rudes et illitterati, quales ex omnium con-

sensu Apostoli erant, doctrinam tam sublimem ac est doctrina christiana ab ipsis prædicata, suo marte confingere potuissent? Nulla ex philosophiis antiquis aliqua ratione ad Christianæ doctrinæ elevationem accedit : quomodo ergo admitti posset aliquot viros, qui nunquam studiis incubuerant, tam altam et tam mirabilem doctrinam, quæ ex omni parte est pura et completa, excogitasse? Tam manifestum est, quod Apostoli christianam doctrinam confingere non potuerint, ut J. J. Rousseau *(Emile* L. IV.) ita scribere coactus fuerit : « Quelle douceur (in Christo), quelle pureté dans ses mœurs, » quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation » dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! » Quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans » ses réponses! Quel empire sur ses passions! Où est l'homme, » où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse » et sans ostentation..... Oui, si la vie et la mort de Socrate sont » d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dirons- » nous que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Mon » ami; ce n'est pas ainsi qu'on invente..... Au fond c'est reculer » la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable que » plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne » l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs » n'eussent trouvé ni ce ton ni cette morale; et l'Evangile a des » caractères de vérité si grands, si parfaitement inimitables, » que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. »

Præterea facta, quæ in libris N. T. narrantur, erant publica et coram plurimis coævis atque etiam coram ipsis Apostolorum adversariis peracta sunt; atque horum librorum auctores exacte designant locum, tempus et varias circumstantias in quibus hæc facta evenerunt. Jamvero, si res in N. T. narratæ non contigissent, prouti describuntur, deceptio statim detegi potuisset et in maximum istorum scriptorum opprobrium vergere debuisset. Et hoc argumentum maxime firmatur ex eo quod

Apostoli de Christi factis et dictis loquebantur tamquam de re omnibus notissima, et ad ipsum testimonium coævorum in sermonibus suis appellabant. Sic S. Petrus *(Act. Ap.* II. 22) die Pentecostes Judæis dixit : « Jesum Nazarenum, virum appro- » batum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quæ » fecit Deus per illum in medio vestri *sicut et vos scitis.* » Et S. Paulus ad Festum respondens *(Act. Ap.* XXVI, 25-26) ita locutus est : « Non insanio, optime Feste; sed veritatis et » sobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem et » constanter loquor : *latere enim eum nihil horum arbitror.* » *Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.* » Jamvero si apud Judæos certissime non constitisset de veritate eorum factorum, nonne ipsi reclamassent? Omnia tentarunt Judæi, ut prædicationem Apostolorum impedirent : prohibuerunt eos ne in nomine Jesu amplius loquerentur, eosque carcere, persecutione et morte ipsa affixerunt. Jamvero si potuissent eos, ad ipsorum testimonium appellantes, de errore et falsitate convincere, id certe non neglexissent : id enim erat medium optimum et efficacissimum ad christianæ doctrinæ propagationem impediendam. Attamen nullibi legitur, quod Judæi ea, quæ ab Apostolis prædicabantur negare aut confutare potuerunt aut etiam tentarunt; sed contra multi ex infensissimis Christi hostibus, Apostolorum verbis convicti, se ad novam fidem converterunt atque membra Ecclesiæ facti sunt. — Nemo autem non videt quam firmum sit hoc argumentum pro librorum N. T. veracitate : si Apostoli sub aliqua ratione mendacii fuissent rei, liquet quod Judæi eos falsitatis et fraudis redarguissent.

d) Ex consonantia narrationis Apostolorum cum scriptis exterorum. Ita Flavius Josephus, qui ævo Christi et Apostolorum scripsit, prædicationem, baptismum et mortem Joannis Baptistæ enarrat; necem S. Jacobi, quem fratrem Jesu-Christi dicit, commemorat; imo de ipso Christo testimonium clarissimum

habet. Scribit enim *(Antiq. Judaic.* L. 18. n. 3) : « Fuit autem » hoc tempore Jesus vir sapiens : si tamen virum illum oportet » dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister » hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos » quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. » Hic erat Christus; cumque eum a primoribus gentis suæ » accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non » abstiterunt, qui primum cœperant. Nam post diem tertium » redevivus ipsis apparuit : cum divini vates hæc aliaque quam » plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem » defecit denominatum ab eo christianorum genus. »

Quidam auctores authentiam hujus testimonii negarunt; sed Huetius, Bretschneider, Böhmert, Schödel, Mayaud, Langen et Danko plene demonstrarunt hoc testimonium ut certe authenticum haberi debere. — Philo, alius auctor Judæus qui tempore Christi scripsit, de Christo nihil dicit : sed hoc non est mirum, cum ipse nunquam in Judæa sed constanter Alexandriæ commoratus sit. Præterea, quemadmodum ipse nihil de Christo, ita etiam de aliis factis, quæ tunc in Judæa peracta sunt, nihil narrat. — Testibus S. Justino *(Apol.* I. 48) et Tertulliano *(Apol.* c. 21) Pilatus, Judææ procurator, relationem de morte Christi misit ad Senatum populumque Romanum. Ita Justinus in loco citato, ubi mortem Christi memoravit, addit : « Atque » hæc ita gesta esse ex *Actis* sub Pontio Pilato confectis discere » potestis. » — Tacitus, sæc. I. scriptor in Annalibus suis (XV, 44) de Christianis agens dicit : « Abolendo rumori Nero subdidit reos » et quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus » Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus Tiberio » imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio » affectus erat; repressaque in præsens exitiabilis superstitio » rursum erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus » mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut » pudenda confluunt celebranturque. » — Præterea Celsus, teste

Origene (*Contra Celsum*, L. I et 2), plurium miraculorum Christi veritatem historicam admisit.

Quibus omnibus argumentis bene attentis, recte concludimus cum Eusebio (*Demonst. Evang.* L. III. c. 5) : « Credere oportet » Jesu discipulis, vel non; quod si hisce viris deneganda est » fides, et aliis omnibus deneganda erit, quicumque unquam vel » apud græcos, vel apud barbaros, vitas et orationes et memo- » ratu digna scripserunt eorum qui variis temporibus suis bene » ac facinorose gestis claruerunt. Aut si reliquis quidem omnibus » credere, discipulis vero Christi solis non credere, æquum esse » dicis, quomodo non patebit invidia? »

IV. Objectiones. 1° Multæ, aiunt adversarii, existunt inter variorum Evangelistarum narrationes differentiæ. Jamvero narrationes inter se pugnantes non possunt simul esse veræ. Ergo.

R. *a)* Istæ differentiæ, supposita earum existentia, saltem ex omnium consensu sunt tantum accidentales : nullatenus enim substantiam historiæ sed tantum accidentales ejus circumstantias respiciunt. Jamvero adversarii, qui nunc nos impugnant, non de divina sed de humana Scripturæ tractant auctoritate; et hæc humana auctoritas non ruit, si error detur in quibusdam accidentalibus narrationis punctis. Ergo immerito nobis has differentias in præsenti quæstione objiciunt. — *b)* Præterea falso asseritur inter Evangelia veras haberi differentias; contradictiones enim, quæ opponuntur, sunt tantum apparentes, et plene ab interpretibus S. Scripturæ solvuntur; facile enodantur, ubi attenditur ad diversitatem scopi, rationis scribendi et qualitatum auctorum.

Obj. 2° Evangelium S. Joannis et alia tria non possunt simul esse vera quia modus loquendi Christi apud Joannem et apud tres alios omnino est diversus. « Si Jésus, ait Renan, *Vie de* » *Jésus* p. XXIX, parlait comme le veut Matthieu, il n'a pu » parler comme le veut Jean. »

R. Diversitas ista facillime explicatur, si attendatur ad

sequentia : *a)* In Evangeliis Matthæi, Marci et Lucæ referuntur sermones Christi familiares de virtutibus modoque sancte vivendi, dum Joannes refert sermones Christi eminenter dogmaticos et mysteriis plenos de Deo, de divinitate Verbi, de Spiritu Sancto, de gratia et de Eucharistia. Jamvero mirum non est hosce diversos esse ab istis aliis. — *b)* Apud Evangelistas habetur sæpe tantum sensus sermonis, et non ipse sermo Christi. Jamvero ille qui refert tantum substantiam sermonis potest et debet illam vestire forma styli sibi propria. Unde intelligitur, quomodo sermones Christi apud Joannem et ipsa verba Joannis eamdem exhibeant formam.

Obj. 3° Renan in libro suo *Vie de Jésus*, præcipue hoc argumento nititur ad librorum N. T. veracitatem impugnandam : Apostoli, ait, præconcepta idea Messiæ venturi miraculaque patraturi detinebantur ; atque inde ita ratiocinati sunt : Messias venturus faciet miracula ; atqui Jesus est Messias ; ergo miracula faciat necesse est. Hoc ratiocinio decepti Apostoli sibi finxerunt, bona quidem fide, Jesum patravisse miracula quia ipsum ut Messiam habebant et aliis demonstrare volebant, quod ipse verus esset Messias.

R. Totum argumentum jam omni destituitur valore ex parte suæ originis. Illud enim proposuit Renan, non aliqua solida ratione motus, sed quia opinabatur miracula institutionemque cultus supernaturalis esse impossibilia. « Jusqu'à nouvel ordre, » ait, p. LII, nous maintiendrons donc ce principe de critique » historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme » tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture, que le » devoir de l'historien est de l'interpréter et de rechercher » quelle part de vérité, quelle part d'erreur il peut recéler. » Jamvero hoc principium est omnino falsum, uti ex dictis in priori hujus demonstrationis parte constat ; ergo. — Præterea directe evertitur hoc argumentum ex iis, quibus demonstravimus quod auctores librorum N. T. potuerunt verum cogno-

scere, quod non deceperunt, et quod non potuissent decipere, etiamsi id facere voluissent. Ad motiva, quæ in ista demonstratione attulimus, nihil respondet Renan; et ad suam theoriam stabiliendam non multum curat argumenta proponere : aliquem modum explicandi originem horum librorum in imaginatione sua quærit; et modum, qui præ cæteris ipsi placet, tamquam inconcussam veritatem proponit ac tuetur. Hic accidit D^no^ Renan, quod omnibus a veritatis via voluntarie aberrantibus contingit; nolunt nempe argumenta vera solidaque accipere, eaque spernunt ut inepta et futilia, atque simul tamquam argumenta inconcussa habent, quæ nihil aliud sunt ac imaginationis figmenta.

CAPUT SECUNDUM

De veritate divinitatis Revelationis Christianæ

I. Materia tractanda. Postquam historicam revelationis Christianæ veritatem scientifice demonstravimus, jam inquirendum est, an hæc revelatio vere divina sit dicenda : quæ quæstio est ultimus finis, quem in Demonstratione Christiana intendimus.

Qua ratione de divinitate alicujus revelationis inquirendum sit, jam novimus ex dictis supra cap. III. p. 142 et seqq. .... Ibi enim vidimus divinitatis alicujus revelationis *signa certissima et omnium intelligentiæ accommodata* esse miracula et prophetias; et præter ista adhuc alia haberi signa interna tum positiva tum negativa, quæ etiam magnæ sunt utilitatis, sed minoris tamen quam duo illa priora. Quapropter, ut plene et perfecte præsentem solvamus quæstionem, inquiremus imprimis, an Christi revelatio miraculis et prophetiis certis et manifestis sit comprobata; ac dein an etiam internis tam positivis quam negativis divinæ originis notis gaudeat. Si enim veras divinæ

revelationis notas in Christi doctrina inveniamus, certo constabit, hanc doctrinam vere esse divinam.

II. Materiæ distributio. Hanc materiam in duas distribuemus sectiones, quarum prior erit de comprobatione doctrinæ Christi per signa externa, per miracula et prophetias; et altera de comprobatione hujus doctrinæ per notas internas.

Sectionem priorem rursus dividemus in duos articulos, quorum prior erit de prophetiis et alter de miraculis. Prius agemus de prophetiis quam de miraculis, quia multæ prophetiæ, quibus Christi doctrina comprobatur, ordine temporis miracula in ejus favorem patrata præcedunt.

Sectionem autem posteriorem pariter distinguemus in duos articulos, quorum prior erit de notis internis positivis, et alter de notis internis negativis.

SECTIO PRIOR

De divinitate revelationis Christianæ per prophetias et miracula comprobanda

—

ARTICULUS PRIOR

De Prophetiis

Prænotandum. Duplex prophetiarum classis hic est distinguenda : una, quæ complectitur omnes prophetias in veteri Testamento de Messia factas et in Christo adimpletas; et altera, quæ illas prophetias continet, quas ipse Christus Dominus in missionis et doctrinæ suæ confirmationem fecit; atque prior classis non minus apta est quam posterior ad divinitatem religionis christianæ comprobandam. Ex eo enim, quod prædictiones prophetarum V. T. in Christo sunt effectu completæ, liquet hos prophetas ex divina inspiratione esse locutos; jamvero hi pro-

phetæ in doctrina sua, quam prædictionibus firmabant, clare docuerunt Messiam esse verum Dei legatum; ergo ex antiquis prophetiis directe comprobatur revelationis christianæ divinitas. Inde præsentem articulum in duas dividemus paragraphos, quorum prior tractabit de prophetiis veteris Testamenti, et alter de prophetiis ab ipso Christo factis.

§ I.

Q. Quænam sunt præcipuæ Veteris Testamenti prophetiæ quæ Messiam prænuntiant et in Christo sunt impletæ?

R. *Hæ prophetiæ possunt in tres classes dividi : respiciunt vel* **a**) *Messiæ* characterem; *vel* **b**) tempus, *quo venire debuit; vel* **c**) *individuas notas tum* personæ *tum* vitæ.

—

Ad primam classem pertinent prophetia Gen. III. 15 : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et » semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis cal- » caneo ejus; » *et innumeræ illæ prophetiæ quæ de Christo prænuntiant, quod fœdus antiquum per Moysen conditum aboleret novique testamenti mediator existeret, quod sacrificia antiqua aboleret, et seipsum in hostiam Deo placentem offerret, et quod ad Ecclesiam, quam fundaret, omnes vocaret nationes.*

Ad secundam classem præcipue pertinent prophetia Jacob, Gen. XLIX, 10 : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de » femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit ex- » spectatio gentium; » prophetia Daniel. IX, 24 et *seqq.* « Septua- » ginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et » super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio et » finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur » justitia sempiterna et impleatur visio et prophetia et ungatur » Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte. Ab exitu ser-

» monis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum » ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ » erunt; et rursum ædificabitur platea et muri in angustia tem- » porum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; » et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem » et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis » ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit » autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdo- » madis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abomi- » natio desolationis; et usque ad consummationem et finem per- » severabit desolatio; » *et Aggæi*, II, 7 *et seqq* : « Adhuc unum » modicum est, et ego commovebo cœlum et terram et mare et » aridam. Et movebo omnes gentes : et veniet desideratus cunctis » gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exer- » cituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus » exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus » quam primæ, dicit Dominus excercituum : et in loco isto dabo » pacem, dicit Dominus exercituum. » *Quibus prophetiis ad- jungi debet et illa Malachiæ* III, 1 : « Ecce ego mitto angelum » meum : et præparabit viam ante faciem meam; et statim veniet » ad templum suum Dominator, quem vos quæritis et angelus » Testamenti, quem vos vultis. »

Ad tertiam classem pertinent omnes illæ prophetiæ, quæ respiciunt Messiæ ortum et nativitatem, ejus modum docendi, ejus miracula, ejus qualitates morales, ejus passionem et mortem, ejusque resurrectionem et exaltationem.

A.

De prophetia Geneseos, cap. III, 15.

—

I. Quis est verus sensus istius textus? Præsens textus desumptus est ex historia lapsus Protoparentum in Genesi c. III narrata, quam integre explicabimus in Tractatu *de Deo creatore*.

Ibi enim ostendemus hanc narrationem intelligendam esse non metaphorice sed proprie, de vera nempe tentatione a diabolo sub specie serpentis loquente peracta, de vero lapsu Protoparentum et de vera punitione tum Protoparentibus, tum etiam diabolo et serpenti a Deo inflicta. Citata verba pœnam constituunt quam Deus contra diabolum edixit. Sequentem autem habent sensum : in punitionem seductionis, qua humanum genus devicisti felicique sua sorte spoliasti, bellum suscitabo inter te et aliquam mulierem, inter te tuosque asseclas, et filium mulieris ; sicuti tu bellum fecisti homini, ita suscitabitur a me filius quidam mulieris, qui bellum faciet tibi ; et in hoc bello iste filius mulieris conteret caput tuum, dum tu occides eum (dicitur hic *insidiari in calcaneo,* quia serpentes solent homines in calcaneo mordere et ita eos occidere); h. e. filius iste per mortem, quam per homines malos ipsi inferes, auferet a te victoriam, quam nunc ab homine retulisti, seu liberabit hominem a perditione, quam ipse per seductionem tuam suumque in eam consensum incurrit.

Ad hanc interpretationem stabiliendam, sequentia tantum sunt notanda :

a) Imprimis certe constat hasce inimicitias inter mulierem et serpentem non in sensu proprio, de futuro scilicet odio, quod mulieres haberent erga serpentes, deque futura earum per serpentes impugnatione et læsione, sed in sensu symbolico, de futuris nempe inimicitiis inter mulierem ejusque semen et diabolum semenque ejus habendis, esse accipiendas. — Hæc verba in prædicto sensu proprio accipi non posse, in oculos occurrit; nam 1° vox hebraica *inimicitiæ* nunquam alias inimicitias significat, ac quæ intercedunt inter eos, qui ratione sunt præditi. 2° Istæ inimicitiæ proponuntur ut insigne Dei opus; jamvero odium, quod inter homines et serpentum genus existit, non speciale Dei opus, sed res omnino naturalis est. 3° Si sermo hic instituatur de odio, quod inter serpentes et homines existeret, non est ratio, cur mulier sola et non potius vir et mulier

seu solus vir, qui in humano genere primas tenet partes, nominentur, cum tamen serpentum genus non minus viris quam mulieribus odiosum et noxium sit. — Ab altera autem parte, si sub serpente ens ratione præditum intelligi debeat, ista persona alia esse non potest ac diabolus : ipse enim per serpentem locutus est atque protoparentes seduxit, solumque est ens rationale quod præter Protoparentes, locum in hac narratione occupat.

b) Per verba : *mulierem et semen ejus*, nec Eva, nec mulieres in universum, nec universum hominum genus ex mulieribus nasciturum, sed una quædam determinata ab Eva distincta mulier, unusque determinatus hujus mulieris filius debent intelligi. — Etenim imprimis quod ad vocem *mulierem* attinet, hæc non potest intelligi vel de Eva vel de mulieribus universim, quum non magis his quam Adamo cæterisque viris inimicitiæ cum diabolo futuræ essent. Dein quominus hæc vox de mulieribus universim intelligatur, etiam obstat sensus verborum *semen ejus*, quæ certe de una quadam determinata persona sunt accipienda. — Hæc verba *semen ejus* ita esse accipienda, indubie constat : 1° Si universum humanum genus hic esset intelligendum, non est ratio cur excluderetur Adam. 2° Nunquam humanum genus hac appellatione « *semen mulieris* » vocatum invenimus apud scriptores sacros, sed potius « *natos mulierum;* » verum unus alicujus feminæ filius *semen ejus* ab illis est vocatus (Cfr. *Gen.* IV, 25; I *Reg.* I. 11). 3° Ubi collectivum aliquod nomen occurrit, et pronomen sequitur, quod ad illud pertinet, pronomen hoc plurali semper numero effertur, uti ab omnibus admittitur; jamvero habetur in sequentibus verbis hujus sententiæ pronomen, quod ad vocem *semen* pertinet, quemadmodum sub litt. *c)* ostendemus; et illud ponitur in singulari; ergo. — Nec huic interpretationi vocum *semen ejus* obstat, quod voces *semen serpentis* in collectivo sensu, de pravis et impiis hominibus sunt intelligendæ, cum ex communi usu Scriptorum sacrorum constet, sub hac locutione omnes

homines qui Satanam imitantur eumque in sua contra Deum rebellione sequuntur, intelligi solere.

c) In phrasi : *ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus,* pronomina *ipsa* (hebraice, *ipse)* et *ejus* intelligenda sunt non de muliere, sed de semine ejus. Etenim 1° legitur *ipse* in omnibus fere codicibus hebraicis et in omnibus antiquis versionibus. Neque desunt codices vulgatæ, in quibus hoc pronomen ad *semen* refertur. Bellarminus *De verbo Dei,* L. 2. c. 12 dicit : « editionem vulgatam varie habere, quosdam » codices habere *ipse,* nec esse contra vulgatam editionem, si » convincatur debere legi *ipse* vel *ipsum.* » 2° Verbum « *conteret* » in hebraico textu (in hebraica lingua dantur in verbis formulæ distinctæ pro masculino et feminino genere) ponitur in masculino; et pariter pronomen *ejus* masculinum est : unde manifeste liquet hic non de muliere sed de filio ejus sermonem fieri.

d) In textu, de quo hic inquirimus, proponitur pœna a Deo, propter Protoparentum seductionem diabolo illata. In antecedentibus verbis proponitur pœna viri, mulieris et serpentis; et post hæc venit pœna diaboli, qui prima fuit lapsus Protoparentum causa. Jamvero alia pœna diabolo, cum ipse jam extra statum viæ versetur ac proinde ultra demereri novaque pœna in inferno affligi non possit, ei non poterat indici, ac destructio istius victoriæ, quam de humano genere retulerat. Nihil magis cupit diabolus, uti e tota Scriptura patet, quam homines salute æterna privare eosque secum in æternas inferni detrahere flammas; summa enim invidia movetur, atque ideo multum desiderat, homines torquere æternaque felicitate spoliare, quemadmodum homines pravi et corrupti hujus mundi id etiam facere cupiunt atque conantur. Ergo supponendum hic est, diabolo in pœnam hisce verbis indici destructionem victoriæ per ipsum ab homine relatæ et hominis in priorem salutis viam restitutionem,

Quibus omnibus attentis liquet, in hac prophetia sub imagine pugnæ inter serpentem et mulierem ejusque filium a Deo suscitatæ, atque serpentis in calcaneo istius filii mordentis et filii, dum mordetur, serpentis caput pede conterentis, proponi quod a Deo suscitarentur mulier et filius mulieris qui, quemadmodum diabolus bellum gesserat contra Protoparentes ad eos statu gratiæ privandos, bellum gererent contra diabolum ad eum victoria sua ab humano genere relata privandum hominesque rursus in statu gratiæ restituendos; et quod in hac pugna filius ille mulieris occideretur quidem a diabolo, ab asseclis scilicet diaboli, sed simul, ubi occideretur per hanc ipsam occisionem diabolum devinceret victoriaque sua de humano genere relata privaret. — In bello isto serpens mordebit filium mulieris eumque occidet, sed ipse ille morsus est causa ejus ruinæ; nam dum mordet, ejus caput per calcaneum filii mulieris conteritur : qua imagine expresse significatur quod diabolus occideret filium mulieris a Deo suscitandum, sed quod simul hæc mors filii mulieris esset ruina imperii diaboli.

II. Quid igitur est prædictum in hac prophetia? Prædictum in ea est, quod per mulierem ejusque filium everteretur potestas, quam diabolus per Protoparentum lapsum in humanum genus acquisierat; seu quod per ipsos deleretur peccatum : et quod hæc eversio diabolicæ potestatis seu deletio peccati ita fieret : occideretur iste filius mulieris, sed per hanc suam mortem deleret peccatum atque diabolicam everteret potestatem.

III. Quomodo hæc prophetia est in Christo impleta? Hanc prophetiam in Christo perfecte impletam esse manifeste liquet : Imprimis ipse est secundum proprium vocis sensum *filius mulieris;* nam natus est ex Maria, quæ concepit non ex commercio cum viro sed ex actione miraculosa Dei. Dein in tota sua prædicatione constanter declaravit se venisse ad delendum peccatum evertendumque diaboli imperium, uti fere omnes N. T. paginæ testantur. Tandem ipse vere est occisus ab asseclis

diaboli; fuit nempe ab impiis crucifixus; sed per hanc suam mortem satisfecit Deo pro peccatis et eorum remissionem restitutionemque priorum bonorum obtinuit; et quod vere satisfecit pro peccato peccatumque delevit, clare demonstravit resurgendo a morte cum dotibus gloriosis : per peccatum enim deperdita erant omnia dona humanæ naturæ superaddita; proinde liquet horum donorum restitutionem esse signum manifestum remissionis peccati.

B.

De Prophetiis, quæ de Messia prænuntiant, quod fœdus antiquum per Moysen conditum abrogaret novique testamenti mediator existeret, quod sacrificia antiqua aboleret et seipsum in hostiam Deo placentem offerret, et quod ad Ecclesiam, quam fundaret, omnes vocaret nationes.

—

I. De Prophetiis fœderis antiqui abolitionem novique fœderis institutionem prænuntiantibus. *a)* Mosaicæ legi aliam legislationem et quidem auctoritate divina successuram esse, apertissime prænuntiatur apud *Jerem.* XXXI, 31 sqq. : « *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et* » *domui Juda fœdus novum : non secundum pactum, quod* » *pepigi cum patribus eorum... sed hoc erit pactum : ... dabo* » *legem meam in visceribus eorum.* » Nemo non videt hisce verbis non legis antiquæ, quæ lapsa erat, post captivitatem babylonicam reductionem, sed legem novam a mosaica lege omnino diversam promitti. Nam 1° locutiones *dare legem novam, ferire fœdus novum* non dicuntur de pristinæ legis, quæ lapsa est, reductione, sed tantum de lege nova, quæ antea non exstabat, condenda. 2° Dein pactum hoc novum, legemque novam, quam se daturum promittit Deus, opponit legi veteri :

« *fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum* » *patribus eorum;* » at in data explicatione adhuc permansisset pactum idem, quod olim pepigerat Deus cum Judæis. 3° Tandem in ipsis prophetiæ verbis declaratur specialis character novæ legis : hoc erit pactum : « *dabo legem meam in visceribus* » *eorum;* » h. e. legem hanc novam non externe tantum proponam, sed interne per lumen gratiæ, homines in cordibus eorum docebo. Jamvero lex antiqua vi sacrificiorum et rituum sacrorum suorum nullam obtinebat gratiam; ac proinde ex sua natura tantum externe proponebatur seu omni gratiæ influxu erat destituta : conferebatur quidem sub hac lege gratia, verum non virtute istius legis, sed virtute futurorum meritorum Christi. Ergo lex illa nova, quæ hic promittitur omnino a lege antiqua est distincta. (Cfr. etiam *Deut.* XVIII, 15, 18 et 19.)

b) Hanc prophetiam in Christo plene esse impletam, facillime ostenditur. Christus enim novi fœderis mediatorem et novi testamenti angelum se dixit vivens, et moriens etiam probavit. Sic in ultima cœna sanguinem suum discipulis porrigens dixit : « *Hic est sanguis meus novi testamenti;* » quibus in verbis manifeste alludit Christus ad sanguinem victimarum, quo vetus testamentum sancitum fuerat (fœdera divina semper sanciuntur sacrificiis utpote supremis religionis actibus), et proinde hisce verbis significat hoc suo sanguine novum fœdus, quod ipse condidit, sanciri et confirmari. Opponit nempe novum testamentum, cujus ipse auctor est, veteri cujus minister Moyses, corpus suum, Deo immolatum, vitulis, sanguinem suum sanguini vitulorum, apostolos suos reliquosque fideles populo Israël, aspersionem sanguinis vitulorum potationi sui sanguinis. Sanguinem ergo suum vocat sanguinem *novi testamenti* quia ejus effusione et consequente corporis sacrificatione sancitum, ratum et confirmatum est *novum testamentum*. Præterea Christus etiam expresse declaravit legem, quam promulgabat, a Deo in visceribus vere dari, h. e. interne per gratiam doceri. Ita

Joan. VI. 44 et 45 : « *Nemo potest venire ad me, nisi Pater* » *meus traxerit eum* » (h. e. nemo potest in me salutariter credere, nisi Pater meus eum gratia sua illustraverit et ita ad me attraxerit);... « *omnis qui audivit a Patre et didicit, venit* » *ad me,* » h. e. omnis qui interne gratia divina est instructus et secutus est hanc divinam vocem, venit ad me, seu credit in me. — De novo autem fœdere, cujus Christus auctor et confirmator est, sæpe loquuntur Apostoli; ita S.Paulus dicit II. *Cor.* III. 6 : « *Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* » et *Hebr.* VII, 22 : « *Melioris testamenti sponsor factus est* » *Jesus.* »

II. De Prophetiis abolitionem veterum sacrificiorum novumque sacrificium, in quo ipse Messias sese offerret prænuntiantibus. *a)* Abolenda esse vetera sacrificia clare prædixit Daniel, IX, 27 dicens : « *In dimidio hebdomadis* » *deficiet hostia et sacrificium;* » et Malachias I, 10, 11 : « *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercitum,* » *et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim* » *solis usque ad occasum magnum est nomen meum in* » *gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini* » *meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in* » *gentibus.* » — Quod autem Messias seipsum in hostiam cruentam Deo offerret, prædixit Isaias LIII, 5. « *Ipse vulne-* » *ratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter* » *scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et* » *livore ejus sanati sumus;* » h. e. Messias tamquam victima piacularis vulnerabitur (propheta res futuras in visione sua ut præteritas contemplatur et inde eas sub præteriti forma sæpe exprimit) ad subeundam pœnam iniquitatum nostrarum; confringetur multis magnisque passionibus externis et internis ad satisfaciendum pro sceleribus nostris; pœna ad pacem seu salutem nostram instaurandam ipsi incumbet et ab eo feretur; et livore in ejus carne ex plagis, verberibus et flagellis orto

sanabimur a peccato nostro et ab omnibus effectibus ejus. Præterea ex citatis Malachiæ verbis constat quoque, quod Messias se etiam offerret incruento modo in omni loco ab ortu solis usque ad occasum. Quod ut pateat, sequentia circa hunc textum animadvertantur.

1° In hac prophetia Malachiæ certe prænuntiatur sacrificia legis mosaicæ esse abolenda et novum sacrificium eis esse substituendum a prioribus omnino diversum. 2° Hoc sacrificium novum pertinet ad legem novam, legi veteri per Messiam substituendam; dicitur enim quod offeretur *in omnibus gentibus, ab ortu solis ad occasum;* jamvero hæc universalitas est nota novi fœderis, uti mox videbimus, et nullatenus inerat legi veteri, quippe quæ essentialiter nationalis esset. 3° Hoc sacrificium novum est sacrificium incruentum : in hebraico enim textu habetur vox *mincha*, quæ semper in re liturgica, iis solis casibus exceptis in quibus metaphorice sumitur, significat sacrificium incruentum ex pane et vino vel ex frugibus constans. 4° Hoc sacrificium erit mundum h. e. essentialiter mundum seu tali munditie decoratum, quæ non a sacerdotibus novæ legis proflueret, sed ipsi ejus naturæ intrinsece et essentialiter inhæreret. Cum enim declaret Deus se respuere sacrificia antiqua, quia sæpe hostiæ pollutæ ei offerebantur, et dein addat, quod sacrificium mundum ei sub nova lege in omni loco offerretur, aperte innuitur pretium hujus novi sacrificii non a dispositione sacerdotum novæ legis, sed ex ipsa oblationis natura esse repetendum. Nam si ab homine promanaret, non secus ac in veteri lege plerumque deficeret, cum moraliter fieri non possit, ut semper et ubique omnes veræ Ecclesiæ sacerdotes sancte vivant, sancteque sacrificent. — Jamvero alia hostia non habetur, quæ ex offerentis pravitate maculari nequeat, et ex seipsa semper pura et sancta sit, ac ipse Messias, qui venit tollere peccata mundi. — Ergo prænuntiatur in Malachiæ prophetia quod Messias seipsum ab ortu solis usque ad occasum ubique offerret in

hostiam mundam, Deoque semper placentem, et quod hæc immolatio fieret incruento modo, uti ex dictis sub 3° constat.

b) Hæc autem in Christo perfectissime esse impleta, clare nobis testatur Scriptura. Evangelii enim textus nobis plenam dat narrationem de modo, quo Jesus juxta Isaiæ prædictionem vere pro nobis passus et mortuus sit; et S. Paulus in epistola sua ad Hebræos late demonstrat, quomodo hoc sacrificium mortis Christi omnes veteris legis hostias longe præcellat. — Prophetia autem Malachiæ adamussim impletur per sacrificium Missæ, in ultima cœna tamquam hostiam Novi Testamenti, loco hostiarum antiquarum a Christo institutum, et ab hoc momento usque nunc in omni loco ab ortu solis ad occasum celebratum, atque ad finem mundi usque ubique celebrandum.

III. De prophetiis omnium gentium ad novam legem vocationem respicientibus. *a)* Nihil clarius et frequentius a prophetis prænuntiatum est, quam omnium totius mundi gentium vocatio ad novam Ecclesiam a Messia fundandam. Ita Osee II, 24 legitur : « *Dicam non populo meo : populus meus* » *es tu,* » h. e. iis populis, qui nunc non sunt populus meus, quibus nunc legem specialem non dedi, scilicet gentibus dicam : populus meus es tu, seu eos faciam populum meum, seu eos assumam in ecclesiam meam. Malach. I, 11 prædicitur, uti jam notavimus : « *a solis ortu usque ad occasum magnum est* » *nomen meum in gentibus.* » Dein Deus Abraham, Isaac et Jacob expresse promiserat omnes gentes in semine ipsorum h. e. in promisso Messia esse benedicendas, seu omnes gentes ex Messia ejusque lege salutem esse consecuturas. Pariter in psalmo II legitur in prophetica visione a Patre cœlesti Messiæ dictum esse : « *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem* » *tuam et possessionem tuam terminos terræ;* » h. e. si vis te in sacrificium pro peccatis totius mundi offerre et ita imperium totius mundi a me postulare, tibi submittam omnes gentes, seu extendam imperium tuum usque ad ultimos fines terræ.

Præterea sexcenties vocant prophetæ Messiam, *lumen gentium, exspectationem gentium, adorandum ab omnibus gentibus, coram quo procident Æthiopes et insulæ gentium, signum populorum*, etc.

b) Nihil in Christi lege clarius est expressum, quam hæc omnium gentium ad novam Ecclesiam vocatio; et si SS. Litteræ hac de re silerent, facta ipsa et orbis universus loquerentur. Antequam enim Christus in cœlum ascendit, apostolis suis dixit : « *Euntes in mundum universum, prædicate Evange-* » *lium omni creaturæ.* » (Marc. XVI, 15.); et « *illi* (Apostoli) » *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et ser-* » *monem confirmante sequentibus signis.* » (Marc. XVI, 20).

C.

De Prophetia Jacob. Gen. XLIX, 10.

—

I. Demonstratur in hac prophetia tempus adventus Messiæ clare determinari. Hæc prophetica verba desumpta sunt e sermone, in quo Jacob moriens familiam suam in duodecim domos seu tribus divisit, atque singulis benedictiones impertivit. Sortem familiæ seu tribus Juda definiens et prænuntians, dixit Jacob : « *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de* » *femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit* » *exspectatio gentium.* » Jamvero ille *qui mittendus est* alius non est ac Messias; et tempus adventus illius *qui mittendus est* in prædicta sententia determinatur. Ergo in prophetia Jacob determinatur tempus adventus Messiæ.

a) Probatur locutionem : « qui mittendus est » *de Messia esse intelligendam.* Id probamus imprimis ex ipsis illis vocibus. Pro locutione *qui mittendus est,* habetur in hebraico textu vox *schiloh,* de cujus significatione multum disputatum est. 1° Vulgata nostra legit *qui mittendus est;* quæ versio est orta

ex corruptione vocis *schiloh*. 2° Alii putant vocem *schiloh* significare *filius ejus*, ac proinde sensum esse *donec veniat filius ejus;* sed hæc interpretatio caret argumentis. 3° Alii dicunt legendum esse *schello* pro *ascherlo* atque ideo sensum esse : « *donec veniat cui* competit hoc sceptrum vel cui repositum est hoc sceptrum ; » verum hæc lectio videtur arbitraria nulloque documento certo innititur. 4° Quæ nobis præplacet sententia dicit *schiloh* significare *pacificatorem, virum qui pacem adfert;* derivatur nempe hæc vox a verbo *schalam*, quod significat *amicum facere, reconciliare, pacare :* quod ex pluribus aliis vocibus ex eodem verbo derivatis clare constat. Jamvero nullum nomen magis congruit Messiæ, quam nomen *pacificatoris;* nam non solum pax exhibetur in Scriptura uti character et nota generalis Messiæ ejusque regni, sed etiam ipse vocatur *pax* h. e. auctor pacis (Mich. V, 5) et *princeps pacis* h. e. princeps qui pacem adferet (Isai. IX, 6). Per pacem autem intelligitur status pacis inter hominem et Deum seu status gratiæ. Ergo liquet in prophetia Jacob sermonem fieri de Messia.

Præterea idem demonstratur ex sequentibus verbis : *et ipse erit exspectatio gentium;* hebraice autem : « *et ipsi submissio seu obsequium gentium;* » h. e. ipsi servient, ipsi se submittent gentes. Jamvero ex hac nota clare etiam constat hic sermonem fieri de Messia, nam gentium ad verum Dei cultum vocatio est nota specialis Messiæ : ab omnibus enim prophetis prænuntiatur hæc universalis regni Messiæ super totum mundum extensio, omniumque gentium ad Ecclesiam Messiæ vocatio. Ergo.

b) Probatur in hac prophetia tempus adventus illius, qui mittendus est, clare determinatum esse. Determinatur hoc tempus per verba : *non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est;* ergo illo tempore veniet qui mittendus est, scilicet Messias, quando

nempe sceptrum auferetur de Juda, et dux non amplius erit de femore ejus. — Verum, quid significatur per verba *sceptrum de Juda* et *dux de femore ejus?* 1° Vox *sceptrum*, hebraice *schebet* significat proprie virgam, baculum, inde insigne potestatis, dein potestatem ipsam sive regum sive principum sive ducum, et tandem autonomiam alicujus regni vel tribus et ipsam populi vel tribus constitutivam formam sive ipsum populum vel tribum cum sua politica forma. Jamvero quum totus ille sermo sit de tribuum divisione, et vox *schebet* v. 16 et 28 certe in sensu *tribus cum forma sua politica* occurrat, concludamus oportet vocem *schebet* hic etiam istum sensum habere ac proinde significare *tribum cum sua autonomia, cum sua forma politica*. 2° Verba *de Juda* certe hic non significant *universam nationem judaicam* duodecim tribubus constantem, sed *solam tribum Juda;* id enim colligitur tum ex eo, quod singuli filii propriam acceperint benedictionem ac proinde hæc ad unum pertinere debeat; tum ex eo quod et superiora v. 8 : *Juda, te laudabunt fratres tui*, evidenter spectent ad solum Judam ejusque propaginem. 3° Vox *dux*, hebraice *decernens, statuens* designat subjectum potestatis qua populus vel tribus aliqua constituitur, et etiam jus autonomon, quo aliquis populus se suis legibus regit atque gubernat. Jamvero hic certe debet ista vox sumi in ultimo sensu, ob parallelismum cum antecedente verbo *schebet*. 4° Locutio : *de femore ejus*, hebraice, *de medio pedum ejus*, significat quod gubernatio tribus Judæ esset ex ipsis ejus visceribus h. e. ex ejus legibus, ex ejus autonomia. — Ergo quo tempore prædicitur Messias venturus? Veniet Messias, quando auferetur a tribu Juda politica sua forma et jus se propriis suis legibus regendi; uti sequitur ex interpretatione, quam de vocibus vaticinii dedimus ac stabilivimus.

II. Demonstratur Christum eo apparuisse tempore, quo juxta vaticinium Jacob Messias debebat venire. Id con-

stabit, si ostendamus tribum Juda autonomiam suam non amisisse ante tempus quo Christus venit in mundum, et eam amisisse hoc ipso tempore, quo Christus nobis apparuit. Atqui utrumque invictis demonstratur argumentis. Ergo.

a) Non amisit tribus Juda autonomiam suam ante adventum Christi : nam ex historiæ sacræ et profanæ documentis liquet, quomodo hæc tribus a morte Jacob tribuum institutoris, eam constanter servaverit. 1° Mansit certe hæc autonomia in deserto; nam lapides duodecim pectoralis summi Pontificis inscripti erant nominibus duodecim tribuum; et cum recensio facienda esset filiorum Israël, Moyses jussus est eam facere cum Aarone et duodecim principibus tribuum *(Num.* I.). 2° Post Moysen, auctoritas judicum et regum non sustulit auctoritatem principum tribuum : nam ordinationes, quæ tempore Davidis pro ministerio divini cultus factæ sunt, factæ dicuntur auctoritate principum sicut et Davidis. (1 *Esdr.* VIII. 20). 3° Post decem tribuum discessionem a Roboamo Salomonis filio, tribus Benjamin et pars tribus Simeon plurimæque familiæ ex aliis tribubus, tribui Juda sunt associatæ; sed tribus Juda inter eas sic eminet, ut sæpe illarum nulla habeatur ratio suumque nomen amiserint. Sic III *Reg.* XI, 31, 32, Ahias propheta ait ad Jeroboam : « *ecce ego scindam regnum de manu Salomonis* » *et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei.* » Pariter ubi post captivitatem assyriacam reliquiæ decem tribuum in ditionem tribus Juda concesserant, de tribu Juda sic instituitur sermo IV *Reg.* XVII, 18 : « *iratus est Dominus* » *vehementer Israëli, et abstulit eos a conspectu suo, et non* » *remansit nisi tribus Juda tantummodo :* » nulla igitur ratio habetur tribus Benjamin aut reliquiarum ex aliis tribubus, quia sola tribus Juda suam autonomiam suosque duces servaverat. 4° Ipso tempore captivitatis Babylonicæ non ita ex alieno pendebant Judæi imperio, ut suis legibus et judicibus non uterentur; quod patet ex duobus edictis Artaxerxis ab Esdra

relatis et ex historia Susannæ. Præterea si autonomia hoc tempore non exstitisset, non deperdita sed tantum suspensa fuisse dici deberet, cum breve fuerit deportationis tempus si cum duratione tribus comparetur, et cum ex prophetiis certo scirent Judæi se post definitum tempus autonomiam suam recuperaturos esse. 5° Captivitate per Cyri edictum soluta, autonomia mansit in tribu Juda : ipsa enim fere sola in patriam rediit; unde tota regio *Judæa* et *judaicum regnum* appellata est. Dein legem propriam judicesque proprios habuerunt tunc Judæi (Cfr. II *Esdr.* VII). 6° Quod ad tempora Machabæorum attinet, isti Machabæi ex electione populi judaici ac proinde tribus Juda, quæ sola superstes erat, reipublicæ præfuerunt (I *Mach.* IX et XIII), et negotia graviora ex concilio et auctoritate synedrii administrabant, uti patet ex epistolis Judæorum ad Spartiatas et ad Romanos, quæ in libris Machabæorum leguntur. Synedrium autem istud 70 viris constabat; et licet ex sacerdotali genere et ex tribu Benjamin nonnulli admissi fuissent, tribus tamen Juda, quæ sola integra remanserat, numero et auctoritate in eo superior et dominatrix semper fuit. De hoc synedrio apertissima existunt testimonia : sic Philo *(Lib. de Tempor.)* narrat : « *Sanhedrin ex domo David delevit* » *Herodes, et Ananelum quemdam et Sanhedrin ex prose-* » *lytis suffecit.* » Idem tradit Flavius Josephus *(Antiq. Jud.* L. 14. c. 17) : « *Herodes,* inquit, *regnum adeptus, omnes illos* » *judices sustulit et regem, scilicet Hircanum de Assamo-* » *nœorum (Machabœorum) gente.* » 7° Herodes, Idumæus, qui post Machabæos rex Judæorum fuit, synedrium quidem delevit, sed tamen magnum zelum pro religione judaica semper professus est, et templum propriis sumptibus magnificentissime instauravit, populumque judaicum juxta legem Moysis gubernavit. 8° Tandem sub ipsis Præsidibus Romanis neque lex sua, neque omnis judiciaria potestas a Judæis ablata fuit, uti patet ex verbis Judæorum apud *Joan.* VIII, 33 : « *nemini servivimus*

» *unquam; quomodo tu dicis : liberi eritis;* » h. e. nunquam fuimus mancipia alterius nationis, per privationem scilicet autonomiæ seu legislationis nostræ; quomodo ergo tu dicis nobis : liberi fietis? Idem liquet ex historia mulieris adulteræ et ex verbis Christi apud Matth. X, 17 : « *cavete ab hominibus;* » *tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagel-* » *labunt vos.* » Præterea Saulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accepit litteras a principe sacerdotum ad synagogas, ut si invenisset quosdam discipulos Christi, vinctos eos perduceret in Jerusalem. Sanctus Stephanus publice coram *concilio* accusatus est, et auditis falsis testibus, publico judicio condemnatus et morte mulctatus. Flavius Josephus etiam refert hæc verba Titi, quibus Judæos obsidione pressos paulo ante urbis vastationem alloquebatur : « *Leges vobis servavimus* » *patrias, et vivere vos, non solum discretos, sed cum* » *aliis etiam, vestra voluntate concessimus.* » Fatendum tamen est jurisdictionem capitalem non semper a Præsidibus Romanis relictam fuisse Judæis.

Liquet igitur tribum Juda ab institutione sua per Jacob ad tempus illud, quo Præsides Romani præerant Judæis et sub ipso hoc tempore, autonomia sua, h. e. sua forma constitutiva, sua lege sibi propria, lege scilicet mosaica, judicibus suis et civili aliqua jurisdictione, licet sub variis vixerit gubernii formis, privatam nunquam fuisse. Jamvero sub tempore Præsidum Romanorum, natus est Jesus Christus, nempe sub Pontio Pilato, uti Lucas III, v. 1, testatur. Ergo ad tempus adventus Christi tribus Juda autonomiam suam non amiserat.

b) Amisit tribus Juda autonomiam suam hoc ipso tempore quo Christus apparuit, et gentes se ipsi submittere incepe-runt; quæ submissio nota est Messiæ propria, uti ex vati-cinio Jacob liquet. Per excidium nempe urbis Hierosolymitanæ sub Vespasiano et Tito, anno 70 post Christi nativitatem, hæc tribus totam suam deperdidit autonomiam, amisit nempe re-

gionem suam, legem suam, instituta sua, judices suos, totamque politicam suam constitutionem, ac per orbem incepit vivere dispersa, ab omnibus irrisa et contempta. Triginta igitur circiter annis postquam Christus morte sua peccatum deleverat, et hoc ipso tempore quo ejus Ecclesia incipiebat in gentibus stabiliri et propagari, destructa est autonomia tribus Judæ; ac proinde adventus Christi perfectissimo, quo potest modo, concurrit in tempus, quo tribus Juda autonomiam suam deperdidit.

Manifestissime igitur constat prophetiam Jacob in Christo esse impletam; nuntiavit nempe Jacob ecclesiam veteris legis perseveraturam esse in tribu Juda, usquedum veniret Messias, qui novam Ecclesiam fundaret in quam omnes gentes intrarent; et ecce eo ipso tempore, quo Jesus Christus venit et gentes in ejus Ecclesiam intrare cœperunt, cecidit et penitus deleta est illa ecclesia antiqua, quæ constanter in tribu Juda perseveraverat.

D.

De Prophetia Danielis, c. IX.

—

Ut cognoscamus hanc prophetiam vere tempus adventus Messiæ prænuntiare eamque in Christo plene esse impletam, sequentia sunt inquirenda : *a)* an in hac prophetia vere de Messia fiat sermo; *b)* an in ipsa tempus adventus Messiæ determinetur; *c)* quid in ea intelligendum sit per vocem hebdomadis, unde hujus temporis determinatio maxime pendet; *d)* a quo termino computatio temporis a Daniele indicati incipienda sit; *e)* quid igitur de tempore Messiæ a Daniele sit prædictum, et *f)* quomodo id in Christo vere sit impletum.

I. An in hac prophetia vere de Messia fit sermo? Aperte ex verbis citati textus constat hic de Messia agi. Id enim colligitur : *a)* ex nominibus, quibus persona prænuntiata insignitur;

appellatur enim *Dux, Christus, sanctus sanctorum,* quibus Messias etiam in aliis Scripturæ locis insigniri solet; *b)* ex præclaris effectibus *de consummanda justitia, de adducenda justitia sempiterna, de implenda omni prophetia,* qui omnes effectus soli Messiæ adscribi possunt; *c)* ex consensu Judæorum qui, teste Flavio Josepho, semper crediderunt per hoc Danielis vaticinium tempus adventus Messiæ designatum esse.

II. An in hac prophetia tempus adventus Messiæ vere determinatur? Adventum Messiæ per Angeli verba esse præfixum invicte probatur. Sunt qui putent Angelum de tempore indefinito loqui; et inter eos alii dicunt quod numerus septuagenarius, sicut septenarius, aliquando rationem numeri indefinite magni habet, et quod hoc sensu septuaginta hebdomades apud Danielem sunt accipiendæ; alii autem dum 70 hebdomades definitas esse admittunt, inter 7, 62 et 1 hebdomades, in quas dividuntur, tempora intermedia excogitarunt.

Imprimis certo constat hunc numerum hebdomadum de numero indefinite magno intelligi non posse. Etenim 1° quamvis numerus septenarius et septuagenarius, similiter ac ternarius, quaternarius et sexcentarius apud Latinos, etiam numerum indefinite magnum exprimere possit, hæc tamen significatio primaria et communis non est, et tunc tantum numero indefinite magno attribui potest, quando consilium loquentis vel scribentis numerum indefinite longum manifeste requirit. Nam unusquisque ad cogitationes suas manifestandas, et proinde ut intelligatur, loquitur vel scribit; atque ut intelligi possit, in terminorum usu ab eo sensu, quem communis usus eis attribuit, ibi tantum recedere potest, ubi sensus eis attributus vel ex orationis serie vel ex adjunctis manifestus est. Adversarii ergo illi, qui numerum septuagenarium Danielis indefinitum esse volunt, vel ex scopo Angeli loquentis, vel ex orationis serie, vel ex adjunctis aliquid proferre deberent, ex quo Angelus in usu hujus termini a communi sensu recedens cognoscatur; quod si

præstare non possint, septuagenarium numerum aliquando indefinitum numerum exprimere immerito opponunt. Nullam autem rationem ad suam sententiam firmandam proferre possunt; imo non pauca sunt, quæ Angelum de tempore definito loqui manifestent; uti e sequentibus patebit. 2° Angelum definitum tempus nuntiare voluisse sequitur ex ejus scopo Danielem solandi : Daniel autem remissionem peccatorum præstolatus, ex eo quod talis remissio post tempus indefinite longum eventura erat, nullum verum solatium capere poterat. 3° Verba vaticinii : « *Septuaginta hebdomades abbreviatæ* (hebr. *nechtach*, h. e. » determinatæ, decisæ sunt) » cum indefinito, indeciso et indeterminato hebdomadum numero non consentiunt. 4° Septuaginta illæ hebdomades v. 24 postea in septem, sexaginta duas et unam dividuntur, quæ divisio de tempore definito agi indicat. 5° Terminus, a quo hebdomades computandæ sunt, indicatur, quod abunde ostendit, scopum vaticinii in ipso tempore adventus Messiæ determinando ita versari, ut homines in hujus temporis computatione signum adventus Messiæ quærere debeant et invenire.

Inter hebdomadum divisiones in vaticinio Danielis occurrentes intermedia tempora admitti non posse, ita demonstratur : Hæc loquendi ratio, juxta quam inter istas divisiones intermedia tempora essent admittenda, non solum inconsueta sed etiam adeo est singularis, ut nullibi aliquod ejus exemplum occurrat : unde sequitur, eam in nostro loco admitti non posse, nisi aliquid afferatur, unde Angelum ita voluisse intelligi probetur. Jamvero tale quid afferre nequeunt adversarii : imo contrarium evincitur ex rationibus, quas contra primam adversariorum opinionem protulimus.

III. Quid in hac prophetia intelligendum est per vocem « hebdomades? » Indubie constat hanc vocem neque de hebdomadibus dierum intelligendam esse, uti quis in primo aspectu opinari posset, neque de hebdomadibus mensium,

jubilæorum vel sæculorum, sicuti adversarii contendunt, sed de hebdomadibus annorum. Quod ita demonstramus :

Imprimis hæc vox non potest intelligi de hebdomadibus mensium, jubilæorum vel sæculorum, uti adversarii volunt. Etenim non aliæ sane hebdomades in Danielis vaticinio possunt intelligi, ac quas loquendi usus apud Hebræos, præsertim in SS. Litteris habet. Jamvero vox hebraica *Schabuah* (hebdomas), quæ cyclum septenarium significat (similiter ac *decas* significat cyclum denarium) per seipsam æque cyclum septem annorum ac septem dierum, imo qualiumcumque temporis mensurarum exprimere potest; sed usus loquendi apud Hebræos hanc vocem ad cyclos maxime communes, dierum scilicet et annorum coarctavit, cujus rei fundamentum in die sabbati et in anno sabbati habemus. Hebdomades annorum in tempore computando apud Hebræos adhibitas fuisse patet ex II *Parall.* XXXVI, 21; *Levit.* XXVI, 34-43 et XXV, 8, ubi legitur : « *Numerabis* » *tibi quoque septem hebdomades annorum, id est, septies* » *septem, quæ simul faciunt annos* 49. » Etiam tempore Danielis nomen hebdomadis de hebdomade annorum adhibitum fuisse constat; nam Daniel, quum c. X, 2, 3, de hebdomadibus dierum loquitur, eas esse dierum explicite indicat, cujus rei nulla fuisset necessitas, si usus loquendi solas dierum hebdomades habuisset (1). De hebdomadibus autem mensium, jubilæorum aut sæculorum non fit sermo in SS. Litteris.

Vocem hebdomadis hic accipiendam esse de cyclo septenario non dierum sed annorum e sequentibus deducitur : quæ septuaginta hebdomadibus eventura prædicuntur, ea certe septuaginta hebdomadum dierum, i. e. sexdecim mensium spatio, evenire non poterant. Fieri sane non potuit, ut quæ de urbe ædificanda, de muris et platea exstruendis in vaticinio sunt prædicta, tam brevi temporis spatio implerentur; vel ut Messias ante hebdo-

(1) Cf. Gen. XXIX, 27.

madem dierum post ejus adventum elapsam omnia quæ ipsi attribuuntur præstaret. Nisi ergo dicere velimus verba Danielis sensu carere, admittere debemus hebdomades, de quibus ipse loquitur, non dierum sed annorum esse.

IV. A quo termino computatio temporis a Daniele indicata est incipienda? Terminus, a quo istarum hebdomadum calculus est incipiendus, ita in Scriptura determinatur : « *Ab* » *exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem* » h. e. ab edicto regis de reædificanda urbe Jerusalem. Hoc autem edictum datum est ab Artaxerxe anno vigesimo regni ejus. Quod responsum sequentibus nititur argumentis.

Temporis calculum incipiendum esse ab edicto dato ab Artaxerxe Longimano anno vigesimo sui regni, ita ostenditur : Quatuor sunt edicta, quæ a Persarum regibus in favorem Judæorum emanarunt. Primum edidit Cyrus; secundum Darius; tertium Artaxerxes Longimanus anno septimo sui regni et quartum idem Artaxerxes anno vigesimo sui regni. Jamvero duo priora edicta in concedenda Judæis licentia redeundi Jerusalem ad templum reædificandum, et in restituendis illis, quæ Nabuchodonosor rex e templo abstulerat, versantur, quin de urbe ædificanda in eis sit sermo. Tertium deinde decretum de solis sacrificiis offerendis agit et solum quartum hujusmodi est decretum, cujus objectum ipsa urbis reædificatio sit, ut vaticinium Danielis requirit.

V. Quid igitur de tempore Messiæ a Daniele est prædictum? In citato Danielis vaticinio juxta supra explicata sequentia continentur : 1° dandum esse decretum a rege Persarum de urbe reædificanda, et reædificandam esse urbem cum muris suis; 2° post 69 hebdomades ab exitu istius decreti, scilicet post 483 annos a dato isto edicto appariturum esse Christum, qui deleret omnem iniquitatem, adduceret justitiam sempiternam et impleret omnes prophetias messianicas; 3° in hebdomada 70ª ab exitu istius edicti multos se ad Christum

conversuros esse, et in media hac hebdomade Christum esse occidendum atque hostias et sacrificia antiqua esse abolenda; 4° post hanc Christi ducis occisionem, secuturam esse plenam urbis Hierosolymitanæ et templi per hostilem manum destructionem.

VI. Quomodo in Christo impletum est hoc vaticinium? Ut congrue declaretur quomodo variæ illæ vaticinii partes sint impletæ, duplex distinguenda est quæstio; altera respicit *substantiam factorum* quæ prædicuntur : utrum, videlicet, revera evenerint, et quidem eo ordine quo apud prophetam exhibentur; altera proprie spectat ad *chronologiam* : utrum apparitio Christi Ducis (et proinde eventus cum ea connexi), inciderit in tempus a Daniele præsignatum, h. e. post hebdomadem annorum sexagesimam nonam, a lato decreto de instauranda urbe sancta.

a) Ipsa eventa a Daniele prædicta revera evenisse, aperte testatur historia : 1° Datum est enim ab Artaxerxe Longimano edictum de reædificanda urbe; et reapse urbs et templum a Judæis, sub ductu Nehemiæ reædificata sunt brevi tempore, mediisque in tribulationibus et pugnis, sicut propheta prædixerat. 2° Revera in Judæa publice prodiit Messias a Daniele celebratus, Jesus Nazarenus; hic enim non tantum *Messiam* se dixit illudque sui assertum, signis confirmatum, etiam sanguine suo obsignavit, verum ipse solus apud homines nomen Christi, sive Uncti *(Messiæ)*, per antonomasiam obtinuit, suisque discipulis nomen Christianorum conciliavit. Præterea, agnitus est ut Messias *Dux* sive *princeps*, quum adhuc infans, a Magis regios honores accepit; quum a Joanne Baptista prænuntiatus est tanquam auctor regni cœlorum; quum triumphans urbem ingressus, a turba Judæorum salutatus est *rex qui venit in nomine Domini*; quum coram judice Pilato regem se dixit; quum in publica crucis inscriptione appellatus est rex Judæorum, illudque semel *scriptum* immutare recusavit proconsul Romanus; quum de-

mum, inde a die Pentecostis, regia ejus legatio palam cœpit agnosci, atque ex eo tempore, a toto orbe Christiano tanquam Dux atque Messias fuit proclamatus. Nec minus constat Jesum Nazarenum se prodidisse ut *auctorem justitiæ*, bonorumque ab angelo prædictorum, eumque ut talem a societate christiana perpetuo fuisse agnitum. 3° In eadem hebdomade qua Christus apparuit, multi judæi et etiam multi gentiles ad Christum se converterunt; in media hac hebdomade, Christus (post tres nempe annos cum dimidio in vita publica transactos) a judæis occisus est et per hanc suam mortem, sacrificiis veteris legis finem imposuit. 4° Quæ mortem Christi subsecutura prædicta fuerant, etiam plenissime sunt impleta : urbs enim Hierosolymitana et templum, a Vespasiano et Tito, hostili manu eversa sunt, eorumque destructio ad excidium usque perducta est.

b) Magis ancipites hærent eruditi in solvenda quæstione proprie ad chronologiam pertinente : utrum apparitio Christi (et eventus cum ea connexi) inciderit *plane* in tempus a Daniele prædictum, h. e. in annum 483 post latum decretum Artaxerxis de urbe Jerusalem instauranda. At controversiæ hac in re exortæ, nedum auctoritatem vaticinii evertant, eam e contra singulari ratione confirmant. Etenim 1° Difficultates quas experiuntur auctores in componendo vaticinio Danielis cum calculis chronologicis, non oriuntur ex Danielis oraculo, quasi esset erroneum aut ambiguum, sed nascuntur ex imperfecta nostra ipsius chronologiæ notitia circa initium regni Artaxerxis, atque annum nativitatis et vitæ publicæ Christi (1). 2° In variis systematibus chronologicis circa regnum Artaxerxis et publicam Christi apparitionem, nulla occurrit assertio *certa*, qua vaticinium nostrum erroris argui possit. 3° *Omnibus fatentibus*, constat saltem, initium hebdomadis 69æ (an. 483) ante vitam

(1) Testimonia enim antiquorum ad has quæstiones pertinentia, aliquando secum pugnare videntur.

publicam Christi, incidere in regnum Artaxerxis (1); imo *totam* controversiam chronologicam de complemento vaticinii, versari tantum circa spatium 13 vel, ad summum, 20 annorum (2). 4° E gravissimis historiæ documentis colligere licet annum vigesimum regni Artaxerxis reponendum esse in spatium excurrens ab a. 295 ad a. 300 U. C.; et proinde finem hebdomadis 69ae ab hoc termino numerandæ, quærendum esse inter a. 778 et a. 783 U. C. Quum autem disputatio de initio vitæ publicæ Christi, reapse inter hos annos 778 et 783 U. C., tanquam duos terminos extremos agitetur, apparet limites ipsius controversiæ de complemento vaticinii, jam ad paucissimos annos (5 vel 10 ad summum) tuto posse coarctari. 5° Demum, *probabilibus* saltem *conjecturis* circa annum 20um Artaxerxis et initium vitæ publicæ Christi, computus chronologicus etiam *plane* et *adamussim* cum vaticinio Danielis potest componi.

Quod ergo spectat ad veritatem historicam vaticinii nostri, ex prædictis hæc duo rite sequuntur : 1° ex difficultate plenam instituendi consonantiam inter tempus a Daniele præfinitum, et annum quo revera Christus in publicum prodiit, concludi non potest prophetiam Danielis in Christo *non esse impletam;* nam systemata chronologica Danieli specietenus adversantes, nec levioribus laborant difficultatibus, nec gravioribus fulciuntur rationibus, quam conjecturæ adductæ ad plenam vaticinii cum

(1) Ex qualibet enim hypothesi de initio regni Artaxerxis prolata, sequitur illum certo imperium tenuisse ab a. 290-319 U. C. Annus autem quem auctores, in varias sententias divisi, initio vitæ publicæ Christi præstituunt, vagari solet inter annum 778 et 783 U. C. Si ergo ab annis 778-783 (intra quos vagatur determinatio anni apparitionis publicæ Christi), deducas annos 483 (69 hebdomadas) incidis in annos 295-300 (quibus certo regnabat Artaxerxes).

(2) Controversia enim de initio regni Artaxerxis restringitur ad annos 13 (certum est enim hunc principem nec multo ante a. 278 U. C. nec post a. 290 U. C. regnare cœpisse); disputatio de initio vitæ publicæ Christi concluditur infra limites 6 vel 7 annorum; cf. Not. (1).

documentis historicis consonantiam instituendam (cfr. dicta sub 1°, 2° et 5°). 2° Ex hoc solum, quod facta illa a Daniele de Messia prædicta, juxta omnes annorum calculos, qui proponuntur, saltem proxime accedunt ad tempus a propheta indicatum (ut ostensum est sub 3° et 4°), concludi debet, hanc prophetiam esse vere et exacte impletam, et defectum plenæ cum calculis chronologicis consonantiæ ex errore in istis calculis admisso provenire. Non magis enim potuisset propheta naturaliter scire hæc facta futura esse infra tale decennium, quam in tali anno determinato; si ergo facta, quæ prænuntiavit, evenerint versus tempus a se determinatum, manifeste liquet ipsum vere ex divina inspiratione esse locutum, ejus temporis determinationem esse exactam, totumque errorem in annorum calculis latere (1).

E.

De Prophetia Aggæi c. II.

—

I. Qualis est hujus prophetiæ sensus? Cum Judæi summa tristitia affecti essent, eo quod novum templum post reditum e captivitate ædificatum, tam splendidum ac sumptuosum non esset ac templum Salomonis, hæc Deus in eorum solatium per prophetam Aggæum dixit : « *Adhuc unum modicum est, et* » *ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam. Et* » *movebo omnes gentes : et veniet desideratus cunctis genti-* » *bus : et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exer-* » *cituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit* » *Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius* » *novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum :* » *et in loco isto dabo pacem.* » (II. 7-10). Quorum verborum

(1) Varia systemata chronologica huc spectantia, vide apud Corluy, S. J., *Spicilegium Dogmatico-Biblicum*. T. I. pp. 498 sqq. Gandavi. Poelman. 1884.

sensus est : Nolite tristes esse; post aliquod tempus magni eventus fient in mundo et apparebit salvator ille quem cunctæ gentes exspectant; et tunc implebo templum istud gloria seu ibi gloriam meam manifestabo. Quid solliciti estis de auro et argento? Meum est aurum et argentum, quæ mihi præsto sunt, quoties mihi libuerit. Gloria secundi templi major erit quam illa prioris, (quia nempe ad illud venturus est desideratus nationum, quæ gloria omni alia longe major est) et in ipso dabo pacem (pacem scilicet spiritualem in Messia, qui est princeps pacis).

II. An Prophetia ista de Messia agit? Plura argumenta id plene probant : *a)* Prædicitur scilicet secundi templi gloria major futura templi Salomonici splendore; et sicuti e tota contexta oratione deducitur, major illa gloria profluet, ex præsentia desiderati nationum. Jamvero talis persona, cujus sola præsentia templum secundum tanta decorat gloria, alia esse non potest ac Messias, Dei legatus hominumque Salvator; ergo. *b)* Persona, de qua propheta agit, vocatur *desideratus gentium;* in ejus adventu commovebuntur gentes; per eam dabit Deus pacem, et ipse erit manifestatio gloriæ Dei (locutio illa qua Deus dicitur *templum gloria implere*, semper significat in Scriptura de tabernaculo vel de templo loquente, manifestationem specialem gloriæ Dei) : quæ omnes notæ luculenter ad Messiam pertinent. *c)* Qui hanc prophetiam de Messia non intelligunt, eam interpretantur de thesauris omnium gentium in templum Hierosolymitanum congerendis : locutionem nempe *desideratus gentium* intelligunt de rebus desideratis a gentibus, scilicet de divitiis, de bonis gentium; verum nemo sanæ mentis cogitare potest hujusmodi factum hic prænuntiari, cum nullatenus cum Scripturæ doctrina consonet, atque cum contexta oratione nullatenus valeat componi. Præterea historice constat, quod templum secundum sub respectu splendoris et gloriæ materialis longe a priori fuit superatum.

III. Quid in hac Prophetia prænuntiatur de Messiæ

adventu? Clare in ea prænuntiatur Messiam venturum esse in mundum stante templo secundo, quod post captivitatem est constructum, et templum istud summo honore decorandum esse ex præsentia Messiæ.

IV. Quomodo hæc Prophetia in Christo est impleta? Ex Evangelio novimus Christum vere intrasse in templum Hierosolymitanum, illudque ita gloria implevisse atque in eo doctrinam suam pacis seu salutis, verbis et factis prædicasse. Fuit enim in templo oblatus, duodennis ivit cum parentibus in templum, in eoque insciis parentibus remansit in medio doctorum legis, ejecit de templo ementes et vendentes evertitque mensas numulariorum, absolvit in templo mulierem in adulterio deprehensam etc. — Nec dicatur templum, in quod Christus intravit, non esse templum illud post captivitatem reædificatum, sed templum tertium ab Herode constructum; nam Herodes non statim ab initio operis totum antiquum templum destruxit, quod si fecisset, templum ab ipso ædificatum omni jure tertium fuisset vocatum, sed ita antiquum templum per partes destruxit et reædificavit, ut Judæi nunquam sine templo fuerint, et ut juge sacrificium in templo offerendum nunquam defecerit. Quæ templi ædificandi ratio effecit, ut templum ab Herode constructum secundum manserit et tanquam tale a Judæis semper sit habitum.

F.

De Prophetia Malachiæ c. III.

I. Quis est sensus hujus prophetiæ? Malachias hæc verba divina refert : « *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit* » *viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum* » *Dominator, quem vos quæritis et angelus Testamenti, quem* » *vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* » Hæc sunt verba Dei Filii, qui de futura sua inter homines apparitione in

carne loquitur, et sequentem habent sensum : ecce ego mittam in mundum præcursorem meum, cujus munus erit homines ad prædicationem et ministerium meum præparare; et statim postquam apparuerit ille præcursor, veniet ad templum Hierosolymitanum ipse ille Dominus seu Rex quem exspectatis et conditor novi fœderis, quem desideratis. Ecce certe veniet, dicit Dominus omnipotens (seu Dominus exercituum).

II. An in hac Prophetia certe agitur de Messia? Hoc vaticinium ad Messiam pertinere, nemo, qui verba textus intelligit, in dubium vocare potest. Etenim 1° is, qui venturus esse annuntiatur, ad *templum suum* venire dicitur, quod de solo Deo potest dici, cum templum sit vere solius Dei. 2° Nomina : *Dominator quem vos vultis, angelus Testamenti quem vos quæritis,* manifeste designant Messiam, quem Judæi expectabant, uti ex analogia totius veteris Testamenti liquet.

III. Quid de adventu Messiæ in hac Prophetia prænuntiatur? In ea clare prænuntiatur Messiam ingressurum esse templum Hierosolymitanum, ac proinde in mundum esse venturum, stante adhuc hoc templo.

IV. An hæc prophetia vere in Christo est impleta? Sub n. IV eorum, quæ de Prophetia Aggæi diximus p. 371, id jam demonstratum fuit.

G.

De prophetiis individuas notas tum personæ tum vitæ Messiæ respicientibus.

—

Hæ omnes Prophetiæ commode in quatuor series distribui possunt : aliæ enim referuntur ad ejus *ortum et nativitatem,* aliæ ad ejus *vitam*, aliæ ad ejus *passionem et mortem;* aliæ tandem ad ejus *resurrectionem et exaltationem.*

I. Prophetiæ ejus ortum et nativitatem respicientes : *a) Argumentum harum Prophetiarum.* De Messia prænun-

tiatur 1° quod esset *Deus* et *homo*. Prænuntiatur quod esset Deus. Is. IX, 6 et Ps. II, 7 : « *Dominus dixit ad me : Filius* » *meus est tu, ego hodie genui te;* » et quod esset homo, in centenis locis, uti v. g. *Gen.* III, ubi vocatur semen mulieris. 2° Quod esset oriundus ex Abraham, Isaac, Jacob, Juda et Jesse : dicit Isaias XI, 1 : « *Egredietur virga de radice Jesse.* » 3° Quod nasciturus esset in Bethlehem; ita Mich. ℣. 2 : « *Et tu* » *Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te* » *mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus* » *ejus ab initio, a diebus æternitatis.* » 4° Quod concipiendus et pariendus esset a virgine; ita Isaias VII, 14 : « *Dabit Dominus* » *ipse vobis signum : ecce virgo concipiet et pariet filium, et* » *vocabitur nomen ejus Emmanuel* (cujus textus explicationem » vide in Tract. *de Deo Incarn.* p. 34). »

b) Earum impletio. Certum est, uti demonstratur in Tract. *de Deo Incarnato,* Christum seu Jesum Nazarenum Deum et hominem se probasse atque ut talem a suis esse habitum. — Item Christus, juxta consentientem omnium discipulorum suorum vocem et genealogias ab ipsis contextas, e stirpe regia Davidis est ortus. Jesum ex progenie David esse clamant cæci *(Matth.* IX, 27) : *Miserere nostri, Fili David;* turba plurima in urbe Hierosolymitana et in templo dicit : *Hosanna Filio David,* et Chananæa pariter eum allocuta est dicendo : *Domine, Fili David.* — Christum ex *virgine* Maria in *Bethlehem* natum esse docet Matthæus I, 20 sqq. et II.

II. Prophetiæ ejus vitam respicientes : *a) Prophetiarum argumentum :* De Messiæ vita prædicitur 1° quod *præcursorem* haberet, qui præpararet viam Ejus (Cfr. Malach. III. I. supra citatus).

2° Quod munere docendi functurus esset; ita Isaias LXI, 1 : « *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me :* » *ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer con-* » *tritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam.* »

3° Quod multis et stupendis miraculis divinam suam doctrinam divinamque suam missionem confirmaturus esset, uti dicit Isaias XXXV, 4 sqq. : « *Deus ipse veniet et salvabit vos : tunc* » *aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt;* » *tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua* » *mutorum.* »

4° Quod propheta esset sicut Moyses, scilicet propheta legislator; ita *Deuter* XVIII, 15 et 18 legitur : « *Prophetam de gente* » *tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus* » *Deus tuus : ipsum audies.* » Et : « *Prophetam suscitabo eis* » *de medio fratrum tuorum similem tui : et ponam verba* » *mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero* » *illi; qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo,* » *audire noluerit, ego ultor existam.* »

b) Earum impletio. Habuit Christus verum præcursorem, Joannem Baptistam nempe divinitus ad hoc munus destinatum, uti Evangelium narrat. — Verba Isaiæ, juxta quæ prædicitur Messias Evangelium prædicaturus, Christus ipse ad se applicat *Luc.* IV. 18 et seq.; et quam vere ea impleverit historia evangelica testatur. — Item Christus doctrinam suam, uti videbimus, miraculis ac prophetiis plurimis confirmavit. — Quod autem munere prophetæ legislatoris functus est, ex omnibus libris Novi Testamenti totaque historia ecclesiastica constat.

III. Prophetiæ circa passionem et mortem ejus. *a) Prophetiarum argumentum.* Juxta Prophetias debuit Christus æstimari triginta argenteis, qui deinde projiciuntur ad statuarium seu figulum *(Zach.* XI, 12-13); debuit affici contumeliis et verberibus affligi tamquam sceleratus *(Is.* LIII); debuit perferre contumelias omnis generis, alapas, sputa *(Is.* L, 6); debuit affligi verberibus quibus corpus fieret lividum, et omni pulchritudine destitueretur *(Is.* LIII), imo quibus omnia ossa nudarentur ut numerari possent *(Ps.* XXI, 18); debuit potari felle et aceto *(Ps.* LXVIII, 22) et videre vestium suarum divisionem et vestis

suæ principalioris sorti traditionem *(Ps.* XXI, 19); debuit irrideri a videntibus eum *(Ps.* XXI, 8-9) et ab omnibus derelinqui *(Ps.* LXVIII, 21); debuit sicut agnus coram tondente se obmutescere *(Is.* LIII, 7); debuit occidi *(Dan.* IX, 26; *Is.* LIII).

b) Prophetiarum impletio. Historia evangelica expressis verbis testatur hæc omnia ad litteram in passione et morte Domini esse impleta.

IV. Prophetiæ circa resurrectionem et exaltationem ejus : *a) Argumentum Prophetiarum.* Occisus Messias debuit 1° resurgere juxta *Ps.* XV, 10 : « *Non derelinques animam* » *meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corrup-* » *tionem;* » quæ non alium, quam Messiam attinent, qui *sanctus Dei* antonomastice dicitur. Certe de Davide intelligi non possunt. David enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei dormivit, et appositus est ad patres suos, viditque corruptionem.

2° Debuit etiam ascendere in cœlum, sicuti prædictum est Ps. CIX, 1 : « *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris* » *meis.* »

3° Debuit mittere Spiritum, juxta *Joël* II, 28 : « *Effundam* » *spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt* » *filii vestri et filiæ vestræ.* »

4° Debuit esse rex fortis et gloriosus bellator, qui hostes suos vinceret, eos sibi subjiceret, et regnum super totum mundum sibi compararet, uti in plurimis locis Scripturæ sed præcipue in *Ps.* II et CIX prænuntiatur.

b) Earum impletio. Christum vere resurrexisse, infra longe lateque demonstrabimus; eum ascendisse in cœlum et Spiritum Sanctum ad Apostolos misisse explicite testatur novi Testamenti Scriptura; atque eum sibi omnes gentes submisisse suumque imperium super totum extendisse orbem, sicuti id a prophetis est prædictum, docet historia Ecclesiastica ut infra, ubi de propagatione fidei christianæ agemus, necnon in Tractatu de Ecclesia late probabimus.

H.

Scholion.

—

Ut argumentum, quod ex citatis prophetiis ad divinitatem missionis et doctrinæ Christi demonstrandam deducitur, plene pateat, etiam sequentia puncta animadvertantur.

a) Nulla ratione dici potest hasce prædictiones non fuisse veras prophetias. Etenim ipsæ prænuntiant eventus sufficienti modo determinatos, qui a libera tum hominum tum præcipue Dei voluntate prorsus dependent; atque etiam ipsæ diu ante rerum impletionem sunt factæ. Quapropter istæ prædictiones, si vere fuerint impletæ, necessario ut veræ et proprie dictæ prophetiæ sunt habendæ. — Quia autem istæ prophetiæ sunt aliquatenus obscuræ, putare quis posset eas non prænuntiare eventus sat determinatos, atque ideo variis posse applicari eventibus; sed falsa esset hæc opinio. Etenim ex ipsarum interpretatione supra a nobis data omnino liquet, eas non esse indeterminatas aut nimis obscuras, sed contra aperte in eis prædici speciales et determinatos eventus. Præterea tam claræ sunt istæ prophetiæ, ut eo circiter tempore, quo venit Christus, communis exstiterit persuasio, quod Messias hac ætate venire debebat. Hæc persuasio certe exstitit apud Judæos : ita R. Nehemias 50 annis ante Christum publice dixit non posse differri ultra 50 annos Messiæ adventum; Judæi de adventu Messiæ solliciti Joannem interrogaverunt utrum ipse esset Christus, et Philippus invento Nathanael dixit : « *Quem scripsit Moyses* » *in lege et Prophetæ invenimus Jesum....;* » (*Joan.* I, 45); etiam eo tempore primum exorti sunt pseudo-messiæ, uti Theudas, Judas Gaulonites et alii, qui de hac impostura nequidem cogitare potuissent, nisi ipsis favisset communis opinio de proximo Messiæ adventu. Samaritani etiam hanc persuasionem habuerunt, uti constat e muliere Samaritana, quæ ad Jesum

dixit : « *Scio quia Messias venit,* » et e pseudo-messiis, qui apud eos exorti sunt. Tandem apud gentiles quoque hæc persuasio invaluerat; Suetonius ait : « Percrebuerat oriente toto » vetus et constans opinio, esse in fatis, ut *eo tempore* (sub » prioribus imperatoribus romanis) Judæa profecti rerum poti- » rentur (*in Vespas.* IV); » et Tacitus pariter dicit : « Pluribus » persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri eo » ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judæa » rerum potirentur. (*Hist.* L. v.) »

b) Nec objici etiam potest ex præcitatis vaticiniis non satis patere, num Prophetæ de una persona, an vero de pluribus loquantur, et proinde utrum quæ Messiæ a Prophetis attribuuntur, uni omnia, an alia aliis sint adscribenda. Etenim 1° nulla est ratio plures personas, de quibus Prophetæ ut de salvatoribus mundi loquantur, supponendi; nam nullibi aperte dicunt plures futuros esse mundi salvatores, neque etiam unquam ullam hac de re suspicionem injiciunt, adhibendo scilicet numerum pluralem, aut tales de Messia prænuntiando characteres, qui uni personæ attribui haud facile possint. Ergo gratis supponerent adversarii Prophetas de pluribus Dei legatis sermonem facere. 2° Præterea Prophetæ unitatem personæ Messiæ positive indicant : de ipso enim loquuntur ut de uno magno Dei legato ex virgine nascituro, qui dominationem suam super totum mundum exerceret, qui suprema sua potestate, uti olim Moyses, testamentum novum conderet; atque ubique de eo ut de singulari quadam persona in singulari numero sermonem faciunt. Jamvero hæc omnia sane denotant ipsos non plures personas sed unam tantum in mente habuisse.

c) Contra argumentum ex prophetiis V. T. deductum, etiam hæc objectio solet proponi : Inter characteres Messiæ hunc præcipuum characterem reponebant Judæi, quod nempe advenire debeat tamquam rex potentissimus, qui populum israëliticum ab adversariis suis liberet, super alias gentes exaltet,

omnique felicitate temporali impleat. Jamvero ex hac Judæorum opinione concludatur oportet, vel Judæos veram tenuisse sententiam, ac proinde Christum, qui temporale regnum non obtinuit, non fuisse veram Messiam; vel eos in errore versatos esse et adhuc versari et ideo prophetias V. T. dicendas esse summa laborare obscuritate et indeterminatas esse. — Verum facile responderi potest ad hoc dilemma : secundum enim hujus dilemmatis membrum est prorsus falsum, atque inde tota objectio cadit. Etenim ex eo quod aliqua natio in errore versetur, nullatenus concludi potest veritatem ab ea, physice vel saltem moraliter non posse attingi, quemadmodum ex communi omnium nationum constanti errore, ad physicam vel moralem impossibilitatem rei cognoscendæ concluditur; et ratio est, quod in aliqua speciali natione particulares causæ ignorantiæ vel erroris existere valent. Ita enim, ex eo quod quædam nationes in hæresim ceciderint in eaque maneant, concludi sane nequit Ecclesiam catholicam physice vel saltem moraliter cognosci non posse. Jamvero quod ad præsentem quæstionem attinet, Judæi facile potuissent scire Messiam quem exspectabant, non temporalem sed spiritualem fore regem, et si in hac re erraverint, id adscribendum est non prophetiarum obscuritati et indeterminationi, sed specialibus quibusdam causis. Harum præcipuæ erant : magna Judæorum proclivitas ad bona temporalia splendidumque regnum appetendum, nam, uti historia testatur, Judæi valde erant carnales et ad temporalia bona maxime inhiabant; atque etiam forma ecclesiæ suæ mosaicæ, sub qua vivebant, et quæ magna ex parte temporalia respiciebat. Hæ duæ causæ certe sufficientes sunt ad errorem Judæorum de charactere Messiæ explicandum, eo vel maxime, quod quæstio de isto charactere in re messianica non primas sed secundas tantum partes teneat.

Quod autem Judæi facile potuissent rectam habere de Messiæ charactere ideam, si voluissent, clare ex ipsis illis Prophetiis

demonstratur. Etenim 1° hæc opinio de Messia temporali rege, directe promissionibus divinis contradixit, juxta quas Messias non solis Judæis sed cunctis gentibus benedictionem et salutem allaturus dicitur. 2° Si splendida et gloriosa de Messia ipsiusque regno in prophetiis leguntur, quorum tamen plura ad Christum ut Deum, vel ut hominem sed in gloria jam constitutum, pertinent, multa sane prædicuntur de illo, quæ ideam potentissimi regis temporalis omnino excludunt. Ita *(Isai.* LIII, 3) expresse et clare dicitur *vir dolorum, (Zach.* IX, 9) *pauper, (Daniel* IX, 26) *negandus, occidendus a suis,* (Ps. XXI, 7) *vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Jamvero hi characteres nulla ratione cum magnificentia terrena felicitateque temporali componi possunt. 3° Ipsi Prophetæ clare indicant Messiæ regnum, quod prædicunt, non temporale sed spirituale fore, nam sæpe declarant Messiam in hunc finem venturum esse, ut nempe consummaretur prævaricatio, finem acciperet peccatum, deleretur iniquitas et adduceretur justitia sempiterna; et arma ejus alia non fore ac virgam oris sui et spiritum labiorum suorum (Cfr. *Dan.* IX, 24 et *Isai.* XI, 4). 4° Testimonia, quæ Judæi ad doctrinam suam tuendam citant, nullatenus ad hoc valent; nam non ad Messiæ tempora sed solum ad liberationem ex captivitate referuntur, uti est *Jerem.* XXIX, v. 14, vel ad regnum Messiæ spirituale, quod ad omnes gentes erat extendendum.

§ II.

Q. Quænam sunt præcipuæ prophetiæ, quas Christus ad doctrinæ et missionis suæ divinitatem demonstrandam fecit?

R. *Hæ prophetiæ in tres classes possunt dividi : vel respiciunt fata vitæ Christi, vel fata ejus doctrinæ et Ecclesiæ, vel fata urbis Hierosolymæ et nationis judaicæ.*

I. Quænam sunt præcipuæ prophetiæ ad illas tres classes pertinentes?

R. *a) Quoad seipsum,* prædixit Christus se a Juda proditum iri; discipulos fugam in passione sua esse capturos; se a Petro ter esse negandum, antequam gallus bis cantaverit; se tradendum esse Judæis et gentilibus, et ab eis multa passurum, flagellandum, illudendum, conspuendum, ac tandem crucifigendum esse; atvero se triduo post mortem resurrecturum. (Cfr. Matth. XXVI, 25 et 31; Marc. XIV, 30; Matth. XX, 18, 19.)

b) Quoad fata doctrinæ et Ecclesiæ, prædixit Spiritum S. super Apostolos venturum esse, eisque invictam fortitudinem cum maxima scientia daturum (Joan. XIV, 26; Act. Ap. I, 8); Apostolos eorumque successores multis maximisque persecutionibus esse affligendos, et nihilominus ab ipsis Evangelium in toto orbe esse prædicandum (Matth. X, 17, 22; Act. Ap. I, 8); Apostolos miracula esse patraturos in Evangelii prædicatione (Marc. XVI, 17); atque Ecclesiam adversus persecutiones omnes semper prævalituram et usque ad finem sæculorum duraturam (Matth. XVI, 18.)

c) Quoad fata urbis et nationis Judaicæ, prænuntiavit Christus casus excidium urbis præcedentes, seductionem scilicet per pseudoprophetas, persecutionem Apostolorum et successum Evangelii; ipsum excidium, angustias scilicet, urbis oppugnationes, urbis et templi eversionem, ut nec lapis super lapidem maneret; et tandem eventus subsequentes, dispersionem nempe Judæorum ac jugem desolationem; atque addidit non præterituram esse generationem, donec hæc omnia fierent. (Cfr. Luc. XIX et XXI; Matth. XXIV.)

II. An certo constat has omnes prophetias eventu esse completas?

R. Omnia, quæ a Christo sunt prædicta vere, perfecte et quidem litteraliter eventu esse completa uno ore nobis testatur et S. Scriptura N. T. et historia profana; atque hæc tum sacra tum

profana testimonia ita ab omnibus sunt nota, ut nulla ratione opus sit ea ad assertionem nostram probandam afferre. Quod speciatim attinet ad fata urbis, templi et nationis Judæorum quæ adamussim a Christo fuerunt prænuntiata, eventus omnes obsessionis et excidii civitatis ab auctoribus profanis, præcipue a Flavio Josepho, qui apud omnes auctoritate gaudet, relati, tam perfecte Christi vaticinio respondent, ut rationalistæ, qui prophetiæ possibilitatem negant, inde concludant Evangelium Lucæ, post ruinam urbis esse scriptum. « La date de cet Evan-» gile (de S. Luc), ait Renan *Vie de Jésus*, p. XVII, peut » d'ailleurs être déterminée avec beaucoup de précision par des » considérations tirées du livre lui-même. Le chapitre XXI de » Luc (in quo clare templi et urbis subversio prædicitur), insé-» parable du reste de l'ouvrage, a été écrit certainement après » le siège de Jérusalem, mais peu de temps aprés. Nous sommes » donc ici sur un terrain solide; car il s'agit d'un ouvrage écrit » tout entier de la même main et de la plus parfaite unité. » Cæterum adimpletio omnium circumstantiarum legi potest apud varios auctores, v. g. apud Perrone *de vera Religione* et apud Wouters, *Hist. Eccles* T. I. *Epoch.* I. n. 50.

III. An istæ Christi prædictiones, quas historia testatur eventu esse completas, essentiales prophetiæ notas habent, ita ut veræ prophetiæ dici possint?

Istæ prædictiones manifeste habent omnes ad veram prophetiam requisitas notas; nam *a)* prænuntiant sermone non ambiguo sed claro, modo non conjecturali sed certo, facta plene determinata; et *b)* concernunt eventus futuros contingentes, qui nec ex naturalibus causis poterant cognosci, nec casu impleti censeri possunt.

a) Quod prædictiones Christi certæ et claræ sunt atque de rebus satis definitis agunt, a nemine serio in dubium potest vocari, cum hucusque nemo aliquid ex eis deprompserit, quod ambiguum aut indeterminatum dici valeat. — Objici posset

prædictionem de urbis Hierosolymitanæ excidio simul cum prophetia de mundi consummatione a Christo esse factam, ac proinde valde ambiguum esse, quid ex Christi verbis ad excidium urbis, quid vero ad finem mundi pertineat. Verum nulla existit vera difficultas ad ea *facta*, quæ ad cladem Judæorum pertinent, distinguenda ab istis, quæ in sæculi fine futura sunt. Hæc enim distinctio absque labore fieri potest in ea narrationis serie, quæ a S. Marco refertur; nam de urbis Hierosolymitanæ destructione agit c. XIII, a versu 1-24, et de totius orbis subversione a versu 24-27. Utroque eventu prænuntiato, Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem : « *Dic nobis, quando* » *hæc erunt?* » et quidem v. 28 ad primum eventum rediens eum tamquam proximum prænuntiat v. 30 : « *non transibit gene-* » *ratio hæc, donec omnia fiant;* » quod autem ad tempus attinet extremæ mundi consummationis, ait v. 32 illud ad occulta Dei judicia pertinere : « *de die autem illo, vel hora* » *nemo scit.* »

b) Quod ad alterum punctum attinet, opus non est ut demonstremus has prædictiones ante rerum eventum esse factas, cum id ex testimonio S. Scripturæ N. T. cujus auctoritatem jam probavimus plene constet. Præterea certe constat Evangelia S. Matthæi et S. Lucæ et probabilissime etiam S. Marci ante excidium urbis Hierosolymitanæ esse scripta. — Verum an in eis tales eventus prænuntiantur qui ex naturalibus causis prævideri non potuerint? Satis est oculos in has prædictiones conjicere, ut plene pateat in eis tales prænuntiari eventus, qui nulla ratione ex causis naturalibus potuerint innotescere.

Etenim facta illa, quæ a Christo fuerunt prædicta, vel a libero hominum arbitrio vel a libero consilio Dei pendent; ac proinde talis sunt naturæ ut ex causis suis naturalibus cognosci non potuerint. Christi comprehensio, flagellatio et condemnatio, Judæ traditio, Petri abnegatio, urbis oppugnatio, templi destructio aliaque hujusmodi prorsus ab humana dependebant

voluntate. Resurrectio autem Christi, missio Spiritus sancti, miracula quæ Apostoli eorumque successores in Evangelii prædicatione facerent, Ecclesiæ firmitas et perennitas mediis in oppugnationibus, totam suam habebant causam in libero Dei consilio.

Sed an prædictiones istæ censeri non possunt casu impletæ? Eas censeri non posse casu impletas manifeste liquet. Etenim imprimis illæ ipsæ prophetiæ, quæ prænuntiabant facta a libera hominum voluntate pendentia, nisi apertam velimus negare veritatem, dici nequeunt casu impletæ; nam nemo non videt fieri moraliter non posse, ut tot prædictiones tam varia facta et circumstantias complectentes, casu implerentur omnes ad unam sine ulla exceptione : nihil enim fit sine causa; sed quænam esset causa hujusmodi facti? — Præterea major prædictionum Christi pars facta respicit, quæ a libero Dei consilio pendent. Jamvero hujusmodi prophetiæ non possunt casu impleri, cum Deus summe sapiens et summe sanctus non possit casu quid facere (Cfr. supra pag. 240), neque prædictionem de opere divino ab impostore factam eventu complere.

IV. An prophetiæ istæ vim habent missionis et doctrinæ ejus divinitatem demonstrandi? Istæ prophetiæ certe hanc vim habent, si probari possit eas in illum finem esse factas; jamvero id invicte probatur; ergo.

Imprimis id jam manifeste sequitur ex eo quod Christus in vita sua publica constanter conabatur docere et probare se esse a Deo missum, Dei nomine loqui, Deique esse filium : si enim Christus id semper præ oculis habuit, certe id quodque intendit in iis actibus, qui ex sua natura divinæ missionis vel doctrinæ sunt argumenta, scilicet in suis miraculis et prophetiis. — Præterea Christus explicite de omnibus operibus suis supernaturalibus dixit (*Joan.* X, 37, 38) : « *Si non facio opera Patris mei* » (h. e. opera quæ solus Deus potest facere) *nolite credere mihi.* » *Si autem facio : et si mihi non vultis credere, operibus*

» *credite.* » Jamvero prophetia non minus quam miraculum est supernaturale opus. — Tandem etiam expresse declaravit Christus se prophetias facere ut Apostolis eorumque successoribus se ut verum prophetam probaret, ipsosque tentationis tempore in fide solidaret : post prædictas enim diras persecutiones ait : « *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini....* » *sed hæc locutus sum vobis, ut cum veniret hora eorum,* » *reminiscamini, quia ego dixi vobis.* » (*Joan.* XVI, 1, 4).

Conclusio Articuli de Prophetiis.

Ex vaticiniis igitur tum Prophetarum tum Christi Domini manifeste jam constat Christi missionem et doctrinam esse vere divinam. — Cum vaticinia Prophetarum de Messia, in Christo plene sint impleta, liquet hos Prophetas divinitus esse inspiratos, et eam doctrinam, quam vaticiniis suis confirmabant, esse divinam. Jamvero in hac ipsorum doctrina continetur, Messiam esse verum Dei legatum; ergo. — Christus autem multa vaticinia, quæ omnia plene sunt impleta, in missionis et doctrinæ suæ confirmationem edidit; ac proinde necessario ut verus Dei legatus est habendus.

ARTICULUS SECUNDUS

De Miraculis

Prænotandum. Alterum certissimum et omnibus accommodatum divinitatis missionis et doctrinæ Christi signum sunt miracula. Tantus autem est numerus miraculorum, quæ in Evangelio atque etiam in historia ecclesiastica in confirmationem missionis et doctrinæ Christi facta narrantur, ut in hac Demonstratione Christiana locus et tempus desint ad singula, vel etiam ad singula eminentiora ex ipsis expendenda plenoque examini subjicienda. Quapropter, ut brevitati consulamus et

simul tamen necessarium Demonstrationis Christianæ elementum non negligamus, tractabimus imprimis de omnibus istis miraculis simul, ac dein agemus in specie de uno alterove miraculo, quod præ cæteris ad missionem et doctrinam Christi probandam, utilitatem præbet.

Sit igitur hujus articuli sequens divisio : *primo* exponetur missionem et doctrinam Christi quamplurimis vere et proprie dictis miraculis esse comprobatam. *Secundo*, tractabitur in specie de miraculo *resurrectionis Christi*, quia illud ab ipso Christo tamquam speciale et peremptorium divinæ suæ missionis et doctrinæ argumentum fuit propositum atque ita cardo est totius fidei nostræ : « *generatio mala et adultera*, ait Jesus, » *signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ* » *prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus* » *et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ* » *tribus diebus et tribus noctibus.* » (*Matth.* XII, 39, 40.) Tandem *tertio* specialiter etiam agetur de *miraculosa* Ecclesiæ a Christo institutæ *vita :* miracula enim quæ in Ecclesiæ vita apparent, præ cæteris ad Demonstrationem Christianam utilia sunt, quia sunt res manifestissimæ, quæ non sicut cætera miracula in uno loco et in uno temporis momento sunt peractæ, sed ubique apparent et a tempore Christi ad nostros usque dies semper constanterque exstiterunt. « Quin etiam, ait Vaticanum » Concilium *Const. Dei Filius*, Ecclesia per se ipsa, ob suam » nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et » inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam » invictamque stabilitatem, *magnum quoddam et perpetuum* » est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium » irrefragabile. »

§ I.

Q. An divinitas missionis et doctrinæ Christi miraculis vere comprobatur?

R. *Divinitas missionis et doctrinæ Christi permagno*

miraculorum comprobatur numero, quæ indubie historice sunt vera, veri miraculi characteres habent et aperte in missionis et doctrinæ Christi comprobationem sunt facta.

—

I. Prænotandum. Animadvertatur tria illa puncta in responsione indicata evolvi debere, ut constet missionem et doctrinam Christi miraculis esse comprobatam. Oportet enim ut ostendatur miracula, quæ in Christi favorem afferuntur, historice esse vera, omnes ad miraculum requisitos characteres habere et in confirmationem missionis et doctrinæ Christi esse facta ; uti sequitur, ex iis quæ in P. I. c. III, diximus.

II. Quænam sunt præcipua miracula in comprobationem missionis et doctrinæ Christi facta?

R. Miracula illa ad tres classes reduci possunt : **a**) *miracula a Deo Patre pro Christo peracta;* **b**) *miracula ab ipso Christo patrata;* **c**) *miracula ab Apostolis facta.*

a) Pater cœlestis miraculis testimonium dedit de Christo præcipue per sequentia facta : 1° Jam in nativitate ejus, testimonium dedit. Claritas Dei circumfulsit pastores in regione Bethlehem et angelus Domini dixit illis : « *Nolite timere : ecce* » *enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni* » *populo, quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus* » *Dominus, in civitate David* (*Luc.* II, 10, 11). » Et sicut pastoribus angeli, sic Magis stella, jubente Domino, demonstrat Christum, quippe quæ ad ostensionem ipsius erat creata. Viderunt enim magi *stellam* ejus in Oriente et venerunt adorare eum (*Matth.* II, 2). — 2° Deus testimonium quoque dedit Christo munere fungenti. Aperti enim sunt cœli, quando baptizatus Jesus ascendit de aqua, « *et ecce vox de cœlis di-* » *cens : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* » (*Matth.* III, 17). » Idem testimonium dedit Pater Christo in transfiguratione ejus. Vix nube obvoluti sunt Moyses et Elias, cum ex nube exivit vox Patris dicens : « *Hic est Filius meus*

» *dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* » (*Matth.* XVII, 5). » Ipse Jesus invocat Patrem : « *Pater, clari-* » *fica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi et* » *iterum clarificabo.* (*Joan.* XII, 28). » 3° Sicut Christo nato et munere fungenti sic et morienti Deus testimonium dedit. Etenim in passione Christi magna signa facta sunt, ut crucifixum Dominum suum et cœlum et terra et omnia elementa demonstrarent. In passione Domini « *tenebræ factæ sunt in* » *universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus* » *est sol : et velum templi scissum est medium. Et clamans* » *voce magna Jesus ait : Pater in manus tuas commendo spi-* » *ritum meum. Et hæc dicens expiravit* (*Luc.* XXIII, 44-47). » « *Et terra mota est, et petræ scissæ sunt et monumenta aperta* » *sunt; et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surre-* » *xerunt. Et exeuntes de monumentis, venerunt in sanctam* » *civitatem et apparuerunt multis* (*Matth.* XXVII, 51-54). » — 4° Tandem et Christo mortuo testimonium dedit, suscitando eum a morte, uti infra exponemus : « *quem Deus*, ait S. Petrus » (*Act. Ap.* III, 15), *suscitavit a mortuis, cujus nos testes* » *sumus;* » quo miraculo dedit Jesu « *nomen quod est super* » *omne nomen* (h. e. palam ostendit Jesum esse verum Deum et ita ei dedit nomen, quod omnia alia nomina superat : nihil enim est super nomen Dei), *ut in nomine Jesu omne genu flectatur* » *cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II, 9, 10). »

b) Miracula, quæ Christus ipse in confirmationem suæ doctrinæ patravit, pertinent ad res inanimatas, ad hominum ab omni genere languorum et infirmitatum sanationes, ad mortuorum resuscitationem et liberationem a dæmonibus. — 1° In rebus inanimatis miracula fecit, quando Canæ in Galilæa aquam in vinum mutavit (*Joan.* II, 1), ventis et mari imperavit (*Matth.* VIII, 23-27), super aquis ambulavit (*Matth.* XIV, 26-31 ; (*Joan.* VI, 19-21), Petrum in mari ambulantem sustentavit (*Matth.* XIV, 28 sqq), paucis panibus et piscibus quinque et ite-

rum quatuor millia hominum satiavit (*Matth.* XIV, 15 sqq., et XV, 32) duodecim et, altera vice, septem cophinis fragmentorum plenis relictis.

2° Morbos varios eosque haud raro insanabiles ac desperatos, temporis momento, solo vocis jussu, aut tactu aut etiam solo interno voluntatis nutu curavit. Sic Evangelistæ generatim referunt Jesum omnem Galilæam obiisse, docendo in synagogis et prædicando Evangelium regni divini, atque sanando omnem languorem et omnem incolarum infirmitatem, ita ut etiam exteras regiones fama ejus pervaderet, et incolæ ad eum ægrotos omnis generis adferrent, variis languoribus et cruciatibus afflictos, dæmoniacos, lunaticos et paralyticos, quos ipse sanavit (*Matth.* IV, 23, 24, VIII, 16; *Luc.* VI, 18).

Speciatim autem narrant Christum cæcis dedisse visum (*Matth.* XX), surdis auditum (*Marc.* VII), mutis loquelam (*Matth.* IX), mundasse leprosos (*Matth.* VIII), sanasse febri decumbentes (*Matth.* VIII), paralyticos (*Matth.* IX), claudos (*Matth.* XV), morbo inveterato affectos, uti 38 annis infirmitate detentum (*Joan.* V), mulierem quæ 18 annos morbo a dæmone immisso (*Luc.* XIII), et aliam, quæ per 12 annos sanguinis profluvio laborabat (*Matth.* IX), atque plane absens filium aulici cujusdam (*Joan.* IV), servum centurionis (*Matth.* VIII) et filiam mulieris Chananææ (*Matth.* XV).

3° Mortuos resuscitavit Christus, scilicet filium viduæ Naimiticæ, tactu loculi et imperio vocis (*Luc.* VII, 13-17), filiam archisynagogi Jairi, tactu et verbo (*Marc.* V, *Matth.* IX), atque denique Lazarum, quatuor diebus jam sepultum, solo verbo (*Joan.* XI, 43).

4° Victorem satanæ se exhibuit, eum e corporibus expellendo, et etiam morbos, quorum causa ille erat, curando. In regione Gerasenorum ex duobus dæmonia ejicit, illaque, ut eo magis homines ad legationem suam divinam attenderent, vi supremæ suæ in omnes res potestatis, in porcos abire jussit (*Matth.* VIII);

in synagoga Capharnaum dæmonium obmutescere et exire imperavit (*Marc.* I); alibi dæmonium ejecit et homini visum et linguæ usum restituit (*Matth.* XII) et alias sæpius; uti refert Matthæus qui scribit : « *obtulerunt ei multos dæmonia habentes et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit* (VIII, 16); » et Lucas, qui habet : « *Et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem et maritima et Tyri et Sidonis, qui venerant, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.* (VI, 17, 18). » — In omnibus ergo creaturarum generibus fecit Christus miracula : in spiritibus, in hominibus tam vivis quam defunctis, et in rebus inanimatis. Qua de re notat S. Thomas, (P. III, Q. 44 a. 4) « quod miracula Christi ad hoc ordinabantur, quod virtus divinitatis cognoscetur in ipso ad hominum salutem. Pertinet autem ad virtutem divinitatis, ut omnis creatura sit ei subjecta. Et ideo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit. »

c) Apostoli etiam miracula patrarunt. Christus Dominus illis potestatem miracula patrandi promiserat (*Marc.* XVI); et legitur (*Act. Ap.* II) : « *Multa prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant;* » et (*Act. Ap.* V) : « *Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe... ita ut in plateas ejicerent infirmos et ponerent in lectulis et grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis;* » dein (*Act. Ap.* IX) Petrus paralyticum sanavit et (*Act. Ap.* XX) Paulus mortuum suscitavit; imo (*Act. Ap.* XIX, 12) ejus sudaria morbos depellebant. Quibus addi debent et ipsa Pauli conversio et miraculum Petri, quod narratur *Act. Ap.* III.

III. An constat hæc miracula esse historice vera?

R. Horum miraculorum historica veritas immediate et certo colligitur ex iis quæ diximus ad veracitatem librorum N. T. demonstrandam. Ibi enim ostendimus Apostolos et apostolicos viros,

qui hæc facta nobis narrarunt tum a parte mediorum cognitionis, tum a parte rerum cognoscendarum, tum etiam a parte suarum qualitatum personalium optime potuisse ea quæ narrant cognoscere; atque etiam certo voluisse verum testari, tum quia ipsorum mores sancti erant, tum quia motivum ad mentiendum non habebant, tum quia decipere non potuissent si id tentassent, tum quia eorum narratio cum profanis scriptis consonat; ac proinde necessario ut veraces habendos esse. — Huic demonstrationi adjiciemus hoc Arnobii argumentum *(Adv. Gentes* C. I. c. 54): « Miraculorum, ait, Christi testes habemus gentem, populos, » nationes et incredulum illud genus humanum, quod nisi aperta » res esset et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nun- » quam rebus hujusmodi credulitatis suæ præberet assensum. » At nunquam dicemus, illius temporis homines usque adeo » fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ nunquam » viderant, vidisse se fingerent; et quæ facta omnino non erant, » falsis proderent, testimoniis, aut puerili assertione firmarent? » Cumque possent vobiscum et unanimiter vivere, et inoffensas » ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, et execrabiles » haberentur in nomine. »

IV. An miracula illa ut vera miracula sunt habenda?

R. Ita præ se ferunt omnes veri miraculi characteres, ut nulla ratione dubitari possit, an ipsa ut vera miracula sint habenda. Etenim hæc miracula *a)* non carent notis negativis ad verum miraculum requisitis, et *b)* gaudent positivis miraculi notis; quod argumentum maxime confirmatur *c)* ex eo quod a tempore Christi ad nostros usque dies, de veritate horum miraculorum convicti et in ea innixi, innumeri homines ex omni natione, pii, honesti et docti fidem Christi amplexi sunt.

a) Non carent notis negativis. In istis enim miraculis nihil est ratione finis, objecti et modi, quod Deo est indignum. Facta enim sunt ad comprobandum doctrinam Christi, uti infra videbimus, quæ certe, nemine diffitente, non est indigna, sed contra

omnes doctrinas philosophicas et religiosas elevatione, sublimitate et plenitudine sua infinite superat. Cedebant in hominum salutem corporalem et spiritualem, summamque Dei et Christi in humanum genus benevolentiam spirant, quia miseros sublevabant, pauperes succurrebant, et ad omnes salvandos tendebant. Porro fiebant non occulte, sed publice, ubicumque occasio se offerebat, coram ingenti plerumque multitudine, in conspectu hostium quoque infensissimorum, sine ullo ægrotorum delectu, sine ullo instituto aut prævio apparatu, atque modo dignissimo et ad Dei gloriam ac vitæ honestatem inter homines promovendam aptissimo, uti cuilibet Evangelia inspicienti liquet.

b) Gaudent notis positivis. Gaudent istis notis, si demonstrari possit ea non esse producta mediantibus viribus mundanis, et si simul constet ea non esse mira aut præstigia a dæmone effecta. Jamvero utrumque punctum invictis demonstratur argumentis; ergo.

1° Hæc miracula non esse mediantibus naturalibus mediis producta, facile ostenditur. Quamvis enim exacte definire non possimus, quid singulæ entium mundanorum vires efficere valeant, novimus tamen eas omnino impares ad effectus, quales sunt miracula supra citata, producendos vel quoad substantiam, vel in subjecto, in quo Christus eos produxit, vel eo modo quo Christus eos produxit. Optime enim novimus naturam mundanam non posse rerum essentiam mutare uti v. g. aquam mutare in vinum; imperare ventis et mari; mortuum ad vitam revocare; sola voluntate aut vocis imperio, absque aliquo labore ac medio, instantanee, immediate, pleno effectu secuto mederi morbis pluribus diuturnis, diversis et induratis; sanare absque medicamentis et instantanee ægrotos etiam distantes. A tempore enim Christi ad nostros usque dies, non obstante disciplinarum naturalium profectu, nulla reperta est causa vel lex naturalis, secundum quam vel minimum illorum operum, de quibus hic

quæstio habetur, naturaliter possit explicari. Et hoc tam verum est, ut increduli nunquam ausi sint opera illa naturaliter explicare, atque ad evertendam demonstrationem religionis christianæ ex miraculis haustam nihil aliud tentaverint, ac evangelicæ relationis sinceritatem vel veritatem in dubium vocare vel verbis vim inferre atque ea in absurdum interpretari sensum.

2° Hæc miracula censeri non possunt *mira* aut *præstigia* a dæmone effecta. — α) *Censeri non possunt mira dæmoniaca.* Etenim imprimis plura sunt inter opera illa, quæ omnino vires dæmonis superant, scilicet ea omnia ad quæ requiritur potentia aliquid faciendi ex nihilo, uti v. g. mortuum ad vitam revocare, restituere homini membrum prorsus ablatum, dare corpori dotes, quæ ad spiritualem pertinent naturam, uti v. g. efficere ut duo corpora sint simul in eodem puncto spatii. Ergo jam constat saltem plura ex operibus supra enumeratis ut *mira dæmoniaca* nullatenus haberi posse. — Præterea quominus omnia hæc opera virtuti dæmonum adscribi possint, immediate obstat, quod Christus cæterique, qui in ejus doctrinæ et missionis favorem hæc opera fecerunt, ipsos dæmones e corporibus ejecerint; quod dæmonibus invitis operarentur. Jamvero dæmon non potest potestatem suam contra seipsum conferre. Quo argumento usus jam est ipse Christus Dominus, qui (*Luc.* XI, et *Matth.* IX) Pharisæis, veritatem historicam operum negare non valentibus, atque virtuti diabolicæ ea adscribentibus respondebat : « *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit » regnum ejus? ..... Porro si in digito Dei ejcio dæmonia, » profecto pervenit in vos regnum Dei;* » quibus verbis divinam suam virtutem, quam ejiciens dæmones manifestabat, aperte demonstravit. — Tandem cum plura ex istis operibus certe ut vera miracula sint habenda, uti opera quæ supponunt rei ex nihilo productionem, et dæmonis ejectiones, atque cum cætera opera eumdem in sanctum finem, ad virtutem scilicet promovendam et ad Deum glorificandum, eodem modo decenti

et pio, mediis in orationibus et invocationibus divini nominis et ab auctoribus sanctis sint facta, concludendum est nullum ex his operibus dæmoni adscribi seu tamquam *mirum dæmoniacum* haberi posse. Quando enim concurrunt sanctitas in thaumaturgo, puritas in fine, pietas et decentia in modo, appellatio ad Deum in executione, jam judicandum est opus, quod vires mundanas superat, non a dæmone sed a Deo esse factum, uti *pag.* 194 et 195 ostendimus; sed hoc judicium adhuc maxime firmatur, ubi inter opera, quæ in favorem alicujus missionis aut doctrinæ fiunt, talia occurrunt, quæ quemadmodum hic, ex sua essentia manifeste ut vera opera divina debent haberi.

β) *Censeri etiam non possunt præstigia.* Etenim præstigia, uti ostendimus *pag.* 194, sunt necessario *transitoria* et *rara*, cum Deus, utpote sapiens et sanctus mundi rector, mundi turbationem et necessariam hominum in errorem inductionem permittere non possit, quæ ex præstigiis, si perseveranter et frequenter fierent, necessario sequerentur. Jamvero innumera sunt opera mundanas vires superantia, quæ in missionis et doctrinæ Christi favorem sunt facta, et hæc opera, maxime durante vita publica Jesu, constanter patrabantur, uti ex Evangelii narratione patet. Ergo, nisi velimus dicere medium non haberi ut præstigia a veris factis distinguamus et omnia, quæ in mundo videmus, præstigia posse censeri, admittamus oportet, opera in favorem missionis et doctrinæ Christi facta, præstigia dici nulla ratione posse.

c) Accedit hominum consensus. Ingens hominum multitudo tempore Christi et Apostolorum propter factorum evidentiam credidit (*Joan.* II, 11; IV, 53; *Matth.* IX, 8; XIV, 33); nec solum plebeii crediderunt, sed et viri docti, uti Jairus, Nicodemus, Zachæus, Lazarus, Joseph ab Arimathæa, multi ex principibus viris et ex sacerdotali ordine (*Joan.* XII, 42; *Act. Ap.* VI, 7), Crispus archisynagogus, Sosthenes synagogæ princeps, Apollo vir facundus (*Act. Ap.* XVIII, 8, 17, 24) et Paulus. Dein a tem-

pore Apostolorum ad nostros usque dies, immensus christianorum cœtus fidem Christi amplexus est, in veritate istorum miraculorum innixus. Et notandum est, hunc consensum de veritate istorum miraculorum exstitisse et existere, quamvis doctrina, quæ eorum ope stabilitur, minime humanis passionibus sit grata et impii omni modo eorum veritatem impugnent. Jamvero talis consensus maxime thesim nostram confirmat, cum non videatur, quomodo falsitas ei subesse posset.

Utile erit hic adjungere verba S. Augustini *(De Civ. Dei* L. 22. c. 8) : « Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta » esse, non fiunt? Possem equidem dicere necessaria fuisse » priusquam crederetur, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis » adhuc prodigia ut credat inquirit, *magnum est ipse prodigium, qui mundo credenti non credit.* Verum hoc ideo » dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Unde » ergo tanta fide Christus usquequaque cantatur in cœlum cum » carne sublatus? Unde temporibus eruditis, et omne quod fieri » non potest respuentibus, sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus?.... Facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi uni grandi salubrique miraculo, » quo Christus in cœlum cum carne in qua resurrexit, ascendit, » negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris » cuncta scripta sunt, et quæ facta sunt, et propter quod credendum facta sunt. »

Observetur characterem miraculosum operum supra relatorum etiam magis magisque manifestum fieri, ubi consideratur facilitas quacum Christus miracula patravit; multitudo et varietas operum mirabilium, quæ perfecit; certitudo qua ejus promissioni ac imperio respondit eventus; stabilitas qua effectus sanitatis, vitæ, etc. perseveravit; fructus, qui ex istis operibus consecutus est. Optime dicit Arnobius *(Adv. Gent.* L. I, c. 43) : « Potestisne » aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magicis » viris, qui unquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo » *millesima ex parte* qui fecerit. »

In confirmationem eorum, quæ diximus, referemus et eloquentia Arnobii verba *(Adv. Gent.* L. I. c. 45) : « Quid dicitis » (gentiles), o iterum! Ergo ille mortalis aut unus fuit e nobis, » cujus imperium, cujus vocem popularibus et quotidianis verbis » emissam invaletudines, morbi, febres atque alia corporis » cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis, cujus præsentiam, » cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus » dæmonum, conterritaque vi nova membrorum possessione » credebat?... Unus fuit e nobis, qui debilitatibus variis morbis- » que vexatos centum aut hoc amplius semel una intercessione » sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda et insania » explicabant se maria? procellarum turbines tempestatesque » silebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum? » Calcabat ponti terga, undis ipsis stupentibus in famulatum » subeunte natura? qui sequentium se millia quinque, quinque » saturavit e panibus, ac ne esse præstigiæ incredulis illis vide- » rentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum » fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis, qui redire in » corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas, prodire ab » aggeribus conditos et post diem funeris tertium pollinctorum » voluminibus expediri? Unus fuit e nobis, qui quid singuli » volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, taci- » torum in cordibus pervidebat? »

V. An miracula illa vere in missionis et doctrinæ Christi comprobationem sunt facta?

Ex narratione evangelica luculentissime constat miracula illa vere in missionis et doctrinæ Christi comprobationem esse facta, nam *a)* sæpius Christus declaravit miraculorum illorum finem esse, ut doctrinam et missionem suam confirmarent, atque *b)* ita etiam rem intellexerunt Christi discipuli et Apostoli.

a) Christum id declarasse e sequentibus aperte constat : 1° Discipulis Joannis ad ipsum missis et sciscitantibus, an ipse esset Messias, ad sua miracula, tamquam certissimam suæ

divinæ legationis notam provocans, respondit : « *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt (Matth.* XI, 4, 5). » 2° Resuscitaturus Lazarum (*Joan.* XI, 41, 42), « *Jesus elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me* (h. e. gratias tibi ago, quod tu velis ac paratus sis per me facere hoc miraculum, quod ego jam facere desidero statuoque). *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi; ut credant, quia tu me misisti.* » 3° Redarguens Judæorum incredulitatem pariter dixit Jesus *(Joan.* XV, 24) : « *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt me et Patrem meum.* » 4° Similiter Judæis, ubi ab ipso postularunt ut diceret, an ipse sit vere Christus, dixit *(Joan.* X, 25) : « *Loquor vobis et non creditis; opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* »

b) Discipulos et Apostolos rem ita intellexisse etiam expresse testatur Scriptura. Etenim Nicodemus ad Jesum dixit *(Joan.* III, 2) : « *Scimus, quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* » Petrus (II *Ep.* I, 16-18) ut divinam Christi missionem probet, provocat ad transfigurationem et vocem e cœlo delapsam, « *quam,* ait, *nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* » Denique, ut cætera omittamus, S. Joannes (XX, 30 et *seq.*) scribit : « *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* »

VI. Objectiones contra argumentum ex miraculis allatis haustum ad divinitatem missionis et doctrinæ Christi comprobandam.

Obj. 1° Postulavit Christus passim, aiunt increduli, antequam miraculum patraret, fidem in iis, in quorum gratiam illud patraturus erat. Ergo non sine causa naturali, sed per hanc fiduciam effectus miros produxit; ac proinde facta ejus non debent censeri omnes naturales vires superare, seu non debent ut miracula haberi.

R. Objectio valeret si ostendi posset hanc fiduciam veram fuisse causam omnium miraculorum, quæ Jesus fecit; atvero ipsa nullatenus fuit miraculorum Jesu causa, sed tantum quorumdam ex eis conditio sine qua Jesus non volebat miraculum facere, ita ut miraculum hujus fiduciæ esset præmium, nequaquam vero ejus effectus; quod ita demonstramus : 1° in multis miraculis Jesus nullam præexegit fiduciam, uti v. g. in conversione aquæ in vinum in Cana Galilææ et in multiplicatione panum. 2° Fiducia potest quidem aliquos producere naturales effectus in homine ipso, qui eam in corde nutrit, non vero in aliis; jamvero Jesus illam nonnunquam expetivit non ab ipsis infirmis, qui sanandi erant, sed a miraculum postulantibus, uti factum est in sanatione filii aulici, filiæ mulieris Chananææ et etiam multorum dæmoniacorum, qui plane curari nolle videbantur. 3° Nemo non novit fiduciam vim habere ut hominem quandoque sanet a morbo ex animi deperditione, ex timore aut nervorum commotione orto aliisque hujusmodi affectionibus; sed nulla ratione valere ad mortuos resuscitandos, ad visum dandum cæco, auditum surdo, ad membrum, quo corpus carebat, ipsi restituendum, ad omnes morborum species sanandas, etc. — Ergo liquet objectionem adversariorum omni valore esse destitutam.

Obj. 2° Si Christus, aiunt, miracula in comprobationem doctrinæ et missionis suæ edidit, non debuit prohibere sed potius promovere suorum miraculorum promulgationem. Atqui Christus prohibuit miraculorum a se editorum propagationem : ita v. g. leproso sanato præcepit : « *vide nemini dixeris* »; surdo et muto usum aurium et linguæ restituens, « *præcepit illis ne cui dicerent.* » (Cfr. *Marc.* I, 44; et VII,36.) Ergo.

R. Valeret objectio, si e testimoniis citatis constaret Christum universaliter et absolute prohibuisse, ne miracula sua promulgarentur; nam in hoc casu pateret Christum miracula sua revera non fecisse ad missionem et doctrinam suam comprobandam; verum nullatenus id inde constat. Etenim testimonia objecta non absolutam et universalem prohibitionem, sed particularem pro speciali casu tantum continent, uti patet ex ipsis testimoniorum verbis, quæ nullatenus absolutam et universalem formam habent, et ex multis aliis locis, in quibus Christus jubet, ut miracula sua narrent, aut etiam in quibus ad ea publice coram multitudine tamquam ad opera ab omnibus nota appellat, ut doctrinam et missionem suam confirmet. Ita discipulis Joannis dixit: « *Euntes* » *renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident,* » *claudi ambulant, leprosi mundantur* etc. »(*Matth.* XI, 4, 5.); et expresse dixit Judæis (*Joan.* X, 25) : « *opera quæ ego facio* » *in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* » Cum autem sermones Domini necessario concorditer sint interpretandi, nemo non videt testimonia præcitata non de prohibitione generali sed particulari esse intelligenda.

Instant adversarii dicendo : alium finem habere non potuit Christus in prohibitione ista, quam impedire ne opera, quæ faciebat, ut signa acciperentur divinitatis missionis et doctrinæ suæ; ergo e testimoniis supra citatis manifeste liquet Christum miracula in confirmationem missionis et doctrinæ suæ non fecisse.

R. Falso asseritur, Christum alium non potuisse habere finem in prohibitione ista, quam illum, quem increduli volunt; nam ipse, cum non solum doctor veritatis sed et exemplar virtutis esset, certe potuit, doctrina sua jam plurimis signis comprobata, nos hac prohibitione virtutem humilitatis et fugam vanæ gloriæ docere. Quemadmodum Christus miracula quandoque facere recusavit, ne eorum pasceret curiositatem, qui tantum videre cupiebant (*Matth.* XII, 38); atque eos reprehendit, qui credere

recusabant, nisi suis manibus palparent (*Joan.* XX, 29); ita etiam decebat, ut quandoque promulgationem miraculorum prohiberet, ne videretur ex vana gloria agere et humilitatis daret exemplum. Ergo ruit adversariorum instantia, utpote fundamento falso innixa. (Cfr. *Renan, Vie de Jésus,* p. 266.)

Obj. 3° Adversarii et hoc opponunt : Si Christi miracula, aiunt, vim probandæ religionis et missionis divinæ habuerunt, oportuisset ut Judæi non pauci tantum et rudes, sed omnes etiam docti ea spectantes conversi fuissent. Jamvero id factum non est; ergo.

R. Falsa est hæc deductio; siquidem ex plena et perfecta divinæ revelationis comprobatione, nulla sequitur in hominibus, qui hanc demonstrationem norunt, necessitas illam doctrinam amplectendi. Si enim fidei assensus a solo intellectu procederet, uti diximus *pag.* 27, ipse indubie posset per rei demonstrationem necessario produci; atvero non a solo intellectu sed etiam a voluntate procedit fidei assensus; qui idcirco necessario est liber. In fide nimirum intellectus, percepta rei credendæ demonstratione, declarat et quidem ex necessitate, rem illam posse et debere credi, sed assensus manet imperandus a voluntate, quæ secundum bonum et malum quod in hoc actu apprenhendit, eum imperabit vel non. Nunc autem voluntas humana certe abhorret a religione amplectenda, quæ inolitis ab infantia opinionibus repugnat, naturæ nostræ vitiis et passionibus contraria est simulque nos ærumnis, persecutionibus et morti exponit, prouti religio Christi primos suos sectatores exposuit; ac proinde facile intelligitur, quomodo multi Judæi nomen dare Christi fidei recusaverint.

Præterea falsum est rudes tantummodo et ignobiles homines Christum esse secutos : non enim rudes erant aut indocti regulus Capharnaum, Centurio, turba sacerdotum (*Act. Ap.* VI, 7), Paulus, etc.

Bene hac de re sequentia advertit S. Chrysostomus (Lib. *Quod*

Christus sit Deus, n. 11) : « Nam et hunc mundum in medio » proposuit instrumentum omni concinnitate elaboratum, vocem » undique emittens et creatorem prædicans : et tamen quidam » homines sunt, qui vel automata esse dicunt, vel horum » creationem atque providentiam hominibus adscribunt; alii » vero fortunæ, fato, genesi vel stellarum conversionibus..... » Quanta doctrina non imbutus est Judas? et tamen proditor » factus est. Quam admonitionem habuit latro? Attamen in » cruce Christum confessus est et regnum ejus prædicavit..... » Non crediderunt Judæi, crediderunt gentiles..... Alioquin vero » si non omnes, multi certe ex Judæis et tunc et nostro tempore » crediderunt. Quod si non omnes, nihil sane novum aut mira- » bile : talis quippe est ingratus animus, talis mens ratione » vacua, talis anima malis affectibus occupata? (1) »

(1) In exemplum absurdæ interpretationis, quam increduli hodierni de miraculis in Evangelia narratis proponunt, citabimus illam quam dat *Doctor Paulus*, germanus, de miraculo multiplicationis panum : « A entendre le » docteur Paulus, ait Strauss, unus e præcipuis rationalistis, les Evangé- » listes n'ont pas l'intention de raconter un miracle et le miracle n'a été » introduit dans leur récit, que par leurs interprètes. Ce qu'ils racontent, » n'est, d'après lui, que ceci : Jésus fit distribuer le peu de provisions qu'il » avait et la multitude eut suffisamment de quoi manger. Il faut suppléer » l'omission d'un membre intermédiaire qui aurait appris comment il fut » possible, que, malgré le peu de vivres que Jésus avait à offrir, une aussi » grande multitude ait été rassasiée. Ce membre intermédiaire, dit-il, se » trouve très naturellement dans la combinaison historique des circonstan- » ces. On reconnait en effet, en comparant Jean VI, 4, que vraisemblable- » ment, la multitude se composait, pour la plus grande partie d'une cara- » vane allant à la fête; elle n'a donc pu être complètement dépourvue de » vivres et seulement peut-être quelques individus, plus pauvres les uns que » les autres, avaient déjà consommé leurs provisions. Pour décider les » mieux pourvus à faire part de leurs vivres à ceux qui en manquaient, » Jésus disposa un repas, et lui même donna l'exemple de distribuer la por- » tion des petites provisions dont lui et ses Apôtres pouvaient se passer. » Cet exemple fut imité; et la distribution des pains faite par Jésus, ayant » suscité une distribution générale, toute la multitude fut rassasiée. Sans » doute dit Paulus, c'est ajouter au texte que d'introduire cet intermédiaire

§ II.

Q. An divinitas missionis et doctrinæ Christi vere comprobatur miraculo ejus resurrectionis?

R. *Divinitas missionis et doctrinæ Christi comprobatur speciatim ejus resurrectione, quæ inter omnia miracula ab ipso vel saltem propter ipsum patrata, longe eminet.*

—

I. Momentum hujus miraculi. Eminenti ratione missio et doctrina Christi ope hujus miraculi demonstrantur. Etenim, *a)* jam in se considerata, resurrectio Christi est prodigium summum signumque splendidissimum et peremptorium ad demonstrandam veritatem religionis, quam Christus prædicabat. *b)* Insuper ipse Christus hoc miraculum elegerat veluti summam confirmationem et argumentum ineluctabile missionis suæ eorumque quæ docuit et fecit; dixit nempe *(Matth.* XII, 39, 40) : « *Generatio mala et adultera signum quærit et* » *signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* » *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et* » *tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ* » *tribus diebus et tribus noctibus.* » *c)* Tandem etiam Apostoli resurrectionem Christi prædicarunt ut confirmationem supremam et peremptoriam religionis, quam Dominus instituit, et veritatem suæ testificationis et prædicationis multiplicibus prodigiis demonstrarunt *(Act. Ap.* IV, 10 *et seq.)* — Dicit enim S. Paulus I *Cor.* XV, 14-17 : « *Si autem Christus non resur-* » *rexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* » *Invenimur autem et falsi testes Dei : quoniam testimonium*

» naturel; mais, comme l'intermédiaire surnaturel, que l'on admet généra-
» lement, n'y est pas non plus exprimé formellement et qu'il faut les y sup-
» poser l'un ou l'autre, on ne peut faire autrement, que de se décider pour
» le moyen naturel. » *(Strauss, Vie de Jésus,* T. 2. P. 2. Chap. 9.)

» *diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum.....*
» *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra;*
» *adhuc enim estis in peccatis vestris.* » — Resurrectio Christi proponitur quoque ab Apostolis ut factum, quod in se summas veritates dogmaticas et morales complectitur (I *Cor.* XV; *Rom.* XIV, 9). Ex hac enim resurrectione ostenditur Christus Deus et homo, et redemptor generis humani, qui regnum mortis et peccati ab Adamo invectum destruxit futuræque nostræ resurrectionis pignus dedit.

II. Quænam sunt præstanda, ut ex resurrectione Christi divinitas religionis ejus demonstretur? Hæc tria sunt necessario stabilienda : *a)* hanc resurrectionem esse historice veram; *b)* eam esse verum miraculum; *c)* et eam ordinatam fuisse ad divinitatem missionis et doctrinæ Christi demonstrandam. Verum ex hisce punctis primum tantum demonstratione adhuc indiget. Etenim secundum ita patet, ut a nemine negetur neque negari possit : omnino enim patet mortui resurrectionem esse opus vere miraculosum. De tertio autem jam constat ex iis quæ mox diximus : Christus enim suam resurrectionem expresse prædixit, uti solemne et ultimum signum, quo ipsius missio et doctrina peremptorie comprobarentur.

Satis igitur erit demonstrare historicam resurrectionis Christi veritatem : quod fiet, si primo ostendamus Christum esse vere et non opinate tantum mortuum, deinde vero, eum vere a morte resurrexisse.

III. Quomodo demonstratur Christum vere esse mortuum? Plurima habentur solidissima historiæ argumenta, quibus hoc factum demonstratur : 1° Illud testatur persuasio Judæorum, omnium christianorum totiusque antiquitatis usque ad rationalismi ortum. Judæi enim multa commenta finxerunt ad Christi resurrectionem negandam, sed nemo ex eis putavit Christum non esse vere mortuum; negant eum resurrexisse sed

admittunt eum esse mortuum. Christiani autem omnes factum mortis Christi admittunt; et inter infideles et apostatas nonnisi recentioribus temporibus quidam rationalistæ factum istud negarunt atque contenderunt quod Christus non mortem sed deliquium tantum passus sit.

2° Illud referunt etiam quatuor Evangelistæ, quorum auctoritas supra fuit demonstrata. Matthæus habet (XXVII, 50) : « *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum;* » Marcus (XV, 37) : « *Jesus autem emissa voce magna expi-* » *ravit;* » Lucas (XXIII, 46) : « *Et hæc dicens* (Pater in » manus tuas commendo spiritum meum) *expiravit;* » Joannes (XIX, 30) : « *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* »

3° Testatur id quoque Pilatus, qui postquam a centurione arcessito compererat, Christum jam expirasse, corpus Josepho ab Arimathæa donavit *(Marc.* XV, 44, 45).

4° Idem comprobant milites ablegati, ut crura crucifixorum frangerent, qui quidem duorum latronum crura fregerunt, non autem Jesu, quoniam eum jam mortuum cognoverunt. *(Joan.* XIX, 32, 33).

5° Extra omne dubium ponitur mors Christi, ex eo quod unus militum lancea Christo intulit ictum mortis, qui non tantum in omnibus cruci affixis, sed etiam in illis, qui in ludis pugnantes aut bestiis objecti fœde perierant, apud Romanos semper solebat fieri, antequam corpora cognatis traderentur, ut sic illis nulla omnino relinqueretur spes opinate forsan mortuum ad vitam revocandi. Isto enim ictu dato, effluxit sanguis et aqua. Jamvero iste effluxus sanguinis et aquæ manifestum est signum, quod Jesus vere est mortuus. Vel sanguis et aqua ista nondum erant dissoluta; et tunc supponi debet pericardium, e quo solo aqua fluere potest, fuisse perfossum; quæ perfossio necessario inducit mortem. Vel ipsa erant jam dissoluta; ac proinde necessario præsupponunt mortem.

6° Confirmat id denique Christi sepultura per Nicodemum et

Josephum ab Arimathæa. Etenim Nicodemus et Josephus, viri religiosissimi et ab omni fraude alieni, uti ex eorum agendi modo patet, Christum certe non sepelissent, si de ejus morte non fuissent plene persuasi.

IV. Quomodo demonstratur Christum a morte ad vitam vere rediisse? Plene constabit Christum vere ad vitam rediisse, si ostendi potest quod testes, qui factum istud nobis referunt, non fuerunt decepti, et quod nos decipere noluerunt. Jamvero utrumque invicte demonstratur. Ergo.

A) *Testes non fuerunt decepti.* Id constat : *a) ex numero testium :* Christus enim se redivivum ostendit non uni aut alteri ex discipulis, sed undecim Apostolis, pluribus discipulis et semel plus quam 500 fratribus simul (I *Cor.* XV, 6) — *b) Ex perfecto et ex multiplici experimento*, quod testes illi de resurrectione Christi sumpserunt. Non enim tantum visus est Christus ab ipsis, sed et cum eis locutus est, cum eis manducavit, ut ostenderet se carnem et ossa habere, se ipsis palpandum dedit ut probaret se non esse phantasma, nihilque omisit quo omnem ab Apostolis anxietatem, omne dubium excuteret; atque hæc omnia facta sunt in diversis locis, non a longinquo sed prope, non in tenebris sed in plena luce. — Præterea non semel aut iterum visus est Jesus, sed pluries; « *præbuit seipsum vivum,* uti legitur in *Act. Apost.* I, 3, » *post passionem suam in multis argumentis per dies* » *quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.* » — *c) Ex momento facti :* factum enim illud tanti erat momenti pro doctrina et missione Jesu, et tam mirabile, ut testes necessario debuerint sedulo ad illud attendere. — *d) Ex qualitate testium*, qui nullatenus nimiæ credulitatis accusari possunt. Etenim, quamvis ipsi prædictam scirent resurrectionem a Domino, tamen tam parum phantasia et præconcepta opinione erant seducti, ut mulieribus Domini resurrectionem narrantibus credere noluerint, sed *visa sint ante illos, sicut deliramentum*

verba ista. (Luc. XXIV, 11). Imo cum Christus ipse coram adesset et diceret : *Pax vobis; ego sum, nolite timere,* non crediderunt, sed conterriti putabant *se spiritum videre;* et licet deinde manus et pedes eis monstrasset et se palpandum dedisset, attentos eos reddens, *spiritum carnem et ossa non habere,* tamen adhuc hæsitabant, donec comedisset partem piscis et favum mellis et uberius sermocinatus esset de regno Dei *(Luc.* XXIV, 36-49). Increduliorem se omnibus præbuit Thomas, qui cum Christus primo appareret, non interfuit, et resurrectionem ejus nuntiantibus fidem tam parum habuit, ut potius responderet : « *Nisi videro in manibus ejus fixuram* » *clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum,* » *et mittam manum meam in latus ejus, non credam* » *(Joan.* XX, 25). » Quod cum benignissimus Salvator præstitisset, demum firma fide clamavit, ad Jesum dicens : « *Dominus* » *meus et Deus meus.* »

Hæ autem omnes considerationes, maxime si simul spectentur, invicte demonstrant testes resurrectionis Christi non fuisse deceptos; nam si diceretur deceptionem in hujusmodi circumstantiis locum posse obtinere, valedicendum foret omni certitudini historicæ.

B) *Illi testes noluerunt decipere.* Id constat : *a) ex eorum charactere.* — Ipsi enim erant viri simplices, honesti, pii, Deum timentes et minime audaces. Jamvero non est hominum simplicium, honestorum Deoque devotorum, sed illorum tantum, qui omnem religionis sensum exuerint, tentare magnum populum totumque mundum decipere in facto, e quo veritas cultus supernaturalis pendet. Neque homines timidi hujusmodi facinus aggredi auderent, sed illi tantum qui stupenda audacia sunt armati et quævis contemnunt pericula.

b) Ex eo quod motivum non habebant ad decipiendum, sed contra omnia debebant eos a fallendo absterrere. — Etenim sane *a parte Dei* discipulis Christi nihil ex hoc mendacio erat

sperandum, sed contra summa mala ex eo timenda erant. Sciebant enim, Deum mendacium abominari, atque scelus esse detestabile et insigne nefas, æternis pœnis puniendum, falsum testem agere contra Deum in re divini cultus. — Pariter *ab hominibus* ex hoc mendacio aliud exspectare non poterant ac contemptum et summa supplicia. Noverant enim ex historia Jesu et propria sua experientia, quod etiamsi fraus non detegeretur, ipsa prædicatio doctrinæ Jesu non temporalia emolumenta sed omnigenas persecutiones et miserias attulisset, et certe prævidebant, quod si fraus detegeretur, toti mundo odio fuissent et summis suppliciis fuissent affecti.

c) Ex modo agendi Judæorum. Quando nempe Apostoli prædicaverunt resurrectionem Christi, Judæi non ausi sunt eos in judicium vocare tamquam reos fraudis et imposturæ, sed tantum eis silentium indixerunt *(Act. Ap.* IV. 16-18); ac dein, Apostolis minas contemnentibus et quotidie doctrinam Jesu ejusque resurrectionem prædicantibus, magistratus templi et principes sacerdotum « *dissecabantur et cogitabant interficere » illos* » *(Act. Ap.* V, 33), sed nullatenus tentarunt eos de fraude aut impostura damnare. Jamvero si Judæi de sinceritate et veracitate Apostolorum non fuissent plene convicti, nonne debuissent eos publice mendacii, fraudis et imposturæ arguere eosque ex hoc capite summis suppliciis punire? Id enim obvium et efficacissimum erat medium ad finem imponendum prædicationi Apostolorum et institutionem Ecclesiæ Christianæ impediendam.

Præterea Apostoli voce et scripto publice testabantur, a principibus sacerdotum pecunia subornatos fuisse custodes sepulchri, ad mendacium de ablatione corporis Christi spargendum; et tamen principes sacerdotum nihil ad tuendam suam famam movent contra Apostolos; id quod tamen in tali negotio omnium gravissimo, necessario facere debuissent ex ordinario hominum agendi modo, nisi fuissent plene convicti, et nisi etiam plebs fuisset plene persuasa de Apostolorum veracitate.

Tandem Judæi quidem negaverunt Christi resurrectionem, sed negare non potuerunt sepulchrum vacuum fuisse repertum. Jamvero ad hoc factum explicandum, tam futiles attulerunt rationes, ut manifestum sit ipsos de Apostolorum veracitate fuisse vere convictos. Primis temporibus dixerunt Apostolos, dormientibus custodibus, sustulisse corpus Christi; sed hæc explicatio est absurda, uti patet ex dictis sub *a)* et sub *b)*, et uti adhuc magis apparebit ex infra dicendis. Deinceps alii contenderunt Christi corpus a scissa per terræ motum petra fuisse absorptum, vel avibus dilacerandum projectum fuisse : quæ omnes assertiones non modo gratuitæ sed etiam absurdæ sunt, cum nullatenus cum rerum circumstantiis componi valeant.

d) Ex impossibilitate decipiendi. Decipere non potuissent Apostoli, etiamsi voluissent, ac proinde eorum testimonium necessario ut verax est habendum. Ad decipiendum enim oportuisset, ut clam corpus Christi abstulissent et hominibus persuasissent eum ad vitam rediisse. Jamvero neutrum efficere potuissent Apostoli. Ergo.

Imprimis non potuissent Apostoli corpus Christi clam auferre. Si enim clam illud abstulissent, id facere debuissent vel per *vim*, vel per *seductionem*, vel per *callidam fraudem*. Jamvero id certe non potuerunt facere *vi*. Etenim unde subito tanta hominum illorum fuisset audacia, ut cum armatis congredi auderent? Dein, cur custodes, quibus vis fuisset illata, non reclamassent apud Pilatum et Synedrium? Non hæc autem fecerunt custodes, sed retulerunt quæ acciderant, et Judæi Christi inimici eis persuadere tentarunt ut dicerent se non vim passos esse, sed Christum sublatum fuisse ipsis dormientibus. — Neque etiam *seductione* id potuerunt. Nemo enim sanæ mentis credet homines inopes, simplices, despectos, contemptos et odio habitos, quales erant Apostoli, uti ex historia passionis Domini liquet, efficere potuisse, ut custodes officio suo deessent in re tam momentosa, ubi a principibus et sacerdotibus omnia perti-

mescere debebant, et ab Apostolis nihil habebant sperandum? Dein quomodo inter tot homines, quibus secretum fuisset committendum, nullus aliquid prodidisset, quando tamen maxima emolumenta ex secreti proditione poterant sperare, dum nihil e servato secreto manebat sperandum? Denique si quædam suspicio seductionis fuisset possibilis, nonne synedrium disquisitionem hac de re fecisset? Tandem neque *fraudulenter* id potuerunt facere. Satis enim est, loci, temporis et personarum adjuncta considerare, ut pateat omnino impossibile fuisse ut Apostoli corpus Jesu fraudulenter abstulerint, aut etiam hanc rem tentare statuerint. Verum insuper, si de hujusmodi fraude suspicio fuisset possibilis, cur Judæi ea non sunt usi ad veritatem resurrectionis Christi impugnandam, Apostolosque fraude et impostura damnandos?

Etiam non potuissent Apostoli hominibus persuadere Christum ad vitam rediisse, si revera non resurrexisset. Ad id enim necesse fuisset, ut fraus nullo modo potuisset detegi, atque ut nullus inter tot conjuratos reperiretur, qui aut conscientiæ stimulis, aut spe præmiorum, aut suppliciorum et ipsius mortis metu ad detegendam fraudem fuisset commotus, cum tamen nullum emolumentum inveniretur in secreto servando. Sane hujusmodi factum est res moraliter impossibilis. — Dein si Apostolorum testimonium non fuisset omnino sufficiens, si possibile fuisset, ut fraus in eo lateret, quomodo e tanto numero fidelium qui crediderunt, nemo hucusque hanc insufficientiam detegisset et peremptorie demonstrasset, atque ita auctoritatem fidei catholicæ evertisset? — Tandem Apostoli veritatem testimonii sui de resurrectione Christi demonstrarunt quoque plurimis veris miraculis; quod sane facere non potuissent, si ipsorum testimonium fuisset falsum.

Pulchre totam hanc argumentationem proposuit S. Chrysostomus *(Hom. 90 in S. Matth.)* « Quomodo furati essent in » sabbato, et quomodo?..... Quomodo persuadere turbæ potuis-

» sent? Quam exspectantes retributionem? Quam mercedem? » Cum viventem illum comprehensum viderunt, fugerunt; et » post mortem audacter pro illo locuturi erant, si non resur- » rexisset? Quomodo hæc cogitari possint? Quod enim nec » voluissent, nec potuissent resurrectionem, quæ non fuisset, » fingere, hic palam est..... Multa enim illis de resurrectione » locutus frequenter fuerat..... Si ergo non resurrexisset, mani- » festum est eos, utpote deceptos et a tota gente propter ipsum » impugnatos, ædibus et urbibus pulsos ab illius cultu discess- » suros fuisse; neque enim voluissent de illo opinionem spar- » gere, utpote qui decepti ab illo fuissent et in extrema pro illo » deducti pericula. Quod vero non potuissent, nisi vera resur- » rectio fuisset, illam simulare, id certe admodum probabile est. » In qua re fiduciam habuissent? in sermonis gravitate? At » omnium imperitissimi erant. In pecuniarum copia? Neque » virgam neque calceamenta habebant. In splendore generis? » Viles erant, ex vilibus orti locis erant..... Quomodo autem » furentem populum sustinuissent? Si namque coryphæus ipso- » rum ostiariæ mulieris verbum non tulit, et si reliqui illum » vinctum videntes dispersi sunt; quomodo in animum indu- » xissent, ad extrema orbis occurrere, ut fictum resurrectionis » verbum plantarent....? Quomodo poterant adversus reges et » principes et populos stare, ubi gladii, sartagines, fornaces » et mille quotidie mortes, nisi ejus qui resurrexerat virtute et » gratia adjuti fuissent? »

V. Objectiones. 1° Resurrectio Christi, aiunt, missionis et doctrinæ ejus veritatem obsignare debuit. Cur igitur ipsa non fuit publica, quemadmodum ejus mors? Cur non, spectante populo, Christus e sepulchro prodiit? Cur non saltem hominum commercio palam sicut ante mortem usus est? Cur paucis discipulis et mulieribus et quidem sat brevi tempore innotuit?

R. Conditiones, quas adversarii hic requirunt, neque *necessariæ* sunt ad resurrectionem Christi probandam aut ad vitan-

dam fraudis intercidentis suspicionem, neque etiam demonstrari possunt esse certe *convenientes*. Ergo ruit tota objectio.

1° *Necessariæ non sunt ad probandam resurrectionem Christi*. Etenim vanum esset hoc ratiocinium : Christus in publico non comparuit; ergo admitti non debet aut nequit, eum vere resurrexisse. Si enim ad facti historici probationem requireretur, ut factum istud publice sit peractum, valedicendum esset probationi quæ e testimonio desumitur, aut saltem contendi deberet, testimonium non valere, nisi a multitudine prodeat. Jamvero neque unum neque alterum fieri potest, quin tota evertatur societas humana, quæ multis in punctis tota innititur testimoniis et quidem testimoniis non multitudinis sed privatorum, uti supra p. 275 diximus.

2° *Neque necessariæ sunt ad vitandam fraudis intercidentis suspicionem*. Nullus enim manet rationabili suspicioni locus, ubi testimonium debitis conditionibus auctoritatis est stipatum. Jamvero non minus testimonium privatorum quam multitudinis potest esse debitis conditionibus auctoritatis stipatum. Ergo.

3° *Neque demonstrari potest has conditiones esse certe convenientes*. Et re quidem vera, nullum assignari potest verum inconveniens, quod profluxerit ex eo quod Christus publice non apparuerit; et multæ contra existunt rationes, quæ ostendunt conveniens fuisse, ut Christus publice non appareret.

Imprimis nullum verum inconveniens assignari posse quod profluxerit ex eo quod Christus publice non apparuerit, ita demonstratur. Totum bonum, quod inde juxta adversarios erat sperandum, erat conversio inimicorum Christi. Verum gratis supponitur Judæos, viso Christo redivivo, ejus fidem suscepturos fuisse. Sicut enim præjudiciis et passionibus obcæcati reliqua stupenda miracula, ita etiam ipsam resurrectionem virtuti dæmoniacæ adscribere potuissent. Præterea, nisi pervicacia eorum obstitisset, potuissent credere resurrectionem ex ipso

testimonio suorum militum, qui angelum de cœlis descendentem, lapidem revolutum et cætera omnia, quæ ad sepulchrum contigerant, viderunt et omnia quæ facta fuerant principibus sacerdotum nuntiaverunt.

Sequentes autem rationes ostendunt conveniens fuisse, ut Christus publice Judæis non appareret : 1° Si conveniens fuit ut Christus publice appareret Judæis, conveniret quoque, ut se redivivum ostenderet omnibus hominibus, qui ad fidem vocantur; quod tamen nemo contendere audet : major enim convenientiæ ratio nequit existere pro Judæis quam pro cæteris hominibus. 2° Si conveniens fuisset ut apparitio Christi fieret publice, conveniens quoque dicendum esset, ut revelatio immediate ad singulos fieret; quod omnino est falsum. Decebat enim, ut revelatio divina non immediate ad singulos, sed mediantibus quibusdam viris electis fieret, ad fideles in unam societatem coadunandos, ad charitatem mutuam fovendam, ad ordinem per mutuam submissionem et dependentiam stabiliendum, ad materiam multarum virtutum exercitio præbendam : et quemadmodum non omnibus immediate fieri debuit revelatio, ita etiam coram omnibus non debuit fieri hujus revelationis comprobatio. 3° Quod Christus publice non apparuerit, etiam plene consonat cum œconomia divina circa fidem : Deus nempe voluit ut homo in fide amplectenda verum submissionis actum ex libera voluntate exhiberet, et ideo tali modo semper proposuit revelationem, ut quidem veritas divinæ locutionis sufficienter pateret, sed tamen obscuritas quædam remaneret. Jamvero si Christus publice et omnibus apparuisset, nimis clara fuisset hæc revelationis demonstratio.

Ad complendam hanc confutationem eamque confirmandam, addi possunt et sequentia : 1° Constat Christum redivivum revera se ostendisse membro synagogæ, Christianæ religionis impugnatori et quidem dum fureret et insaniret contra ipsum : apparuit nempe Christus Saulo in itinere Damasci, eumque

insignem fecit Apostolum. Ergo adversarii affirmare non possunt Christum nulli adversario apparuisse. — 2° Habuerunt Judæi increduli testimonium de resurrectione Christi ex ipsis custodibus, ut supra jam diximus. — 3° Testes resurrectionis Christi non fuerunt pauci numero : apparuit enim Christus duodecim Apostolis, pluribus mulieribus et familiaribus discipulis, et semel plus quam quingentis fratribus. — 4° Si quæratur, cur Christus istis personis et non aliis apparuerit, respondendum est cum Origene *(De Cons. Evang.* 24), non ad homines pertinere Deo patrandorum miraculorum modum præscribere. — 5° Forsan etiam Christus publice se redivivum non ostendit, quia si Judæi, præjudiciis suis de temporali regno Messiæ adhærentes, Christum in statu gloriæ et exaltationis conspexissent, facile potuissent rebellionem movere contra Romanos. Jamvero data hujusmodi rebellione, fuissent statim victi Judæi a Romanis et Evangelii prædicatio et propagatio a Judæa incipienda, fuisset forsan impedita.

Obj. 2° Multa sunt, aiunt adversarii, in ipso Evangelio, quæ suadent Christi resurrectionem non realem sed apparentem tantum fuisse. Etenim ipsi Apostoli *(Luc.* XXIV, 37) existimabant *se spiritum videre;* duo discipuli *(Luc.* XXIV, 31) euntes Emmaus non cognoverunt Jesum nisi in fractione panis, et tunc ipse Jesus *evanuit* ex oculis eorum; intravit Jesus in cœnaculum januis clausis, uti dicitur *Joan.* XX, 19; nec nisi apparentem resurrectionem indicare videntur illæ successivæ apparitiones sub forma hortulani, peregrini etc.

R. Ea quæ ab adversariis nobis opponuntur, nulla ratione valent ad demonstrandum, quod resurrectio Christi non vera sed apparens tantum fuerit; sed contra maxime sunt utilia ad veritatem resurrectionis Christi confirmandam. Quod enim Apostoli putaverint se spiritum videre, certe non demonstrat nonnisi phantasma ipsis apparuisse, sed contra manifeste ostendit ipsos non nimia credulitate fuisse motos et veritatem

resurrectionis tantum admisisse, postquam de hoc facto plene certiores facti fuerant. — Ex historia discipulorum Emmaus pariter nihil concludi potest : se occultavit Jesus sub forma peregrini, ut curiositatem eorum studiumque ipsum cognoscendi moveret et ita majorem eis daret certitudinem de resurrectione sua. Quod autem *evanuit* ex eorum oculis, id nullatenus est mirandum, cum proprium sit corporibus gloriosis, ut possint summa cum celeritate se transferre de loco in locum et etiam, speciali Dei virtute, corpora alia penetrare atque se subtrahere sensibus. — Ingressus Jesu in cœnaculum nullatenus demonstrat, uti ex mox dictis liquet ipsum non vere sed phantastice apparuisse, cum ad corpora gloriosa pertineat ex speciali Dei actione materiam penetrare. — Variæ formæ, sub quibus Christus apparuit, etiam nulla ratione veritatem resurrectionis infirmant : voluit Christus sub his formis se occultare, ut sese in initio apparitionis occultando attentiores redderet personas præsentes; et varias illas formas elegit secundum varias circumstantias, in quibus sese manifestavit.

Obj. 3° Objiciunt adversarii etiam quasdam contradictiones, quæ occurrunt, uti aiunt, in narratione Evangelistarum de resurrectione Christi.

R. Hæc objectio duplici ex capite confutatur : *a)* contradictiones ab adversariis nobis objectæ sunt apparentes tantum et non reales; et *b)* etiamsi essent non tantum apparentes sed et reales, concludi ex eis nullatenus posset narrationem Evangeliorum quoad substantiam facti fidem non mereri.

Quod istæ contradictiones sunt tantum apparentes, clare demonstratur per interpretes S. Scripturæ, qui summa cum cura ab Ecclesiæ initio hanc quæstionem elucidarunt.

Dein contradictiones istas, etiamsi non tantum apparentes sed et reales essent, nullatenus evertere auctoritatem narrationis Evangeliorum quoad substantiam facti, ita ostenditur. Auctoritas humana alicujus libri certe non evertitur ex eo quod quidam

inveniantur errores in accidentalibus ejus punctis. Jamvero adversarii aliter Scripturam non considerant ac tamquam librum humanum; et idcirco immerito afferunt contradictiones accidentales ad veracitatem Scripturæ evertendam. — Præterea objectæ contradictiones etiam suo modo confirmant veracitatem Evangelistarum : si enim ipsi ex condicto fallere voluissent referendo Christi resurrectionem, facile etiam ex condicto agentes potuissent illas contradictiones vitare; atque secundum ea, quæ communiter accidunt, utique id præstitissent.

Obj. 4° Dicunt denique : veritas missionis et doctrinæ Christi ex resurrectione ejus demonstrari nequit, siquidem Christus prænuntiavit se resurrecturum post *tres dies,* seque mansurum esse in corde terræ *tribus diebus et tribus noctibus*, uti refert *(Matth.* XII, 40). Jamvero juxta narrationem Evangelistarum Christus nullatenus *tribus diebus et noctibus* in sepulchro fuit. Ergo.

R. Valeret objectio, si demonstrari posset locutionem illam *tribus diebus et noctibus* certe sumendam esse in sensu proprio et stricto; jamvero id demonstrari nequit, sed contra constat Judæos solitos esse hac locutione uti ad exprimendas meras dierum partes. — Præterea ex agendi modo Pharisæorum et sacerdotum videtur colligi posse, ipsos etiam prædictionem Christi non de tribus diebus et noctibus plenis, sed de tertia die intellexisse. Nisi enim ita rem intellexissent, non se contulissent ad Pilatum ac sepulchrum sigillo non obsignassent eo tempore, quo duplex sabbati et paschatis solemnitas concurrebat : nisi putassent prænunciatam resurrectionem posse contingere sub *initium* tertiæ diei, abunde eis suppetiisset tempus ad ea omnia præstanda sequenti die.

§ III.

Q. An et sub quonam respectu vita Ecclesiæ a Christo institutæ est miraculosa; et quomodo ex ejus vita, quatenus

EST MIRACULOSA, DEMONSTRARI POTEST DIVINITAS MISSIONIS ET DOCTRINÆ CHRISTI ?

R. *Vita Ecclesiæ præcipue miraculosa est sub hoc triplici respectu :* **a**) *sub ratione propagationis et conservationis fidei suæ;* **b**) *sub ratione firmissimæ suorum fidelium fidei adhæsionis, quæ in constantia martyrum se manifestat; et* **c**) *sub ratione mirabilis mutationis morum quam in mundo produxit; atque hi tres effectus miraculosi immediate demonstrant divinitatem missionis et doctrinæ Christi, cum Deus in favorem doctrinæ falsæ miraculosos istos effectus producere non possit.*

—

Explicatur responsum. Si hæc tria, quæ in vita Ecclesiæ a Christo institutæ apparent, propagatio et conservatio fidei, constantia martyrum et morum mutatio, non naturalibus causis, sed Deo attribuenda sint, necessario divinitatem missionis et doctrinæ Christi, qui hujus Ecclesiæ est auctor, evincunt. Etenim Ecclesia, quæ divinam sibi missionem tribuit, si talem non haberet, falsa et mala foret; et Deus ad malum et falsum propagandum, sustinendum et conservandum cooperari sane nequit.

Unde quæstio, quam hic præ manibus habemus, tota in eo est, num hæc tria, propagatio et conservatio fidei, martyrum constantia et morum mutatio historice sint vera, atque an talia sint, ut ex naturalibus causis explicari non valeant.

Quapropter breviter de hisce tribus effectibus agemus, inquirendo : *a)* an vere existant, et qualem habeant amplitudinem; *b)* quænam difficultates essent superandæ ad eos obtinendos; *c)* quænam media naturalia ad eos obtinendos sint adhibita; et an media adhibita censeri debeant vere insufficientia fuisse ad hujusmodi effectus producendos. Si enim media naturalia adhibita cum difficultatibus superandis et cum effectu proportionata non sint, ipse effectus, non solis mediis natura-

libus, sed etiam divino interventui adscribendus est et miraculi rationem habet.

Observetur hic agi de miraculis, quæ talia sunt in ordine *morali* seu aliis verbis de miraculis *moralibus*. Quemadmodum opus omnes physicas leges superans, dicitur et est miraculum *in ordine physico;* ita opus, quod superat leges morales, h. e. modum agendi constantem, quem homines in actibus suis liberis sequi solent, miraculum in ordine morali vocari debet. Jamvero propagatio et conservatio fidei, constantia martyrum et morum mutatio sunt res, quæ totaliter ab hominum voluntate dependent, atque idcirco, si naturales causas superent, dici necessario debent miracula *moralia*.

A.

De propagatione et conservatione fidei Christi.

—

I. De celerrima et amplissima ejus propagatione et de ejus conservatione. Dubitari nequit, quod Ecclesia catholica, antequam Constantinus rerum potiretur, per omnes gentes tunc notas propagata fuerit et majorem vastissimi imperii Romani partem sibi subjecerit. De propagatione per imperium Romanum agens, Tertullianus (m. 245) jam suo tempore ita ethnicos alloquitur.... « Hesterni sumus et vestra omnia implevimus : urbes, » insulas, castra ipsa, palatium, senatum, forum; sola vobis » reliquimus templa. » Idem (*adv. Judæos*. c. 7, et 11) ut populos, ad quos religio Christi penetraverit, Parthos, Medos, Elamitas, Sarmatos, Getulos, Mauros, Hispanos, Gallos, Brittones, et alios enumerat. Sed jam ante ipsum S. Justinus (m. 163; *Dial. cum Tryph.*) nullam fuisse testatur nationem aut barbarorum aut græcorum, ad quam fides Christi non pervenerit; et similia apud Irenæum, Origenem, Lactantium, Eusebium aliosque legimus. — Nec aliud ex ethnicis scriptoribus colligere possumus. Jam Seneca, qui Nerone imperatore mor-

tuus est, in fragmentis hæc de religione christiana habet; « Quum usque eo consuetudo convaluit scelestissimæ gentis, ut » per omnes jam terras recepta sit, victi victoribus leges dede- » runt. » Similia habent ex gentilibus viri gravissimi, ut Suetonius, Tacitus, Plinius, etc. Nota est Plinii junioris Bithyniæ proconsulis, ad Trajanum imperatorem epistola sub finem sæculi primi scripta, in qua ait : « Visa est mihi res consultatione » dignissima, maxime propter periclitantium numerum; multi » enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam » vocantur in periculum : neque civitates tantum, sed vicos » etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata » est; prope jam desolata templa deorum et solemnia diu » intermissa : » (Cfr. *Reinerding, Theol. fund.* p. 203).

Quod autem ad factum conservationis Ecclesiæ Christi pertinet, tam patens et manifestum est, religionem Christi a tempore suæ primæ propagationis ad nostros usque dies semper fuisse religionem universalem, ut nulla demonstratione indigeat. Si enim stemus supputationi quam exhibet Hurst *(Outline history of the Church)*, qui christianam religionem in orbe amplectuntur, assurgunt ad ingentem numerum 407,000,000: et ex his juxta supputationem quæ legitur in Ephemeride *(Weekly register,* London, August, 14. 1875), 200,339,000 pertinent ad catholicam Ecclesiam.

II. Difficultates superandæ in propagatione et conservatione fidei. Difficultates istæ apte dividuntur in *intrinsecas* et *extrinsecas. Intrinsecæ difficultates* sunt : *a) magnitudo operis :* agitur enim de religione propaganda et conservanda in *universo* orbe et de conversione *omnium* gentium; *b) doctrina rationi impervia seu mysteriis repleta :* nemo enim ignorat quantum mens hominis illis assentire refugiat, quæ non solum incomprehensibilia sed etiam sibi adversantia putat; *c) doctrina cupiditatibus directe opposita;* præcipit enim voluptates fugere, injurias condonare, omnes pravos animi motus repri-

mere, mundum odisse, honores et vitæ commoda parvi ducere et alia multa, quæ omnia ita sunt comparata, ut humanam naturam exterreant et odium pariant ejus religionis, quæ ea præcipit; *d) origo doctrinæ a Jesu, in Judaica natione nato et in cruce mortuo.* Judaica enim natio summe despecta erat, et nullum erat supplicium crucifixione ignominiosius.

Extrinsecæ difficultates : a) inveteratus superstitionis error a patribus traditus. Quanto magis error aliquis inolevit, tanto etiam tenacius ei homines adhærent, præsertim, si eum a patribus acceptum tenent, et quidquid ei adversatur, novitatis nomine contemnere solent; *b) ethnica superstitio, quæ tantumdem cupiditatibus blandiebatur, quantum doctrina Christi eis bellum indicit.* Facile enim id, quod cupiditatibus nostris placet, persuademus; sed difficulter id quod displicet admittimus; *c) tumida philosophorum superbia et sacerdotum ethnicorum avaritia.* Philosophos et sacerdotes ethnicos viribus unitis et omnibus artibus adhibitis, religioni christianæ obstitisse, ipsa historia testis est; *d) durissima persecutio* quæ pæne nunquam per tria priora sæcula fuit interrupta; *e) hæreses et schismata,* quæ ab Ecclesiæ initio exarserunt et constanter puritatem fidei et unitatem Ecclesiæ impugnarunt.

III. De mediis naturalibus ad has difficultates vincendas adhibitis. Si media naturalia, quæ Christianæ religioni ad has difficultates vincendas suppetebant, inquirimus, ea nulla aut vix ulla fuisse fatendum est. Ad Evangelium enim prædicandum missi sunt duodecim Apostoli, qui maxima ex parte erant piscatores, homines nullis litteris exculti, nullis armis nullisque divitiis instructi, nullo principum favore adjuti, pauperes, simplices et obscuri. Una eis est scientia : scire Jesum et hunc crucifixum; una eloquentia : verbum Christi aperte et simpliciter exponere; una prudentia : quidquid injuriæ inferebatur, patienter sustinere ac pro malis bona reddere.

Sectatoribus suis non tantum bona temporalia non promittunt, sed ignominiam, ærumnas et supplicia.

IV. Conclusio. Nemo non videt media, hic recensita, nulla ratione sufficere ad tantas difficultates superandas atque ad fidem Christi istis in difficultatibus tam late propagandam et post ejus propagationem integre conservandam. Attento enim hominum constanti et ordinario agendi modo, unusquisque intelligit, quod fides Christi, si aliis mediis, ac quæ hic exposuimus, non fuisset instructa, nunquam potuisset tam celeriter et tam late propagari et tam perfecte conservari. Jamvero præter hæc media naturalia, alia hic supponi non possunt ac auxilia supernaturalia Dei, miracula scilicet in demonstrationem hujus fidei facta et persuasio interna per lumen gratiæ data. Ergo nisi velimus admittere effectum sine causa, concedere debemus in propagatione et conservatione fidei Christi haberi interventum divinum; quod erat demonstrandum.

V. Objectiones. 1° Propagatio et conservatio ethnicismi, protestantismi et mahumedismi sunt facta omnino similia propagationi et conservationi fidei Christianæ; ergo.

R. Nulla inter propagationem et conservationem ethnicismi, protestantismi et mahumedismi et eam religionis Christianæ paritas invenitur. Ergo.

Etenim 1° ethnicismus, cujus varii orientales cultus quædam quasi formæ sunt, una cum defectione generis humani a vero Dei cultu ortus est, et ex rationis infirmitate ad veritates naturales cognoscendas et ex pravis cupiditatibus ita explicatur, ut si hæc defectio non accidisset, mirari et hujus rei causam quærere deberemus.

2° Quod ad protestantismum attinet, disparitas non minus manifesta est. Etenim *a)* protestantismus nullibi ut nova quædam religio, sed ubique sub reformationis prætextu introductus est, quod in propaganda fide christiana non contigit. *b)* Idem non tamquam res ardua, sed tamquam excussio jugi

cervicibus impositi annuntiatus est, quo et omnes cupiditates in suam societatem accivit. *c)* Ubicumque protestantismus propagatus est, ibi principes, viri nobiles et mali sacerdotes, alii aliis promissis allecti, ejusdem antesignani fuerunt et nedum ejus propagatio difficultates invenerit, plurimos potentes socios habuit. Si reformatores, ut se vocant, non falsam illam reformationem quæ cupiditatibus fræna laxabat, sed talem, quæ disciplinam ecclesiasticam severiorem inducendam sumeret, eamque ut diversam omnino religionem inducendam sumpsissent; si hoc in negotio ubique principes, nobiles, populum et sacerdotes sibi contrarios invenissent et persecutionem durissimam per tria sæcula sustinere debuissent; et si his non obstantibus opus suum perfecissent : tunc protestantismi propagatio nobis objici posset.

3° De mahumedismi propagatione, idem fere dicendum est ac de illa Protestantismi. Etenim *a)* Mahumetes religionem suam, non ut novam, sed ut ipsam Moysis et Christi religionem denuo instauratam proposuit. *b)* Non difficiliorem, sed longe faciliorem legem proposuit, nam pluribus vitiis maxime luxuriæ indulsit. *c)* Tandem propagatio hujus religionis armorum vi est facta. (Cfr. *Reinerding*. pag. 201.)

Obj. 2° Plures, aiunt increduli, existunt naturales causæ, e quibus explicari valent propagatio et conservatio fidei Christi. Plurimi homines, inquiunt, ad hanc fidem amplectendam, attracti fuerunt ex ipsa ejus indole : alii nempe spe veniæ peccatorum obtinendæ, alii autem operibus misericordiæ, quæ inter christianos fiebant, inducti sunt. Etiam addunt adjuncta temporis admodum propagationi doctrinæ Christi favisse : superstitionem scilicet ethnicam, quæ summum stultitiæ gradum attigerat, et adunationem omnium populorum sub uno sceptro, quæ transitum ab una orbis parte ad aliam maxime adjuvabat.

R. Prior objectionis pars nihil difficultatis adfert. Etenim spes veniæ peccatorum obtinendæ fidem non facit, sed supponit;

ac proinde quæstio remanet, quomodo isti homines crediderint. Deinde quod ad opera misericordiæ attinet, si dicatur, pauperes hisce eleemosynis inhiantes ad fidem esse allectos, quibus mediis allecti fuisse dicendi erunt, qui eleemosynas erogabant? Dein quomodo factum est, ut homines hujusmodi rebus allecti, in persecutione tantam ostenderint constantiam et nulla re ab ea religione profitenda amoveri potuerint? Num etiam proselyti, quos moderni quidam sectarum missionarii pecunia faciunt, tantam in religione profitenda constantiam ostendunt?

Quod spectat ad duo temporis adjuncta ab adversariis objecta, primum nihil aliud evincit ac errorem, in quo ethnici jacebant, viris sapientioribus palpabiliter ostendi potuisse; sed num hoc necessarium erat et multum juvabat? Absurditatem vulgaris superstitionis vel ipsi ethnici sapientiores bene cognoscebant, quin tamen populum ab ea revocare possent. Dein aliud est hanc ethnicismi absurditatem ostendere, aliud populum de veritate christianæ doctrinæ convincere. — Quod ad alterum attinet, hæc adunatio tot populorum sub uno sceptro romano utique effecit, ut Apostoli eorumque successores possent facilius de una gente ad aliam tendere : atvero hæc facilitas respicit unice materialem fidei propositionem et nihil omnino efficit sub respectu assensus, quem homines debent fidei dare. — Præterea hæc adunatio populorum, sicuti medium erat in manu Apostolorum et sacerdotum ad fidem ubique prædicandam, ita etiam fuit medium in manu impiorum ad Ecclesiam persequendam.

B.

De Constantia Martyrum.

I. Prænotandum. Martyrium quod in Ecclesia exstitit, considerari potest vel ut *factum* stupendum, ad cujus explicationem requiritur interventus divinus, vel ut *testimonium*, quod veritati religionis Christi exhibetur. Hic illud consideramus ut

factum, quod sine Dei speciali interventu seu sine miraculo explicari nequit.

II. De numero martyrum et de qualitatibus martyrii ipsorum. *a) Numerus martyrum fuit vere ingens, et complectitur fideles omnis ætatis, omnis sexus, omnisque conditionis.* — Dionysius Alexandrinus ad Domitium et Didymum de persecutione Deciana scribit (Apud *Euseb.* H. E. L. 7) : « Nostros vero (martyres) superfluum est nominatim recensere, » cum et plurimi sint et vobis ignoti. Id tantum in universum » vos scire convenit, viros et mulieres, juvenes et senes, puellas » et anus, milites et paganos (h. e. homines privati, qui non » militant), ex omni denique hominum genere atque ætate alios » flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certa- » mine superatis coronas retulisse. » Auctores profani idem testantur : juxta Tacitum enim (*Annal.* L. 15), *ingens fuit multitudo eorum,* qui sub Nerone crudeli martyrio necati sunt; et Plinius in litteris suis ad Trajanum imperatorem dicit se ab ipso de christianis persequendis consilium petere, *maxime propter periclitantium numerum.*

b) Qualitates martyrii Ecclesiæ Christi. — Qualitates, quæ præ cæteris in hoc martyrio attendi debent, sunt sequentes : *crudelitas tormentorum; summa martyrum constantia; virtutum exempla quæ martyres in subeunda morte dederunt; constantia hujus martyrii.*

Quod ad tormentorum crudelitatem attinet, testatur Tacitus : « *Quæsitissimis pœnis* (Nero) *affecit, quos vulgus christianos* » *appellabant* » (Annal. L. 15); et Lactantius dicit : « Quæ » autem per totum orbem singuli satellites impiæ jussionis » gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum » numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis. » Quibus similia referunt Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis, in præclara epistola ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos : « Et gravitatem quidem, inquiunt, ipsam ærumnarum et gen-

» tilium adversus sanctos furorem ac rabiem; quæque et quanta » beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo nec » quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem » virium impetu in nos irruit adversarius. »

Incredibilem martyrum constantiam testantur eorumdem acta. « Latrones, ait Lactantius L. 5. c. 13, ejusmodi lace- » rationes perferre nequeunt : exclamant et gemitus edunt, » vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. » Nostri autem, (ut de viris taceam) pueri et mulierculæ tor- » tores suos taciti vincunt : et exprimere illis gemitum nec » ignis potest. Eant Romani, et Mutio glorientur aut Regulo : » quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum » puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se » mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore » suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eaque pœna » veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus et » fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non » necessitate, quia licet vitare si vellent, sed voluntate, quia » confidunt Deo. »

Splendida virtutum exempla dederunt Martyres in passione sua : in ipsis elucent summa prudentia et modestia, in responsis firmissima fides, profunda fides, salutaris timor ex agnitione propriæ infirmitatis junctus cum fiducia in Deum, ardens in Deum et in proximum, etiam in persecutores et in tortores suos amor, mira mansuetudo et perfecta animi tranquillitas et hilaritas.

Constantia martyrii est etiam factum, tam manifestum, ut in dubium vocari nequeat : non est enim mundi regio, quæ martyrum rosis non fuerit ornata et eorum sanguine irrigata : neque martyres ultimæ ætatis confessoribus Ecclesiæ vix natæ, constantia et virtute inferiores fuerunt.

III. An factum martyrii, quod in Ecclesia Christi existit, ex naturalibus causis explicari potest? Nulla habetur

naturalis causa, ex qua factum tam universale loco et tempore tam stupendum, tam inauditum sufficienter possit explicari. Aliæ enim causæ naturales supponi hic non possunt ac sequentes : spes lucri, inanis gloriæ cupido, mentis furor, inanis exspectatio futurorum bonorum. Jamvero nulla ex istis locum hic obtinet. — Certe ex *spe lucri* factum istud explicari nequit, cum morte omnis lucri spes cesset. — Neque assignari potest ut causa sufficiens *inanis gloriæ cupido;* nam bene noverant martyres eam a religione sua proscribi. Præterea plures in speluncis et in sylvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt, a nemine cogniti, nisi a solo Deo. Denique infamia publica notati erant, plures conglobatim occisi vel combusti sunt, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem minime perventura esse. — Nec meliori jure assignari potest *mentis furor;* nam eum abfuisse evincunt tot, quibus martyres ornabantur, virtutes; imprimis pax animi mentisque tranquillitas, prudentia in responsis, humilitas, diffidentia de sua virtute et juges ad Deum fusæ preces. — Neque etiam *inanis exspectatio futurorum bonorum* haberi hic potest ut causa sufficiens : non diffitemur quidem, martyres spe cœli vehementer impulsos fuisse ad fortiter tormenta et mortem subeunda, ut eorum acta passim testantur; attamen si hæc fides fuisset inanis seu falsa, non potuisset causa esse talis constantiæ et tam sublimium virtutis actuum. Potest quidem esse et sæpe est opinio erronea conjuncta cum pertinacia et inde etiam cum constantia et fortitudine admiranda; verum nunquam potest esse radix vitæ omnino sanctæ et perfectæ; atque in magna multitudine hominum, qui virtutem colunt, qui prudentes sunt atque ab omni mala concupiscentia alieni, diu subsistere nequit. (Cfr. *Hurter SS. PP. Opuscula.* Tom. IV.)

Notetur hanc demonstrationem esse valde solidam, attento numero martyrum : si rari essent martyres, suspicio posset haberi, quod forsan in singulis casibus latuerit quædam parti-

cularis causa. Verum ubi magnus habetur martyrum numerus, necessario generalis et universalis causa debet supponi.

IV. Conclusio. Factum martyrii Ecclesiæ Christi, cum ex naturalibus causis explicari nequeat, necessario ex supernaturali causa explicandum est, scilicet ex speciali Dei interventu, id est, ex signis supernaturalibus quibus Deus veritatem missionis et doctrinæ Christi demonstravit et ex lumine interno gratiæ. Si quis enim id rejiceret, deberet admittere effectum sine causa.

V. Objectiones. 1° Cæteri cultus, uti paganus et mahumedanus, omnesque fere sectæ hæreticæ et schismaticæ suos habent martyres; ergo si catholici ex martyrio veritatem suæ religionis probant, acatholici possunt idem facere.

R. Valeret objectio, si illi, quos falsarum religionum cultores martyres vocant, vere conferri possent cum martyribus nostris, ac proinde iisdem illis dotibus essent ornati, quæ supernaturalem Dei interventum requirunt. Jamvero illi tot et tantis discriminibus a martyribus nostris separantur, ut cum eis nulla ratione possint conferri et prorsus eis dotibus careant, quæ interventum supernaturalem Dei postulant. Ergo.

Primum discrimen est sub respectu numeri; nam nulla gens, nulla secta tot martyres proferre potest, quot Ecclesia numerat. *Secundum* discrimen est in conditione personarum quæ martyrium subierunt: in Ecclesia Christi inter martyres computantur non tantum homines alicujus specialis ordinis, sed cujusvis conditionis, sexus et ætatis; dum apud religiones falsas et sectas nonnisi quidam homines ad specialem aliquam classem pertinentes pro cultu suo mortem subierunt. *Tertium* discrimen est in tormentis; talibus enim tamque horrendis tormentis, qualia sustinuerunt martyres nostri, nullus vel fere nullus eorum, qui martyribus solent opponi, subjectus fuit. *Quartum* discrimen et quidem præcipuum in eo est quod martyres Christi omnium virtutum comitatu suam ornaverint confessionem; dum qui martyres dicuntur alterius religionis vel sectæ potius multorum

vitiorum dederunt exempla, spiritus nimirum vindictæ, superbiæ, odii, etc. — Jamvero hujusmodi martyrium maxime a martyrio discipulorum Christi differt et sane specialem Dei interventum non requirit, sed ex peculiaribus quibusdam naturalibus causis explicari potest : imo, ubi in subeunda morte vitia apparent, manifeste liquet ex hac passione mortis nihil in favorem alicujus religionis vel sectæ deduci posse.

Obj. 2° Fortitudo militum constantiæ martyrum comparari potest : sed hæc fortitudo naturaliter explicatur et non supponit interventum aliquem specialem Dei. Ergo nec constantia martyrum hoc supponit.

R. Falso asseritur fortitudinem illam militum constantiæ martyrum comparari posse; ac proinde ruit objectio. Milites enim sæpe coacte pro patria pugnant; atque insuper spe prædæ, spe gloriæ, spe honoris, spe evadendi periculo, spe salvandi suos suamque patriam alliciuntur; atque insuper non exponunt se morti omnino certæ, sed semper aliquam evadendi spem servant. — Jamvero hæc omnia immediate conducunt ad hominem, ut strenue pugnam accipiat, movendum. In martyrio autem discipulorum Christi ea omnino absunt. Ergo.

Obj. 3° In India, aiunt adversarii, viduæ, defuncto viro, rogum, in quo ejus cadaver imponitur, ascendunt, ut ejus sortem in altera vita participent; atque multæ personæ tum viri tum mulieres in solemnioribus diebus vitam suam cuidam idolo immolant.

R. Hæc constantia ut *miraculum morale* haberi non potest, cum notis negativis ad verum miraculum requisitis careat. In factis citatis istæ personæ seipsas occidunt, quod certe grave constituit peccatum contra legem naturæ; jamvero repugnat ut factum peccaminosum in Deo causam suam habeat. Ergo.

C.

De mutatione morum.

—

I. Prænotandum. Non agimus in hac quæstione de hominum ad fidem Christi conversione et de eorum in hac fide constantia, sed de emendatione morali quam hæc fides in iis, qui eam sunt amplexi, produxit. — Patebit autem, quod divinitas fidei christianæ ex mutatione morum, quam produxit, plene demonstratur, si constet *a)* mutationem morum vere stupendam ab hac fide esse productam, et *b)* hanc stupendam morum mutationem ex naturalibus causis explicari non posse.

II. De veritate stupendæ morum mutationis per fidem Christianam effectæ. Historiæ testimonia clare et aperte testantur fidem Christi homines ab errore et ignorantia circa Deum officiaque sua moralia liberasse, a peccaminosa revocasse vita et ad praxim omnium virtutum direxisse, familiam rite ordinasse atque sanctificasse, et societatem civilem rectis imbuisse principiis. — Loco errorum paganismi mentem perfudit fides Christi doctrina de Deo, ente perfectissimo, universi creatore, sanctissimo legislatore et justissimo judice, de animæ immortalitate et sublimi fine ei assignato, etc. Atque hæc doctrina non penes nonnullos electos remansit discipulos, sed hominum omnis conditionis et dignitatis animos occupavit, ita ut etiam infimæ plebis homines de rebus ad salutem pertinentibus clare et secure loquantur, de quibus philosophi antea ancipites hærebant. — Loco morum corruptionis, quæ tempore adventus Christi ubique vigebat, sicuti testantur SS. Litteræ (*Rom.* I, 24; III, 9; I *Cor.* VI, 9), induxit sublimem vitæ sanctitatem, cujus rei testes sunt non tantum Patres sed et ipsi gentiles. Patres, qui omnes non minus eruditionis quam honestatis sunt illustres, non veriti sunt stupendam illam mutationem ex Evangelii prædicatione ortam mire prædicare in publicis scriptis

ad Imperatorem, Senatum et populum romanum missis. Sic ait S. Justinus (*Apol.* I, n. 24) : « Qui olim stupris gaudebamus, » nunc castimoniam unice complectimur : qui magicis etiam » artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo : » qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores » habebamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune con- » ferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus : qui » mutuis odiis et cædibus pugnabamus et cum iis, qui tribules » nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non » habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores » sumus, et pro inimicis oramus. » Et similia habent reliqui. Idem porro testantur pagani. Sic Plinius, Bithyniæ proconsul, de Christianis scribit ad Trajanum : « Affirmabant (Christiani) » hanc fuisse summam vel culpæ vel erroris, quod essent soliti » stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo » dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod » obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria commit- » terent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. » — Quod nunc ad vitam socialem atque domesticam attinet, fides Christiana mentibus infixit obedientiam potestatibus propter conscientiam esse præstandam atque omnem potestatem a Deo esse ordinatam. Etiam ejus ope feritates atque immanitates amphitheatrorum sunt rescissæ, bella evaserunt rariora, victores mitiores atque magnanimiores, atque servitus fere ubique aut abrogata, aut saltem sors servorum meliorata est, quum Evangelium nonnisi charitatem, pacem, injuriarum illatarum condonationem prædicet, atque omnes homines inter se æquales, filios ejusdem Patris cœlestis esse, tradat. Vinculum matrimoniale firmatum ac sanctificatum, dignitas uxorum restituta, et potestas paterna, cui in omnem crudelitatem et immanitatem degenerare licebat, coërcita est. Pauperibus, miserisque hominibus aperta sunt ubique perfugia, erectæ sodalitates, et virorum et mulierum instituta fundata ad juventutis institutionem,

captivorum liberationem, ægrotorum curationem et pauperum sustentationem. (Cfr. *Schwetz. Theol. fund.* p. 345.)

III. Demonstratur hanc morum mutationem aliunde ac a Deo proficisci non potuisse. Nemo nescit quantæ molis sit vel unius hominis mentem immutare et ex flagitioso homine vere probum et sanctum efficere. Id enim certe fieri nequit, attenta humanæ naturæ ad vitium proclivitate, quin clara et peremptoria proponantur ad sanctam vitam amplectendam motiva; atque habitis hujusmodi motivis, etiam sæpe fiet, ut peccatum non derelinquatur atque sanctitatis via non ineatur. Verum, si res ita sese habet pro conversione unius peccatoris, quid dicendum erit de iis, quæ necessaria sunt pro conversione multitudinis prope innumeræ et ubique terrarum dispersæ? Sane liquet, quod si Christi fides clarissimis et certissimis signis non fuisset demonstrata et interno divinæ gratiæ lumine non fuisset persuasa, nunquam potuisset generalem in mundo producere morum mutationem. Si enim hæc generalis morum mutatio facta fuisset sine sufficienti rei demonstratione, dicere oporteret homines innumeros contra ordinarium agendi modum sine motivo ac proinde stulte egisse; quod est absurdum. Quæ maxime confirmantur ex eo quod nullum exstiterit unquam imperium, secta, schola philosophica, quæ similem in melius innovationem effecerit seu talem tantamque reportaverit victoriam de vitiis, de cupiditatibus, de affectibus in corde humano tam alte insitis. Merito igitur dixit Origines *(adv. Celsum*, L. I. n. 47) : « Divinitatis testes sunt tot ecclesiæ homi- » num, qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos addicunt » et in omnibus illi placere student. »

IV. Objectio. Id saltem negari non potest, aiunt adversarii, Christianos cito defecisse a primo fervore, et in omni ætate multa fuisse apud eos flagitia et immania crimina; ergo non est, cur tantopere extollatur hujus fidei christianæ ad immutandos mores efficacia.

R. Res objecta nihil contra nostram thesim demonstrat, cum non dicamus fidem Christi omnia flagitia et peccata sine ulla exceptione e mundo expulisse, atque perfectissimam ubique produxisse sanctitatem, sed tantum stupendam et permagnam morum mutationem effecisse. Jamvero cum hujusmodi stupenda et permagna morum mutatione non pugnat, quod fervor pietatis per omnes ætates, mutatis rerum circumstantiis in eodem gradu non maneat et quod quidam christiani flagitiis et immanibus criminibus se maculent. Ergo.

SECTIO POSTERIOR

De divinitate religionis christianæ per notas internas demonstranda

—

ARTICULUS PRIOR

De Notis internis positivis

Prænotandum. Considerabimus hic characteres tum personæ Christi tum doctrinæ ejus; et inquiremus an Christi persona et doctrina tales sint, ut inde veritas missionis et doctrinæ ejus deduci valeat.

§ I.

Q. Quales sunt characteres personæ Christi et quomodo ex eis demonstratur divinitas missionis et doctrinæ ejus?

R. *In Christo apparet summa perfectio intellectualis et moralis, quæ talis est ut specialem Dei interventum supponat.*

—

I. Demonstratur in Christo summam apparere perfectionem intellectualem et moralem. *a)* Summam in Christo fuisse intelligentiam et scientiam, Scripturæ clare testantur. In ejus enim sermonibus in Scriptura relatis apparent : 1° *ingenii*

perspicacia, nam adversariorum subtilitates eludit, tela inimicorum in ipsos retorquet et propriis verbis eos confundit (Matth. XXII, 15-46; Joan. VIII, 3-11.). 2° *scientiæ profunditas*, nam summa cum facilitate et claritate de rebus abstrusis et de altissimis mysteriis disserebat, omnium dubia dissolvebat, et doctrinam cœlestem proponebat; 3° *immunitas ab erroribus et præjudiciis,* quibus homines suæ gentis erant imbuti; nam corrigebat omnes errores omniaque præjudicia impugnabat. 4° *mirabilis ars* altissimam doctrinam captui plebis adoptandi et egregia simplicitate exponendi.

b) Vitam moralem Christi omnibus virtutibus esse conspicuam, omnes N. T. paginæ nos docent : 1° Quoad Deum Patrem suum, *maximum amorem, maximam pietatem maximamque submissionem* semper ostendit. Jussit enim ut semper Deum oraremus *(Luc.* XVIII, 1); ejus vita erat oratio continua et constans unio cum Deo *(Joan.* IV, 34; V, 43) : nihil aliud præ oculis habebat, ac implere Dei voluntatem *(Joan.* VI, 38). 2° Erga proximum ostendit *amorem humilem et mitem, gratuitum, ardentissimum, seseque ad omnes homines sine ulla exceptione extendentem.* Seipsum enim proposuit ut exemplum mansuetudinis et humilitatis *(Matth.* XI, 29); — lavatio pedum discipulorum ab ipso facta, verba ejus ad Judam *(Luc.* XXII, 48), et oratio ejus in cruce pro inimicis suis *(Luc.* XXIII, 34) patefaciunt, quam magnus fuerit ejus amor; — beneficia omnibus indistincte ab ipso præstita, specialis ejus cura pro pauperibus et peccatoribus, mors terribilissima pro omnibus tolerata clare probant ejus amoris vim atque universalitatem; — et tota ejus vita, quæ constans fuit suiipsius immolatio ad proximum salvandum, ostendit quam purus et sanctus ejus amor fuerit. — 3° *Immunis est vita Jesu vel a minima peccati aut defectus macula.* Ejus enim immunitatem a peccato agnoverunt omnes Christi coævi, tam inimici *(Matth.* XXVI, 60; XXVII, 4, 18, 23; *Joan.* VIII, 46) quam amici *(Joan.* I, 29;

2 *Cor.* V, 21); et ipse in tota vita sua nihil egit quo se alicujus peccati conscium monstraverit, sed contra, quamvis esset humillimus, coram infensis Judæis, quos de peccato accusabat et ad pœnitentiam hortabatur, de se affirmare ausus est : « *Quis* » *ex vobis arguet me de peccato.* » (*Joan.* VIII, 46.) — Uno verbo vita moralis Christi tam perfecta est, ut sit omnium virtutum exemplar perfectissimum, quod omnes homines in quacumque conditione imitari possunt, sed quod nullus homo unquam adæquare potuit.

II. Demonstratur hujusmodi perfectionem intellectualem et moralem ex naturalibus causis explicari non posse. *a)* Imprimis hujusmodi perfectio intellectualis certe sine Deo explicari non potest. Etenim tantus intellectus in homine litterato, qui per longum tempus apud clarissimos magistros studiis incubuisset, indubie esset incomprehensibilis, attenta ingenii humani infirmitate, quæ nobis per historiam est nota; verum quid erit in homine qui litteras non didicit, sed in officina fabri vitam transegit, qualis fuit Jesus.

b) Pariter tanta virtus quæ nullos patitur defectus et quæ per tres annos omni genere difficultatum, tentationum, insidiarum fuit probata, quin levissima quidem macula sit deturpata, manifeste excedit fragilitatem naturæ humanæ; nam experientia quotidiana demonstrat ipsos sanctissimos homines a culpis semivoluntariis diu immunes non esse.

Quapropter concludere debemus talem esse perfectionem intellectualem et moralem Christi, ut Dei interventum supponat. Sed Dei interventus supponi non potest in impostore. Ergo liquet missionem et doctrinam vere divinam dicendam esse.

§ II.

Q. Quales sunt characteres doctrinæ Christi et quomodo ex eis demonstratur divinitas missionis et doctrinæ ejus?

R. *Tam sublimis et perfecta est hæc doctrina sub respectu*

dogmatum, præceptorum moralium et institutorum ad divinum cultum pertinentium, ut manifeste divinum interventum supponat.

—

I. Demonstratur sublimitas et perfectio doctrinæ christianæ : *a) sub respectu dogmatum.* Hæc doctrina solvit imprimis perfectissimo modo omnia de Deo, deque nostris cum Deo relationibus quæsita quæ naturali rationis nostræ potentia attingi possunt : docet enim Deum vere existere, Eumque esse ens spirituale, infinitum, liberum, justissimum et optimum ; nos totumque mundum a Deo ex nihilo esse creata, nostrumque finem esse Deum colere ut ita mercedem ab ipso in altera vita accipiamus. Dein circa quæsita illa, quæ ratio solvere nequit, uti v. g. conditiones ad remissionem peccati requisitæ, naturam pœnarum et mercedis alterius vitæ, etiam plene nos edocet. Tandem veritatibus naturalibus multas adjecit veritates supernaturales de Deo deque homine, quæ mirabiliter cum veritatibus naturalis ordinis sunt connexa.

b) sub respectu præceptorum moralium. Opus non est ut præcepta moralia in Christi doctrina contenta, in specie consideremus : ipsorum perfectio atque sublimitas ab omnibus est nota et omnium celebratur laude. Nemo enim non novit, quod si hæc præcepta exacte observarentur, ordo perfectus et pax serenissima in mundo vigerent, et quod tunc tantum ordo et pax turbantur, ubi a legibus per Christum traditis receditur.

c) sub respectu eorum quæ a Christo sunt instituta. Præcipua Christi instituta sunt Ecclesia, sacrificium Missæ et septem sacramenta. Ecclesiam nempe instituit, quam omnibus mediis ad finem necessariis instruxit perfectissimaque organizatione ornavit et cui destinationem universalem atque perpetuam dedit. Sacrificium autem Missæ et septem Sacramenta ab ipso instituta, cum ab una parte visibilia et ab altera invisibilia sint, optime consonant naturæ humanæ, quæ anima et

corpore constat. Insuper completa atque efficacissima salutis media in ipsis continentur.

II. Demonstratur doctrinam tam sublimem nonnisi per Dei interventum, per divinam scilicet revelationem explicari posse. Id sequenti ratione probatur : Doctrina religiosa, quæ neque a præstantissimis philosophis, neque etiam a celeberrimis scholarum magistris simul laborantibus potuit detegi, certe supponi non potest ab homine inventa, qui specialiter studiis philosophicis non incubuit; cum intelligi non valeat, quomodo unus ille homo sine speciali labore posset attingere, quod cæteri omnes doctissimi viri, nec suis studiis personalibus, nec cum aliis labores suos conferendo, attingere potuerunt. Jamvero nullus philosophus antiquus, nullaque antiqua schola potuit aut *a)* religionem naturalem plene, integre et absque commixto errore detegere et proponere, aut *b)* ad quæsita illa, quæ a naturali lege non solvuntur, solutiones dare, quæ rationem nullatenus offenderent, aut *c)* excogitare mysteria quæ cum naturalibus nostris notionibus non pugnant, sed contra eas perficiunt atque complent, aut *d)* institutionem religionis universalis et perpetuæ cum organizatione completa et perfecta, qualis habetur in Ecclesia Christi, mente concipere. Christus autem, quem Judæi confessi sunt filium fuisse fabri et litteras non didicisse, hæc quatuor præstitit. Ergo dicendum est, quod ipse non perfecit ea per suas naturales vires, sed per interventum Dei, seu per revelationem Dei; quod erat demonstrandum.

III. Objectio. Opponunt adversarii, Christum nihil novi in mundum attulisse, sed tum a lege mosaica, tum a philosophia antiqua, tum a religionibus ethnicorum sua dogmata ac suos ritus mutuatum esse. Ita hac de re scribit Laurent in suo libro, *Histoire de l'Humanité, Tome : Christianisme,* pag. 21 : « Le Christianisme est le but auquel aboutissent toutes les spé- » culations philosophiques et religieuses de l'antiquité; on peut » donc affirmer qu'il a hérité de toutes les religions, de toutes

» les philosophies. Le lien peut nous échapper parfois; mais » qu'importe? Il n'existe pas moins. Le Mosaïsme recueille les » conceptions du génie sacerdotal de l'Egypte et de l'Orient. » Jésus-Christ continue Moïse; il vient non détruire la loi » ancienne, mais la compléter.

» *L'Evangile n'est pas une doctrine, c'est un feu qui* » *échauffe les âmes*. Mais il faut une doctrine à toute religion. » Saint Paul en jette les bases (ergo juxta Laurent, Christus » Dominus nullam doctrinam proposuit, et S. Paulus est doctrinæ » christianæ auctor); elle se développe sous l'influence de la » philosophie grecque. » Infra, idem auctor conatur demonstrare christianismum ortum esse ex Bouddhismo, Mazdeismo, Mosaïsmo et ex philosophia antiqua; idem contendunt multi hodierni.

R. Christum multa ex lege mosaica retinuisse facile concedimus; nam lex antiqua pariter, uti ex ipsa Christi doctrina liquet, Deum habet auctorem. Attamen Christus, quæ in antiquo Testamento haud erant evoluta, explicavit et quæ imperfecta, ad perfectionem adduxit; præterea multa addidit quæ Judæis prorsus erant incomperta; ita ut antiquum Testamentum ad novum velut umbra ad veritatem, aurora ad meridiem se habeat.

Quod autem attinet ad veteres philosophias atque religiones gentilium, absurde asseritur ab incredulis Christum ex illis religionem suam efformasse. Habentur quidem inter doctrinam Christi et systemata religiosa antiquorum quædam similitudines, sed, juxta eas, existunt differentiæ essentiales. Ex similitudinibus istis concludunt increduli Christum ex hisce systematibus doctrinam suam deprompsisse; sed hæc illatio est prorsus falsa. — Etenim *a)* systemata antiquorum philosophorum adeo sunt incerta, dubia et variis erroribus permixta, ut ne a longe quidem cum religione christiana æquiparari possint. Quod eo magis de religione gentilium, necnon de eorum mysteriis dici debet quæ, saltem tempore Christi prorsus degenerata, potius

sceleris et mendacii seminaria evaserant. *b)* Præterea nullo modo explicari potest, quare Christus, si ex hisce fontibus patentibus suam doctrinam suaque instituta hausisset, solus tantus et talis Doctor humani generis prodierit, qui ante et post nullum similem habuit. *c)* Varia vestigia plurium dogmatum doctrinæ Christianæ apud diversos populos occurrere non negamus; verum ipsa non sunt nisi fragmenta primitivæ traditionis, plus minusve erroribus fœdatæ, quæ potius lumine doctrinæ christianæ egent, ut agnoscantur, quam ut ei originem dare potuerint. Cum enim hæc vestigia apud omnes nationes per totum orbem dispersas inveniantur, et eo clariora sint quo magis ad primam mundi ætatem accedunt, liquet ipsa non esse inventa ingenii humani de die in diem magis magisque se evolventis, sed reliquias revelationis, in mundi initio factæ, quæ partim est deperdita, partim deturpata. Sed opus non est hominis, e revelatione partim tantum superstite et deturpata pristinam revelatam doctrinam integre restituere atque etiam complere. Ergo nulla ratione supponi potest Christum e doctrina religionum gentilium doctrinam illam sublimem, quam proposuit, desumpsisse (1).

ARTICULUS POSTERIOR

De Notis internis negativis

Q. An doctrina Christi notis internis negativis divinæ revelationis gaudet?

R. *Doctrina Christi vere immunis est ab omni evidenti pugna cum veritatibus naturalibus omnino certis, aut cum propriis suis principiis, aut cum præcedenti revelatione;*

(1) Quod pertinet in specie ad relationes inter religionem Christianam et religiones quæ in India vigerunt, vide e. g. in opere *La Bible dans l'Inde* (Védisme, Brahmanisme et Christianisme), par Mgr de Harlez, Professeur à l'Université de Louvain. Paris et Bruxelles. Palmé.

atque etiam ab omni nequitia et perversitate, ab omni fraude et perversa arte; et idcirco dicenda est notis negativis divinæ revelationis gaudere.

—

Demonstratio. Si consideramus ipsam religionem christianam atque modum, quo nobiscum communicata est, nihil proferri potest, quod veritatibus aliunde certis sive naturalibus sive supernaturalibus, aut factis indubitatis, aut sapientiæ et sanctitati divinæ repugnet, seu quod Deo sit indignum. Religio enim christiana inter adversarios nata est et crevit, qui eam continuo infensis oculis observarunt, atque summa mentis acie in disquisitionem vocarunt, Judæi et gentiles æque ac apostatæ, hæretici et schismatici postea. Ast nemo horum infensissimorum adversariorum aliquid detegere potuit, quod cum principiis rationis, sive theoreticis, sive practicis, sive aliis veritatibus historicis non possit componi, aut quod divinis attributis adversetur. Quæcumque hucusque contra divinitatem religionis christianæ prolata sunt, omnia plene sunt soluta et disparuerunt sicut palea vento ablata; ita ut ratio sana et limitum suorum haud ignara prorsus non habeat, quod cum fundamento opponat. (*Schwetz. Theol. fund.* pag. 268.)

Ad hanc demonstrationem evertendam maxime insistunt impii et rationalistæ in mysteriis, quæ doctrina Christi complectitur. Hæc, aiunt, sunt *supra* rationem, ac proinde etiam contra rationem, quia juxta ipsos id quod rationem superat essentialiter cum ea pugnat. — Verum, quam turpis error in hac objectione contineatur, *pag.* 126 sqq. ostendimus. Probavimus enim in eo manifestam haberi terminorum confusionem et naturam humanam infinitæ naturæ Dei æquari.

CONCLUSIO TOTIUS LIBRI

Scopus totius libri fuit : ostendere religionem Christi vere esse a Deo revelatam. Jamvero iste scopus est obtentus. In

priori enim parte libri demonstravimus nihil omnino obstare, quominus revelatio fieri possit, seu eam ex omni parte esse possibilem; unde deduximus religionem christianam a priori rejici non posse, quia est revelata. Dein in posteriori parte accessimus ad ipsam quæstionem *facti* : adhibendo nimirum criteria tum externa tum interna, quibus revelatio divina est cognoscibilis, ostendimus omnes veræ revelationis notas in religione Christi inveniri. Quapropter concludere debemus eam vere *divinam* esse. — Qua re præstita, statim exurgit quæstio, an religio ista sit obligatoria; verum solutio hujus quæsiti in oculos incurrit : per se enim liquet, quod Deus, ubi relationem ad homines facit, certo vult ut ipsi eam amplectantur; sed et insuper Christus clare, uti omnes novimus, obligationem suæ religionis amplectendæ declaravit ubi, Apostolos suos ad omnes gentes ablegando, dixit : « *qui crediderit et baptizatus fuerit,* » *salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* » *(Marc.* XVI, 16.)

Superest nunc ut hanc doctrinam Christi, in quo tota spes nostra et salus nostra sita est, Deo acceptam referamus, firma fide eam constanter teneamus et ex corde cum S. Paulo dicamus :

Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Jesu-Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. *(Eph.* I, 3.)

INDEX

Introductio ad universam Theologiam catholicam

Pag.

§ I. *Quid est theologia in universum et quid theologia catholica in specie* 1
§ II. *Quomodo dividitur Theologia catholica* 9
Q. I. Quomodo dividitur Theologia dogmatica 12
Q. II. Quomodo dividitur Theologia moralis 13
Q. III. Quomodo distinguitur Theologia moralis a Jure canonico . 15
§ III. *Quali methodo tractanda est Theologia catholica* 15
Q. I. Qualis est usus rationis in Theologia 21
Q. II. An constituenda est positiva de fide dubitatio tamquam studii theologici fundamentum 26
Q. III. An demonstrationes theologicæ vim habent assensum fidei christianæ necessario producendi 27
§ IV. *Quomodo apte dividi potest historia Theologiæ catholicæ* . . . 29
§ V. *Quanti momenti est theologica scientia in Ecclesia.* 43

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

Prœmium 49

PARS PRIOR

De Divinæ Revelationis possibilitate

Prænotanda. 58
CAPUT PRIMUM. **De Religione seu Dei cultu naturali.**
§ I. *De certitudine in religione naturali* 59
§ II. *De demonstratione existentiæ Dei* 68
Q. I. An existentia Dei non est veritas per se nota. 83
Q. II. An existentia Dei ex solo ideali Dei conceptu deduci non potest 83
Q. III. An Atheismus est possibilis 84

Pag.

§ III. *De cultu jure naturæ Deo exhibendo* 86

a) *An homo, Deo cognito, tenetur ex rationis dictamine Deo cultum exhibere et quam necessario ad id tenetur* 86

b) *An homo ex rationis dictamine tenetur Deum non solum interno sed etiam externo cultu honorare* 92

c) *An homo ex rationis dictamine tenetur etiam publico seu sociali cultu Deum honorare* 97

§ IV. *De Indifferentismo* 99

CAPUT SECUNDUM. **De physica Revelationis possibilitate a parte Dei.**

PRÆNOTANDA. 104

§ I. *De physica Dei potentia ad revelationem faciendam.* 108

Q. I. An revelatio potest fieri tam interne quam externe . . . 111

Q. II. An revelatio potest fieri tam mediate quam immediate . . 112

§ II. *De veritatibus quas Deus revelare potest* 119

Q. An Deus potest etiam revelare instituta seu præcepta positiva. 135

CAPUT TERTIUM. **De notis seu criteriis divinæ Revelationis, seu de mediis divinam revelationem certe agnoscendi et eam a falsa discernendi.**

PRÆNOTANDA. 142

SECTIO PRIOR. ***De Miraculis*** 152

§ I. *De Miraculi possibilitate* 166

§ II. *De Miraculi cognoscibilitate* 184

Q. De magnetismo et spiritismo 209

§ III. *De Miraculorum vi demonstrativa* 223

SECTIO POSTERIOR. ***De Prophetiis*** 231

§ I. *De Prophetiarum possibilitate* 234

§ II. *De Prophetiarum cognoscibilitate.* 238

§ III. *De prophetiarum vi demonstrativa* 242

CAPUT QUARTUM. **De necessitate et convenientia Revelationis.**

§ I. *De necessitate revelationis relate ad cultum supernaturalem.* . 246

§ II. *De necessitate revelationis relate ad cultum naturalem* . . . 249

§ III. *De revelationis cum humana natura convenientia.* 274

PARS POSTERIOR

De Revelationis Christianæ divinitate

PRÆNOTANDA. 287

CAPUT PRIMUM. **De veritate historica Revelationis christianæ seu de auctoritate historica S. Scripturæ.**

Pag.

SECTIO PRIOR. ***De auctoritate historica Librorum Sacrorum Veteris Testamenti*** 291

§ I. *De authentia Pentateuchi.* 291

§ II. *De integritate Pentateuchi* 304

§ III. *De veracitate Pentateuchi* 309

§ IV. *De authentia, integritate et veracitate cæterorum librorum Veteris Testamenti* 318

SECTIO POSTERIOR. ***De auctoritate historica Librorum Sacrorum Novi Testamenti*** 320

§ I. *De authentia Librorum N. T.* 320

§ II. *De integritate Librorum N. T.* 328

§ III. *De veracitate Librorum N. T.* 332

CAPUT SECUNDUM. **De veritate divinitatis Revelationis Christianæ.**

SECTIO PRIOR. ***De divinitate Revelationis christianæ per prophetias et miracula comprobanda*** 343

ARTICULUS I. De Prophetiis 343

§ I. *De præcipuis prophetiis Veteris Testamenti, quæ Messiam prænuntiant et in Christo sunt impletæ* 344

a) De prophetia Geneseos III 345

b) De prophetiis, quæ de Messia prænuntiant, quod fœdus antiquum per Moysen conditum abrogaret novique testamentimediator existeret, quod sacrificia antiqua aboleret et seipsum in hostiam Deo placentem offerret, et quod ad Ecclesiam, quam fundaret, omnes vocaret nationes 350

c) De prophetia Jacob, *Gen.* XLIX 355

d) De prophetia Daniel IX 361

e) De prophetia Aggæi II. 369

f) De prophetia Malachiæ III 371

g) De prophetiis individuas notas tum personæ tum vitæ Messiæ respicientibus 372

h) Scholion de valore harum prophetiarum 376

§ II. *De præcipuis prophetiis, quas Christus ad doctrinæ et missionis suæ divinitatem demonstrandam fecit* 379

ARTICULUS II. De Miraculis 384

§ I. *De miraculis, quibus missio et doctrina Christi confirmatur, universim consideratis* 385

§ II. *De comprobatione missionis et doctrinæ Christi per miraculum ejus resurrectionis* 401

§ III. *De comprobatione missionis et doctrinæ Christi ex vita miraculosa Ecclesiæ* 414

a) ex propagatione et conservatione fidei 416

Pag.

b) ex constantia martyrum 421

c) ex mutatione morum per fidem Christi effecta 427

Sectio Posterior. ***De divinitate Revelationis christianæ per notas internas demonstranda*** 430

Articulus I. De notis internis positivis 430

§ I. *De charactere personæ Christi et de modo quo ex ipso divinitas missionis et doctrinæ ejus demonstratur.* 430

§ II. *De charactere doctrinæ Christi et de modo, quo ex ipso divinitas missionis et doctrinæ ejus demonstratur* 433

Articulus II. De notis internis negativis. 437

§. *Demonstratur doctrinam Christi vere notis internis negativis gaudere* 437

Conclusio totius libri. 438

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag.	*Linea.*	*Legitur.*	*Legendum.*
7	30	finem	fidem.
15	21	*a)* dein debet pleniorum	*b)* dein debet pleniorem.
25	14	*indigna*	*indiga.*
28	11	*post verba :* eliciendum imperare., *adde :* Intellectus enim *ex seipso,* determinatur solummodo ad assentiendum veritatibus *sibi propositis ut evidentibus.* Jamvero veritates fide credendæ, per demonstrationes theologicas nobis proponuntur quidem ut *fide dignæ,* non vero ut *intellectui evidentes ;* fides enim, juxta Apostolum, est *argumentum non apparentium.* (*Hebr.* XI, 1.) Ergo assensus in veritates fide credendas non determinatur a solo intellectu, sed imperari debet a voluntate.	

Pag.	*Linea.*	*Legitur.*	*Legendum.*
37	13	explorarunt	explorarent.
»	18	acerimos	acerrimos.
38	14	Valentina	Valentia.
44	12	quædam	quænam.
56	7	Schoppenhauer	Schopenhauer.
59	20	Q. I. AN MENS etc.	Q. AN MENS etc.
121	12	nisi dicendo	nisi dicatur.

INDEX ANALYTICUS

Requisita legis impleta sunt, ut servetur Auctori proprietas hujus operis.

THEOLOGIA DOGMATICA

ILLmi AC REVmi Dni H. C. LAMBRECHT.

INTRODUCTIO et DEMONSTRATIO CHRISTIANA

INDEX ANALYTICUS

quem in usum suorum alumnorum confecit

Ad. HEBBELYNCK,

S. Theologiæ Doctor
Theol. Dogm. Professor in Semin. Gandav.

GANDAVI,
EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILLmi EPISCOPI.
1890.

PROPRIETAS.

IMPRIMATUR

† **ANTONIUS,** *Episc. Gandav.*

Gandæ 20 Julii 1890.

QUÆSTIONES IN THEOLOGIAM DOGMATICAM

INTRODUCTIO

AD UNIVERSAM THEOLOGIAM CATHOLICAM

Introductionis *ratio* et *divisio*

Q. Quasnam *partes* complecti debet **Introductio** in Theologiam, ad *fructuosum* hujus disciplinæ studium præparandum?

§ I. De *essentia* Theologiæ

1° **Definitio** theologiæ

Q. 1. Definiatur theologia **universim sumpta.**

2. Quid huic definitioni adjiciendum est, ad determinandam *in specie* essentiam theologiæ **catholicæ?**

2° **Explicatio** definitionis *a)* theologiæ *universim sumptæ*

3. Explica definitionem theologiæ universim sumptæ, declarando 1° qua ratione per varias, *pro variis ætatibus*, vicissitudines, hæc ipsa definitio invaluerit; 2° quomodo distinguat theologiam a **catechismo**; 3° quomodo designet theologiæ *a) objectum materiale* tum principalius, tum secundarium, *b) fundamentum* sive *fontem* quo simul determinatur theologiæ *objectum formale;* 4° quomodo distinguat theologiam a *theodicæa* et *ethica.*

4. Ex eadem definitione ostende theologiam ex parte

suæ *materiæ*, esse **scientiam religionis,** et ex parte sui *fontis*, **scientiam fidei.**

b) theologiæ *catholicæ*

5. Explica verba quibus *specificatur* essentia theologiæ *catholicæ*, demonstrando 1° his verbis theologiam catholicam distingui a theologia tum *Judæorum*, tum *Protestantium*; 2° hæc verba ipsorum Catholicorum doctrinæ esse innixa.

3° **Corollaria. Relationes** inter **theologiam** et *a) fidem*

6. Ex superiori definitione statuatur relatio inter *theologiam* et **fidem** *a)* sub respectu *prioritatis; b)* sub respectu *materiæ* et *motivi assensus*.

b) scientias humanas

7. Definiatur relatio inter *theologicam* et **philosophicam** de Deo rebusque divinis scientiam *a)* ratione *extensionis materiæ; b)* ratione *motivi certitudinis; c)* ratione *dignitatis*.

8. Determinetur *practica* inter theologiam et scientias mere humanas *relatio*, quæ illius excellentiæ harumque simul progressui sit conformis.

§ II. De *divisione* Theologiæ catholicæ

1° **Divisio** et **subdivisio** theologiæ.

Q. 1. Assignetur *a)* **divisio** *præcipua* universæ theologiæ catholicæ; *b)* **subdivisio** theologiæ *specialis*.

2° **Vindicatur divisio** in *fundamentalem* et *specialem*.

2. Demonstra divisionem theologiæ in **fundamentalem** et **specialem,** nixam esse ipsa indole hujus scientiæ *(haustæ ex revelatione divina)*.

3° **Ordo tractatuum** theologiæ *fundamentalis*.

3. Quosnam **tractatus** complecti debet theologia *fundamentalis catholicorum*, juxta definitionem ipsam theologiæ catholicæ?

4° **Vindicatur subdivisio** in *dogmaticam* et *moralem*.

4. Demonstra subdivisionem theologiæ specialis in **dogmaticam** et **moralem**, respondere ipsi materiæ hujus scientiæ *(de Deo rebusque divinis)*.

5° **Ordo tractatuum** *dogmaticæ specialis*.

5. Enumerentur *a)* præcipua capita *speculativa* quæ docet revelatio catholica de Deo rebusque divinis;

b) **tractatus** quos complecti debet Catholicorum *dogmatica specialis*, ut hanc propriam suam materiam exhauriat.

6. Quomodo dividitur theologia *moralis* in universum? — 6° **Divisio et subdivisio** theologiæ *moralis*

7. Quomodo subdividitur *a)* moralis *generalis* sive fundamentalis; *b)* moralis *specialis?*

8. Quomodo distinguitur theologia moralis *a)* a theologia **ascetica** et **mystica**; *b)* a **jure canonico?** — *Ascetica, jus canonicum*

§ III. De *methodo* Theologiæ catholicæ

Q. 1. Indica methodum theologiæ catholicæ **specialis,** designando 1° *fundamentum* sive fontem primarium e quo hæc scientia debet depromi; 2° *triplicem partem* quam complecti debet *scientifica* tractatio singularum veritatum. — 1° **Methodus** theologiæ catholicæ *specialis*

2. Describe methodum theologiæ **fundamentalis** 1° determinando *fontem* e quo singulæ illius partes hauriendæ sunt, *a)* in demonstratione contra *incredulos* et *acatholicos, b)* in demonstratione *theologica*, prioris completiva; 2° indicando *triplex munus* quod præstare debet theologia fundamentalis in utraque demonstratione instituenda. — 2° **Methodus** theologiæ *fundamentalis*

3. Vindica *singula* hæc *asserta* de methodo theologiæ fundamentalis et specialis, ostendendo eadem, juxta sana rationis principia, deducta esse ex proprio scopo et munere utriusque theologiæ partis. — 3° **Vindicatur methodus** proposita

Quæstiones subsidiariæ de *habitu* inter RATIONEM THEOLOGIAM et FIDEM.

Q. 1. Definiatur *generatim* munus **rationis** in **scientia theologica** conficienda. — 1° **Ratio et theologia.** *a)* Munus rationis *in genere*

2. Explicetur *in specie*, juxta doctrinam Ecclesiæ et — *b)* Munus rationis *in specie*

maxime juxta *Encycl.* SS. Leonis XIII : *Æterni Patris*, quid ratio conferat *a)* ad *fundamenta* theologiæ stabilienda; *b)* ad universam theologiam *in unum corpus scientificum* redigendam, singulasque theologiæ partes *positive, scholastice* et *polemice* excolendas; addatur quid, juxta SS., cavere debeat philosophia, ad *rectam viam* in his omnibus servandam.

2° Theologia et fides. *a*) Theologia *non expellit* fidem

3. Probetur nec *necessarium*, nec *utile,* nec *licitum* esse ut positivum de **fidei** veritate **dubium** instituamus, ad *scientiam fidei*, per studium theologicum, acquirendam.

b) Theologia fidem *non necessario producit* in non credente

4. Ostendatur **assensum** in veritates **fide** credendas, *non a solo intellectu* determinari, nec proinde, ex intellecta demonstratione theologica *immediate* et *necessario* produci.

3° Auctoritas *fontium* revelationis in theol. fundament.

5. Quanta est auctoritas fontium revelationis in theologia fundamentali *a)* pro fidelibus, *b)* pro iis qui nondum credunt?

§ IV. De *historia* Theologiæ catholicæ

Variæ epochæ

Q. 1. Definiantur tres præcipuæ **epochæ** quas complectitur historia theologiæ catholicæ.

2. Describatur propria uniuscujusque epochæ *indoles a)* quoad *tractationem* theologiæ *in universum; b)* quoad evolutionem *diversarum* theologiæ *partium*.

3. Quandonam maxime *floruit* theologia in singulis epochis?

A. Epocha Patristica (sæc. I-XII)

1° Indoles

Q. 1. Ulterius explica *indolem* **epochæ patristicæ,** declarando e factis historicis, cur *maxime* pars *positiva* et pars *polemica, minus* pars *scholastica* tunc fuerint

excultæ ; *synthesis* vero universæ theologiæ *vix fuerit tentata.*

2. Enumerentur *scriptores* qui in hac epocha præcipue floruerunt. — 2° Scriptores

B. Epocha Scholastica (sæc. XII-XVI)

Q. 1. Quasnam ætates complectitur **epocha scholastica ?** — Ætates.

2. Exponatur quid, **ætate formationis,** *S. Anselmus, Hugo a S. Victore* et *Petrus Lombardus* præstiterint ad theologicas quæstiones *scholastice* excolendas et in unum corpus doctrinæ *systematice* congerendas. — 1° Ætas formationis (s. XII-med. XIII) *scriptores*

3. Explicetur qua *methodo* tractata fuerit scientia theologica per **ætatem splendoris.** — 2° Ætas splendoris (1230-1340) *a) methodus*

4. Recenseantur notissimi hujus ætatis *doctores.* — Numerentur præcipua opera **S. Thomæ,** addita divisione Summæ Theologicæ. — *b) scriptores*

5. Quænam *causæ* maxime contulerunt ut theologia scholastica a pristino splendore **deficeret?** — 3° Ætas decrescentiæ (s. XIV-XVI) *a) causæ*

6. Quibusnam scriptis præcipuam laudem sibi meruerunt *S. Antoninus, Dionysius Ryckel* et *Joannes Ruisbroek?* — *b) scriptores*

C. Epocha ultima (sæc. XVI sqq.)

Q. 1. Explicetur quomodo *tribus* præsertim *ex causis,* ab exeunte sæc. XV, studium theologicum in *toto* suo *ambitu,* iterum fuerit *promotum.* — *A)* Causæ instaurationis

2. Quænam in hac epocha distinguendæ sunt *ætates?* — *B)* Ætates

3. Quodnam *genus scriptorum* prodiit **ætate formationis?** — 1° Ætas formationis (1500-1563) *scripta*

4. Citentur præstantissimi auctores qui **ætate splendoris** (post Conc. Tridentinum) de re *dogmatica* scripse- — 2° Ætas splendoris (1563-1660) *scriptores*

runt, maxime in *Hispania* et in *Belgio*. — Quinam tunc præcipue excelluerunt in disciplinis *moralibus?*

3° Ætas **decrescentiæ** (1660-1760)
a) causæ et *characteres*

5. Describantur *causæ* et *characteres* **decrescentiæ** quam passa est scientia theologica ab anno 1670.

b) scriptores

6. Recenseantur notissimi hujus ætatis *scriptores*.

4° Ætas **ruinæ** (1760-1830)
a) causæ

7. Quid in ordine *intellectuali*, in ordine *politico-religioso* et in ordine *materiali* adduxit **ruinam** theologiæ, maxime ab anno 1760?

b) scriptum præcipuum

8. Quodnam est præcipuum opus catholicum hujus ætatis?

5° Ætas **instaurationis** (1830 sqq.)

9. Explicetur quomodo, sublatis paulatim causis quæ ruinam theologiæ adduxerant, disciplinæ sacræ inde ab an. 1830 **instaurari** cæperint.

10. Recenseantur primi scientiæ sacræ *instauratores* et præcipui theologi *nostræ ætatis*.

Historia theologiæ FUNDAMENTALIS

1° **Indoles**

Q. 1. Paucis declara qua ratione exculta fuerit, *variis ætatibus*, theologia **fundamentalis**, explicando responsum ex diversarum ætatum *adjunctis*.

2° **Scriptores**

2. Quinam *scriptores* in theologia fundamentali excelluerunt?

3° **Momentum**

3. Cur *nostra ætate* maximi facienda est theologia fundamentalis?

§ V. De *fructibus* scientiæ theologicæ

1° **Momentum** studii theologici

Q. 1. Quanti **momenti** est studium scientiæ theologicæ *a) Ecclesiæ docenti* in universum; *b)* singulis fidei *præconibus; c)* omnibus *fidelibus?*

2° **Explicatio** et **probatio** responsi per partes.

2. Explica et proba **primum** assertum responsi declarando *a)* quid sit *Ecclesia docens; b)* quomodo theologia necessaria sit Ecclesiæ docenti ut *magistræ, testi* et *ju-*

dici; c) quomodo hoc responsum conciliari possit cum doctrina de *infallibilitate* Ecclesiæ docentis; *d)* a *quot* et a *quibus* personis debeat hoc studium assumi.

3. Explica et demonstra **secundum** assertum responsi *a)* ex *doctrina S. Pauli* de munere episcopi in *proponenda, practice* inculcanda et *defendenda* sana doctrina; *b)* ex *Christi Domini, Apostolorum* et *Patrum exemplo; c)* ex *nativa intellectus* nostri ad actum fidei ponendum *conditione,* spectatis simul gravibus adjunctis in quibus fideles tum docti, tum rudiores solent versari; — hac occasione, declara quomodo fides, quæ est donum a solo Deo *infusum,* per scientiam theologicam possit *gigni,* nutriri, etc.

4. Demonstra **ultimum** assertum responsi, explicando quænam sit affinitas inter *sanctitatem* et scientiam sacram.

THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS LIBER PRIMUS

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

PROOEMIUM

1° **Objectum** et **divisio**

Q. 1. Ex ipso **objecto** Demonstrationis Christianæ, deducatur ejus **divisio** generalis.

2° **Errores.**

2. Ad quotuplex genus reducuntur **errores** in hoc tractatu confutandi, spectato eodem Demonstrationis Christianæ objecto?

A) Adversarii **facti** revelationis *Christianæ*

3. Quinam præcipue, admissa revelationis possibilitate, negaverunt **factum** revelationis *Christianæ?*

B) Adversarii **possibilitatis** revelationis

4. Quo nomine vocantur increduli qui ipsam **possibilitatem** revelationis supernaturalis impugnant, et unde nomen istud ipsis tributum est?

Variæ **Rationalistarum scholæ,**

5. Describe diversas hodierni **Rationalismi** seu Naturalismi scholas, quarum asseclæ vocari solent *Rationalistæ Pantheistæ, Naturalistæ Deistæ, Rationalistæ stricte dicti, Semirationalistæ;* exponendo : 1° Quid *singulis* scholis sit **proprium** *a)* quoad ipsam *doctrinam, b)* quoad motiva propter quæ omnem immediatam et

a) Quid singulis *proprium.*

positivam Dei *revelationem excludunt*; 2° quid *omnibus* sit **commune** *a)* quoad systema **progressus continui** (sive *evolutionis)*, historiæ cultus divini applicandum, *b)* quoad modum tractandi *dogmata et instituta* christiana, *S. Scripturam* et *philosophiam*, *c)* quoad doctrinam de **libertate conscientiæ.**

b) Quid omnibus *commune.*

6. Indica **methodum** in Demonstratione Christiana adhibendam, declarando *a)* quo *ordine* varia argumentorum genera sint proferenda; *b)* quis *valor* diversis illis argumentis sit tribuendus, spectato duplici scopo hujus tractatus.

3° **Methodus** in demonstrationibus adhibenda.

PARS PRIOR

De Divinæ Revelationis Possibilitate

PRÆNOTANDA

Capita tractanda.

Q. Quænam quæstiones solvendæ sunt ut demonstretur revelationem esse **possibilem,** tum *a)* a parte *materiæ* circa quam versatur, tum *b)* a parte *Dei, auctoris* revelationis; tum *c)* a parte *hominis* cui fit revelatio?

CAPUT PRIMUM

De Religione seu Dei cultu naturali; sive de possibilitate revelationis **a parte materiæ**

Distributio materiæ.

Q. Quid investigandum est ut innotescat hominem, juxta *naturale rationis dictamen,* teneri ad **cultum** Deo exhibendum?

§ I. De *certitudine* in religione naturali

1° Indoles quæstionis

Q. 1. Potestne homo, *sola ratione, certo* cognoscere veritates **suprasensibiles** ordinis *naturalis?* Quam certum est responsum?

2. Explica responsum, definiendo *a)* quid sint veritates *suprasensibiles; b)* de quanam certitudine naturali hic

agatur, spectatis veritatum *numero* et cognitionis *perfectione*.

3. Exponatur *duplex genus* **errorum,** quod prodiit contra certitudinem naturalem ordinis suprasensibilis. 2° **Errores.**

4. Contra **incredulos** (materialistas, sensualistas, positivistas) qui cognitionem certam ordinis suprasensibilis tum speculativi, tum moralis negant, demonstra illorum systema *a) sibi contradicere* in suis assertis *speculativis; b) secum pugnare* in suis assertis *practicis; c)* omni *scientiæ viam præcludere; d)* logice ducere ad *scepticismum absolutum,* ac demum eo tendere ut hominem bruto animali in omnibus assimilet. 3° **Demonstratio** *A*) **E Ratione philos.** *a*) contra *incredulos*

5. Contra **traditionalistas** demonstra, ex illorum placitis destrui ipsam fidem, in qua omnia stabilire conantur. *b*) contra *traditionalistas,*

6. Quid docet S. Paulus *Rom.* II, 14 sq. de *lege gentilium,* et quomodo exinde infirmantur traditionalistarum asserta? *B*) **E S. Scriptura**

7. Quid hac de re docent S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alex., S. Basilius? *C*) **E Traditione**

8. Ostende a traditionalistis ipsa *theologiæ fundamenta* everti. *D*) **E Ratione theol.**

9. Respondeatur his **objectionibus :** 4° **Objectiones.**

Obj. 1. Ratio humana (etiam veritatis *studiosa)* in **pluribus** judiciis **errat**; ergo *in omnibus* suis judiciis errare potest et sibi timendum habet ne forte sit falsum quod verum esse putat. *a) Incredulorum*

Obj. 2. Ratio humana circa **omnes** veritates *suprasensibiles,* quantumvis præstantes, revera erravit, quum nulla sit ex illis quam non impugnaverint philosophi; facta autem quæ *experientia* constant, nemo negat. Ergo viri prudentis est circa veritates suprasensibiles dubitare, et sola facta experimentalia ut certa admittere.

Obj. 3. **Nulla** est **proportio** inter res *sensibiles* et res *b) Traditionalistarum*

spirituales. Atqui hæc proportio requiritur ut, ex consideratione mundi sensibilis, ratio humana suis viribus ascendere possit ad cognitionem rerum suprasensibilium. Ergo ratio humana suis viribus cognoscere nequit res suprasensibiles.

Confirmatur argumento a pari. Sine testimonio alterius, non possumus transire a cognitione rei sensibilis *præsentis*, ad cognitionem rei sensibilis *absentis;* atqui non minus, imo **magis distant** res *spirituales* a rebus *sensibilibus*, quam sensibilia præsentia ab objectis remotis. Ergo, sine testimonio, non possumus transire a cognitione mundi sensibilis ad cognitionem rerum spiritualium.

Inst. Ratio sibi derelicta, nihil percipit unde ideam entis spiritualis sibi efformet.

Obj. 4. Intellectus humanus *non potest creare*, sive ideas sibi efformare ex nihilo, sed indiget *phantasmate* sensibili. Atqui nullum phantasma sensibile intellectui suppeditare potest imaginem rei spiritualis. Ergo intellectus, suis viribus, ideas rerum spiritualium sibi comparare nequit; sed eas per testimonium revelationis accipit.

5° **Extensio** *cognitionis*

Q. 10. Exponatur quousque, secundum S. Thomam, *se extendat* naturalis nostra rerum spiritualium et divinarum cognitio.

§ II. De demonstratione existentiæ Dei.

1° **Quæstio tractanda.**

Q. 1. Quam certum est **existentiam Dei** *solis rationis viribus* posse demonstrari?

2° **Demonstratio**
A) E ratione philosophica

2. Quomodo **e ratione** *philosophica* demonstratur mundum, (sive spectetur **metaphysica** mundi essentia, sive ordo et pulchritudo mundi **physici**, sive ordo **moralis** in unanimi hominum consensu manifestatus) suppo-

nere existentiam entis supremi, a quo mundus tanquam a *prima sua causa* dependeat?

3. Rationem *suis solis viribus* Deum cognoscere posse, demonstra ex iis **Scripturæ** locis (præsertim *Sap.* XIII, 1 sqq.; *Rom.* I, 18 sqq.), in quibus auctores sacri probant gentilium idololatriam et corruptionem, *non ex ignorantia* invincibili, sed ex prava voluntate originem suam ducere. *B) E S. Scriptura*

4. Quomodo demonstrant **Patres,** ab omnibus hominibus, etiam rudibus et paganis, existentiam Dei sponte agnosci? *C) E Traditione*

5. Quomodo cohæret hæc doctrina cum ipsa *fide?* *D) E ratione theol.*

6. Indica præcipuas scholas philosophicas quæ **negarunt** Dei existentiam sola ratione posse demonstrari. **3° Errores**

7. Sub quanam communi ratione atheis æquiparandi sunt *omnes universim* **pantheistæ?** — Quotuplici præsertim modo explicare solent *diversæ* illorum *scholæ* identitatem mundi cum Deo?

8. Statuto discrimine inter ordinem *logicum (cognitionis nostræ)* et ordinem *ontologicum (existentiæ rerum),* diluantur sequentes **difficultates** allatæ contra *conclusionem* **argumenti metaphysici :** Ex mundo *contingente* non potest concludi ad Deum, **ens necessarium,** nam : 1° idea contingentis non præcedit, sed supponit ideam necessarii; 2° per ea quæ non sunt necessaria, (i. e. contingentia) nequit demonstrari quod est necessarium; 3° repugnat ut ens necessarium (ad quod concluditur) fiat dependens a mundo contingente (a quo pendet conclusio). **4° Objectiones** *A)* **contra argum. metaphysicum** *a)* contra *conclusionem*

9. Refellatur hæc objectio prolata contra *minorem* argumenti metaphysici : Juxta doctrinam S. Thomæ, mundus potest esse *æternus,* et proinde *carere initio* in tempore. Jamvero quod caret initio, non habet **cau-** *b)* contra *minorem*

sam primam. Ergo falso asseritur in *minori :* « mundus contingens supponit causam primam, quæ sit ens necessarium. »

c) contra *majorem*

10. Ad vindicandam *majorem* argumenti metaphysici, *(mundus est contingens)* ostendatur, ex mutabilitate *accidentium,* sive proprietatum mundi externi, legitime deduci **contingentiam** ipsius mundi *substantiæ.*

B) Contra **argum. physicum**

11. Ad confutandas objectiones prolatas contra **argumentum physicum,** demonstra 1° auctores qui ordinem mundi **fortuito** atomorum **concursui** adscribunt, ordinem mundi non explicare, sed, *contra sanæ mentis dictamen,* omnem ordinis explicationem e medio tollere; 2° ad causam ordinatricem mundi detegendam, non requiri ut *universus ordo* mundanus nobis innotescat.

C) Contra **argum. morale**

12. Respondeatur iis qui (ad infirmandum **argumentum morale** existentiæ Dei) aut 1° *negant consensum unanimem* hominum circa existentiam Dei, aut 2° illum *explicant* ex artibus legislatorum vel sacerdotum ; aut 3° contendunt hunc consensum non magis esse veritatis criterium, quam *consensum circa polytheismum.*

D) Objectiones **generales**

13. Respondeatur his **objectionibus generalibus :**

Obj. 1. Deus est **prima veritas.** Atqui prima veritas non demonstratur. Ergo Dei existentia non demonstratur.

Obj. 2. Quod plene demonstratur, **extra controversiam** ponitur. Atqui Dei existentia sæpe in controversiam adducta est. Ergo Dei existentia non plene demonstratur.

Confirmatur major. Veritates **mathematicas** nemo in dubium vocat.

Obj. 3. Quod clare videtur ab intellectu, facile exprimitur verbis. Atqui **rudiores,** interrogati circa existentiam Dei, hanc plerumque demonstrare non possunt. Ergo non clare vident Deum existere.

Quæstiones subsidiariæ circa naturalem nostram Dei cognitionem

Q. 1. Explicetur quo sensu affirmari possit, quo sensu vero negandum sit, existentiam Dei esse **veritatem per se notam.** — 1° Sitne Deus **veritas per se nota**

2. Ostendatur, ab ordine ideali ad ordinem realem *gratuito fieri transitum,* in hac argumentatione **S. Anselmi** : Dei nomine intelligitur ens, quo majus cogitari non potest. Atqui ens quo majus cogitari non potest, realiter existit. Ergo Deus realiter existit. — 2° Argumentum **S. Anselmi**

3. Quid sentiendum videtur de possibilitate **atheismi** *a) negativi, b) positivi?* Declaretur ratio responsi. — 3° Possibilitas **atheismi**

§. III. De *cultu,* jure naturæ Deo exhibendo

Quæstio I. De necessitate cultus UNIVERSIM

Q. 1. Quam *necessario,* ex ipso *rationis dictamine,* tenetur homo ad **cultum** Deo exhibendum? — Quam *certum* est responsum? — 1° **Quæstio solvenda**

2. Ad explicandum hoc responsum, 1° instituatur **analysis actuum** ad plenam cultus rationem pertinentium, indeque deducatur cultus divini **definitio**; 2° seponantur *falsæ* cultus definitiones, ab « **intellectualismi** » et « **sensismi** » fautoribus prolatæ. — 2° **Explicatio responsi**
a) Vera cultus *definitio*
b) Definitiones falsæ

3. Demonstra 1° **necessitatem cultus** fluere ex *voluntatis officio* practice exsequendi *quod judicat intellectus,* de *veris* inter Deum et hominem *relationibus;* 2° hominem *ne a Deo quidem* hoc officio posse absolvi. — 3° **Demonstratio**
A) E ratione philos.

4. Confirmetur hæc demonstratio ex *gentilium assensu* tum theoretico, tum practico.

B) E S. Scriptura 5. Proba juxta S. Paulum *(Rom.* I. 20, 21, II), hominem ex lege naturæ teneri ad Deum colendum.

C) E Traditione 6. Quid hac de re docent **SS. Patres**, et præ cæteris S. Hieronymus?

D) E ratione theol. 7. Demonstra hanc doctrinam negari non posse, quin corruat etiam *supernaturalis* Dei cultus.

4° Objectiones 8. Solvantur objectiones sequentes :

Obj. 1. Cultus noster **nec necessarius,** nec **utilis est** Deo. Atqui Deus sapiens nequit intendere quod est inutile. Ergo Deus cultum nostrum non exigit.

Confirmatur. Deus impietatem inultam relinquit.

Obj. 2. Solus cultus *infinitus* est Deo infinito dignus. Atqui homo **non valet** cultum infinitum Deo præstare. Ergo Deum vere colere non potest, nec proinde debet; etenim ad impossibile nemo tenetur.

Quæstio II. De necessitate cultus EXTERNI

1° Status quæstionis **Q.** 1. Determina *statum quæstionis* declarando *a)* quid sit **cultus externus**; *b)* quam *certa* sit veritas demonstranda; *c)* quinam *errores* contra eam prodierint.

2° Demonstratio
A) E ratione philos. 2. Demonstra cultum externum **necessarium** esse *a)* ad *cultum internum* sustentandum atque fovendum; *b)* ad assequendum *finem proprium*, propter quem a Deo condita est natura humana; *c)* ad constituendum *cultum socialem.*

3. Quomodo confirmatur hæc veritas, ex *gentium consensu?*

B) E S. Scriptura 4. Proba necessitatem cultus externi tum *implicite*, tum *explicite* in **S. Scriptura** nobis inculcari.

C) E Traditione 5. Quomodo proponitur eadem veritas apud S. Augustinum?

3° Objectiones 6. *Proponantur* et *solvantur* **objectiones,** quibus adversarii cultus externi contendunt, hunc cultum esse

1° *Deo* **indignum**; 2° *hominibus* **nocivum,** propter abusus; 3° a ratione **non determinatum,** nec proinde præscriptum; 4° a Christo et a Patribus Ecclesiæ **repudiatum**.

Quæstio III. De necessitate cultus PUBLICI seu SOCIALIS

Q. 1. Ad definiendum *statum quæstionis*, determina *a) notionem* cultus **publici** sive **socialis**; *b) gradum certitudinis* veritatis tractandæ; *c) errores* huic oppositos. — 1° Status quæstionis

2. Demonstra **necessitatem** cultus socialis fluere ex *naturali hominis conditione.* — 2° Demonstratio *A) E ratione philos.*

3. Confirmetur hæc demonstratio ex *communi* hominum *consensu.*

4. Proba hanc doctrinam in **S. Scriptura** tum *practice,* tum *theoretice* esse propositam. — *B) E S. Scriptura*

5. Nonne huic doctrinæ contradicunt **anachoretæ** ab Ecclesia approbati, qui seorsim viventes, societatem cultui potius nocivam quam proficuam esse, existimare videntur? — 3° Objectio

§ IV. De Indifferentismo

Q. 1. Quid docet ratio de **Indifferentismo dogmatico?** — 1° Status quæstionis

2. Determina *statum quæstionis,* indicando *a)* discrimen inter systema hic discutiendum, et indifferentismum *absolutum* atque indifferentismum *civilem; b) errores* hic oppugnandos; *c) gradum certitudinis* doctrinæ vindicandæ.

3. *Non omnem cultum,* sed eum solum qui **veram Dei excellentiam** theoretice et practice agnoscat, esse legitimum, demonstra *a) ex genuina cultus notione; b) ex paritate* cum legibus quæ regunt societatem humanam. — 2° Demonstratio *A) E ratione philos.*

B) E S. Scriptura et Traditione

4. Confirma veritatem propositam, ex verbis quibus *a)* S. Paulus (*Rom.* I, 21, 23), et *b)* S. Augustinus *gentilium* indifferentismum reprobant.

3° **Objectiones**

5. Ad solvendas **objectiones,** demonstra : 1° intolerantiæ dogmaticæ defensores non lædere **charitatem** in proximum, nec injuriam inferre **bonitati divinæ,** dum *erroris*, et aliquando *culpæ* arguunt falsorum cultuum sectatores; 2° eosdem non nocere sed favere rectæ **vitæ sociali,** quum docent : omnes homines teneri ut eidem vero Dei cultui, per intellectum et voluntatem adhæreant.

4° **Corollaria**

6. Quid ex doctrina proposita colligitur circa agendi modum, a ratione præscriptum homini *a)* qui *non quiescit* in pacifica possessione veritatis; *b)* qui recogitat de religione *revelata; c)* qui novit religionem *christianam*.

CAPUT SECUNDUM

De **physica** revelationis possibilitate **a parte Dei**

Prænotanda
1° **Quæstiones tractandæ**

Q. 1. Quid in hoc capite inquirendum est circa possibilitatem revelationis, spectatæ in *subjecto revelante*, et in *objecto revelando?*

2° **Definitio revelationis divinæ**

2. Quid significat **revelatio divina.** sensu *etymologico?*

3. Definiatur revelatio divina **stricte dicta,** explicata differentia inter revelationem *naturalem* et *supernaturalem*.

4. Quid significat aliquando vox *revelatio*, in sensu translato, expressa nempe causa pro effectu? — Quo sensu solent increduli hanc vocem usurpare?

3° **Divisio revelationis divinæ**

5. Quomodo **dividitur** revelatio divina stricte dicta, a parte *modi quo fit?*

6. Quomodo **subdividitur** revelatio *immediata?* — Explica responsum, exemplis declarando quinam actus concurrant *a)* ad revelationem *internam; b)* ad revelationem *externam.*

A) a parte *modi* quo fit.

7. Quomodo dividitur revelatio divina, a parte *subjecti cui destinatur?*

B) a parte *subjecti* cui destinatur

8. Quomodo dividitur revelatio divina, a parte *objecti* manifestati? — Explica responsum.

C) a parte *objecti*

9. Quid est **mysterium** *a)* sensu *generico; b)* sensu *theologico proprio?* — Explica definitionem.

4° **Definitio mysterii**

10. Quotuplex **gradus** invenitur in modo quo veritas aliqua nos potest latere? — Exemplis determinentur singulæ partes responsi.

5° **Divisio mysterii** generice sumpti

11. Quid intelligitur per mysteria 1° **relativa**; 2° **absoluta**; 3° **naturalia**; 4° **supernaturalia** *a) primi ordinis* seu *proprie dicta, b) secundi ordinis* seu *minus proprie dicta?*

§ I. De physica Dei potentia ad revelationem faciendam

Q. 1. Determina *statum quæstionis,* declarando *a)* quænam revelationis **possibilitas** hic sit probanda; *b)* quam *certa* sit doctrina proposita.

1° **Status quæstionis**

2. Demonstra responsum, probando 1° **Deum** posse cum hominibus loqui, ut est *causa effectiva* et quidem *causa prima* omnium rerum; 2° **hominem** posse sermonem Dei excipere. — Quomodo confirmatur hæc demonstratio *ex communi populorum consensu?*

2° **Demonstratio**
A) E ratione philos.

3. Quomodo elucet hæc doctrina in tota **Scriptura** et **Traditione?**

B) E Scriptura et *Traditione*

Quæstiones subsidiariæ circa *modum* quo fieri possit revelatio

1° Interne et externe

Q. 1. Revelationem non **externe** tantum, verum etiam **interne** homini fieri posse, demonstra *a)* ex conditione animæ a corpore separatæ; *b)* ex modo quo cognitiones nostras acquirimus; *c)* ex paritate cum lumine rationis in creatione accepto.

2° Mediate et immediate

2. Proba revelationem divinam non **immediate** solum, sed et **mediate** hominibus communicari posse.

3° Gradus certitudinis

3. Quam *certæ* sunt veritates in utraque quæstione propositæ?

Objectionum solutio

1° Objectio ex immutabilitate Dei

Obj. 1. Deus revelans, poneret actum particularem in tempore. Jamvero qui agit in tempore, mutationem patitur. Ergo revelatio repugnat **immutabilitati** Dei. — *Responde* distinguendo inter *actum internum voluntatis,* et *externam tantum exsecutionem* operis ad quod terminatur voluntas.

2° Objectio ex sapientia Dei

2. Qui ordini semel stabilito, postea actionem suam interponit, hunc ordinem destruit aut emendat, ac seipsum agnoscit *artificem improvidum*. Atqui Deus, per revelationem, actionem suam interponeret *ordini in creatione* naturæ nostræ rationalis *stabilito*. Ergo revelatio repugnat **sapientiæ** Dei. — *Responde* distinguendo actionem interpositam ad *destruendum aut emendandum*, et actionem interpositam ad *elevandum* pristinum ordinem.

Inst. 1° Equidem Deus per revelationem, interveniret ad *emendandum defectum* naturæ. *Nam*, juxta catholicos, revelatio est *necessaria* ad subveniendum **impotentiæ morali** rationis nostræ. — *Responde* explicando

quo sensu revelatio sit necessaria : utrum *absolute*, *spectata essentia ordinis naturalis;* an *hypothetice* tantum, *inspecto ordine supernaturali* simul condendo.

Inst. 2° Deus *sapiens*, ne ad *elevandum* quidem *ordinem naturalem* potest revelationem facere. *Nam*, per **unum actum** creationis eumdem effectum obtinere potuisset. — *Responde* explicando *effectus* revelationis in ordine *supernaturali.*

3. *Proprium jus rationis* est ut non assentiatur nisi *veritati evidenti.* Atqui Deus, per revelationem *fidei nostræ impositam*, hoc jus (autonomiam) rationis læderet. Ergo revelatio repugnat **sanctitati** Dei. — *Responde*, *explicando* et *vindicando* distinctionem inter veritatem *intrinsece*, et veritatem *extrinsece evidentem.*

3° Objectio ex **sanctitate** Dei

4. Deus *providus* nequit inutilem reddere aliquam naturæ facultatem. Atqui Deus, per revelationem, substitueret cognitioni naturali cognitionem supernaturalem, ideoque *inutilem redderet* facultatem nostram intellectualem. — Ergo revelatio repugnat **providentiæ** Dei. — Responde indicando præcipuas relationes inter fidem et rationem.

4° Objectio ex **providentia** Dei

§ II. De veritatibus quas Deus revelare potest

Q. 1. Determina *statum quæstionis*, indicando *a) opportunitatem* veritatis vindicandæ; *b) gradum certitudinis* illius veritatis; *c) errores* huic oppositos.

1° **Status quæstionis**

2. **Existere mysteria stricte dicta**, seu veritates quarum ne existentiam quidem ante revelationem, nec *propriam essentiam* post revelationem, intellectus noster *finitus* cognoscere potest, demonstra : *a)* ex **natura finita** intellectus nostri, comparata cum intellectus divini *perfectione infinita; b)* ex **modo** quo *intellectus* noster

2° **Demonstratio**
A) E ratione philos.
a) Existunt mysteria stricte dicta

assequitur veritatis cognitionem ; *c)* argumento *a minori ad majus*, deducto ex **mysteriis naturæ** aspectabilis.

3. Quomodo, per ipsum quorumdam *rationalistarum testimonium* confirmatur, hanc doctrinam de existentia mysteriorum, ex rei evidentia, non vero ex destinato quodam consilio vires rationis deprimendi, originem suam ducere?

b) Existentia mysteriorum hominibus potest manifestari

4. Per voces *hominibus communes (intelligibiles)*, sufficientem nobis suppeditari posse mysteriorum *notitiam*, ut per revelationem divinam, harum veritatum **existentiam** saltem **apprehendere** valeamus, demonstra exponendo : *a)* quænam idea rei occultæ nobis sufficiat, ut illius rei existentiam doceri possimus ; *b)* qua ratione, idea *inadæquata quidem sed distincta (analogica)* mysteriorum, a Deo revelante nobis subministrari possit, *per voces* de rebus creatis *usitatas*.

5. Demonstra, et exemplis explica, notitiam mysteriorum per *voces creaturis próprias* acquisitam, *non esse falsam*.

B) E S. Scriptura et Traditione

6. Quomodo docent *auctores sacri* et *Patres* Ecclesiæ, mysteria stricte dicta a Deo posse revelari?

3° Objectiones Aiunt : *a*) Mysteria *repugnant*

7. Exposito discrimine 1° inter propositionem quæ est **supra rationem**, et propositionem quæ est **contra rationem** ; 2° inter **solutionem negativam** (imperfectam) et **solutionem positivam** (plenam) alicujus objectionis ; 3° inter cognitionem **intrinsecam** et cognitionem **extrinsecam** de cujusdam rei *possibilitate* aut *convenientia* cum ratione ; — ex ordine refellantur objectiones quibus adversarii contendunt mysteria stricte dicta esse *absurda*, utpote 1° *superantia rationem* quæ est mensura veritatis ; 2° *argumentis insolubilibus* impugnata ; 3° ne ut *possibilia* quidem agnita ; 4° cum ratione nullatenus *convenientia*.

8. Cur catholicis incumbit ut solvant contradictiones ab adversariis propositas? — Quibusnam præsertim mediis detegenda sunt sophismata de mysteriis?

9. Statuta distinctione inter veritatem cognitam tum **quoad existentiam**, tum **quoad propriam essentiam**, et veritatem cognitam **quoad existentiam tantum**, respondeatur his objectionibus :

Obj. 1. Revelare est *auferre velum* a veritate occulta. Jamvero, veritas a quo velum aufertur, jam non est occulta, sed manifesta. — Ergo mysterium **post revelationem**, jam non est mysterium, sed plane intelligitur.

b) Mysteria, *post revelationem non manent*

Obj. 2. Revelatio *vires rationis non mutat.* Jamvero, ut mysterium quod absolute superat rationem nostram, nobis manifestaretur, mutari deberent vires rationis. Ergo mysteria **per revelationem** cognosci non possunt.

c) Mysteria *revelari nequeunt*

Obj. 3. Revelatio mysteriorum est sermo de **rebus** nobis **prorsus ignotis.** Jamvero sermo de rebus nobis prorsus ignotis, est *Deò indignus* et *homini inutilis.* Ergo repugnat revelatio mysteriorum. — In responso exponatur quænam *bona* nobis afferat mysteriorum revelatio.

Q. 10. Quid censendum est de asserto : catholici mysterium **credunt quia absurdum?**

d) Catholici *credunt quia absurdum*

11. Quo sensu vera, quonam falsa est hæc affirmatio : qui Deum, summum bonum, **amat propter se**, Deum, summum bonum, **cognoscit ut est in se?**

e) Deus naturaliter cognoscitur *in se*

12. Exponatur quomodo possint, quomodo vero non possint singula entia accipere *qualitates ad alia entia pertinentes*, et exinde deducatur **ordinem non turbari** quando homo, per mysteriorum revelationem, fit particeps scientiæ *soli* Deo *propriæ.*

f) *Ordo turbatur*

Quæstio subsidiaria de revelandis *institutis* et *præceptis positivis*

1° Rei definitio

Q. 1. Quid hic intelligitur per **instituta** et **præcepta positiva?**

2° Demonstratio

2. Demonstra 1° instituta et præcepta positiva, *si fuerint a Deo condita,* revelari posse; 2° Deum *revera* condere posse *a) instituta* quæ non ipsi rerum naturæ, sed liberæ Dei voluntati innitantur; *b) præcepta positiva*, eaque præ cæteris quæ ad *cultum* spectent.

3. Ostendatur, per *obligationem acceptandi* leges positivas a Deo revelatas, *a)* hominem ad nihil indebitum adstringi; *b)* libertatem nostram non lædi.

4. Proba nec legem positivam etiam ex parte **mysteriosam,** naturæ nostræ repugnare.

3° Gradus certitudinis

5. Quam *certa* est doctrina demonstrata?

Corollaria doctrinæ de mysteriis

Q. Spectata doctrina de mysteriis superius tradita, declaretur: *a)* cur **in solo Deo** deprehendantur mysteria stricte dicta, *omnis creaturæ* intellectum superantia; *b)* cur inter mysteria *revelata* et *naturales veritates,* **pugna** existere nequeat; *c)* quomodo (in *solvendis objectionibus* contra mysteria) non oporteat, quomodo vero oporteat mysteriorum **possibilitatem** vindicare; *d)* quænam, in actuali Dei providentia, **triplex divina veritatis manifestatio** sit distinguenda; (explicetur nomen quo unaquæque designari solet et addatur quænam manifestatio, apud theologos *proprie* dicatur revelatio;) *e)* quinam actus **a parte hominis** huic triplici manifestationi divinæ respondeant.

CAPUT TERTIUM

De **notis** divinæ revelationis, seu de possibilitate revelationis **a parte hominis**

Prænotanda
1° **Necessitas** notarum seu criteriorum

Q. 1. Doctrinam aliquam ab hominibus *ut revelatam* excipi non posse, nisi stipata sit **notis** seu **criteriis** *originis suæ divinæ*, demonstra *a)* ex ipsa *natura* nostra *rationali*; *b)* ex *documentis ecclesiasticis*; *c)* ex *doctrina Christi*.

2° **Divisio** et **subdivisio** criteriorum

immediata, mediata

2. Quomodo **generatim dividuntur** criteria revelationis? — Explica divisionem *a)* indicando *medium* quod criteria **immediata** excludunt, **mediata** vero supponunt; *b)* declarando cur sola criteria mediata, vocentur criteria *stricte dicta*.

mediata
interna externa

3. Quomodo **subdividuntur** criteria *mediata?* — Explica responsum declarando *relate ad quid* dicantur **interna** vel **externa**.

interna
positiva negativa

4. Quid intelligitur per criteria **negativa** et **positiva** in quæ *iterum subdividuntur* sola criteria *interna?*

3° **Descriptio** concreta notarum
a) notæ *internæ* **negativæ**

5. A quibusnam vitiis immunis esse debet aliqua doctrina, ut ornata sit notis *internis* **negativis?** — Enuclea responsum *a)* ostendendo illud cum definitione notæ negativæ convenire; *b)* indicando *cautiones* adhibendas ne contradictio *temere affirmetur*.

b) notæ *internæ* **positivæ**

6. In quo consistunt notæ *internæ* **positivæ** revelationis, et unde vim suam mutuantur?

c) notæ **externæ**

7. Explica, juxta doctrinam *Conc. Vaticani*, quomodo effectus *supernaturales* a Deo in mundo *externo* producti, reducantur ad **miracula** et **prophetias** seu **vaticinia.**

4° **Valor** et **usus** uniuscujusque notæ

8. Quodnam est **munus** præcipuum notis *negativis* proprium?

9. Quibus hominibus *magis,* quibus vero *minus prosunt* notæ *internæ positivæ?* — Detur ratio responsi.

10. Quis valor notis *externis* adscribendus est?

11. Quid ex dictis deducendum est circa **usum** criterii negativi et positivi, in divina revelatione indaganda?

5° **Errores**
a) Deistæ
b) Protestantes Ultra-supranaturalistæ.

12. Exponatur quomodo, 1° *Deistæ,* 2° plurimi *Protestantes,* 3° quidam *Ultra-supranaturalistæ,* ex propriis suis systematibus, inducti fuerint ad revelationis criteria *respective* reponenda : in *sola conformitate cum rationis principiis ; — in ipsa revelatione* vel *in cæco quodam instinctu ; — in sola fide.* — Paucis indicetur **vitium** illorum criteriorum.

6° **Materia tractanda**

13. Quænam *tria capita* statuenda sunt, ut scientifice constet miracula et prophetias esse certa revelationis signa.

SECTIO PRIOR

DE MIRACULIS

1° **Notio miraculi**
a) Significatio *vocis*

Q. 1. Exponatur quomodo ex significatione **etymologica** vocis **miraculi,** deventum sit ad notionem miraculi stricte dicti.

b) Definitio miraculi *stricte dicti*

2. **Definiatur** miraculum **stricte** et **proprie dictum.**

3. *Explica* singula verba definitionis, indicando *notionem genericam,* et *notam specificam* miraculi stricte dicti.

4. Ex hac definitione decernatur sintne miracula stricte dicta : Missæ consecratio, internæ operationes gratiæ, effectus fulguris et magnetismi, stupenda artis humanæ, resurrectio mortui, conservatio mundi, creatio animarum, aquæ in vinum solo verbo mutatio, multiplicatio panum.

c) Falsæ miraculi *definitiones*

5. Quomodo miraculum definiunt *a) Naturalistæ, b) Clarckius, c) Houtteville, d) Bonnet?* — Quem in finem?

Naturalistæ
Clarckius
Houtteville
Bonnet

6. Definitiones a Carckio, Houtteville et Bonnet propositas refelle, ostendendo, *a)* miraculum juxta illas jam non esse *speciale documentum omnipotentiæ divinæ,* nec proinde positivum revelationis criterium; *b)* definitionem Clarckii *falso niti fundamento; c)* omnes illos auctores adversariis *aliquid falsi implicite concedere.*

7. Quomodo demonstrare conatur Houtteville, in facto ex *occultis naturæ legibus* fluente, certum contineri posse testimonium approbationis divinæ?

8. Proba neque per hanc argumentationem, conciliari posse *definitionem* illius auctoris, cum vera notione miraculi, prout est signum speciale *omnipotentiam* Dei luculenter commonstrans, et prout *in libris sacris* exhibetur.

d) Nomina miraculi

9. Quænam alia **nomina** obtinet miraculum?

2° **Auctor miraculi**

10. Quis est **auctor** miraculi stricte dicti?

a) **Deus** auctor *principalis*

11. **Deum solum** *propria virtute* posse miracula patrare, proba *a)* ex miraculi *definitione; b)* ex conditionibus requisitis *ad criterium* revelationis.

b) **Angeli et homines** *ministri*

12. Exponatur, juxta doctrinam S. Thomæ, *a)* cur et quomodo, **angeli** *boni* Deo ministrare possint in miraculo patrando; *b)* cur ab hoc munere excludantur *angeli mali.*

13. Quomodo et quando possunt *a)* **homines** *boni*, *b) homines mali* esse causæ instrumentales miraculi? Cur hac in re, angelis malis æquiparandi non sunt homines mali?

c) **Mira et præstigia**

14. *Quid* sunt **mira** angelica?

Indoles et *origo.*

15. *Proba* facultatem mira patrandi fluere ex præcellenti angelorum *natura.*

16. Quid sunt **præstigia** angelica; quotuplici modo producuntur?

17. Explica quomodo angeli possint producere præstigia seu illusiones, *a)* in *phantasia* nostra; *b)* in *sensibus.*

18. *Ulterius determina* hanc mira et præstigia effi-

ciendi potestatem, exponendo *a) quibus angelis* competat; *b)* quibus conditionibus subjaceat ejus *exercitium*.

3° **Divisio** miraculorum

14. Quomodo **dividuntur** miracula *a)* spectata ratione qua *excedunt vires* naturæ; *b)* spectato modo quo *ponuntur extra ordinem* (seu cursum consuetum) naturæ?

Ut *excedunt vires* naturæ.

Ut sunt *extra ordinem* naturæ

15. Cum S. Thoma determina et exemplis explica, quid sint : 1° miracula *a) quantum ad* **substantiam** facti; *b) quantum ad* **subjectum** *in quo res fit; c) quantum ad* **modum** *quo res fit* (indicando simul *locum* quem singula occupant in miraculis); 2° miracula *a)* **supra** *naturam, b)* **contra** *naturam, c)* **præter** *naturam*.

§ I. De Miraculi possibilitate

1° **Status quæstionis**

1. Determina *statum quæstionis* indicando *a) gradum certitudinis* propositionis demonstrandæ; *b) errores* præcipuos huic veritati adversantes.

2° **Demonstratio**
A) E ratione philos.
a) Argumentatio generalis

2. Summatim proponatur **argumentatio generalis** ad demonstrandum, *nulla ex parte* aliquod *impedimentum* obstare, quominus **fieri possint** miracula stricte dicta.

b) Probatio minoris :
α) Nullum impedimentum a parte *legum physic. :*

3. Ad probandam *primam partem* **minoris**, 1° indica impedimenta quæ excogitari possint **a parte legum physicarum**; 2° demonstra *a)* leges physicas non esse necessarias *necessitate antecedente*, sive, ante legum naturæ constitutionem, naturæ creatæ non fuisse *necessario debitum* ut istæ leges potius quam aliæ, cursum mundi physici dirigerent; *b)* leges physicas non esse necessarias *necessitate consequente*, sive, consequenter ad liberam ordinis physici determinationem, illius ordinis *conservationi non esse necessarium* ut legibus assuetis *nunquam derogetur a Deo*.

Nulla *necessitas anteced.*

Nulla *necessitas conseq.*

β) Nullum impedimentum

4. Ad probandam *alteram partem minoris*, 1° enumera

impedimenta quæ excogitari possint **a parte Dei**; 2° demonstra miraculum, ut est opus Dei distinctum a creatione mundi et a constitutione ordinis physici, non repugnare *a) potentiæ* Dei, quæ operatur *ad extra*; *b) immutabilitati Dei*, quæ excludit a Deo omnem *mutationem* aut *successionem*; *c) sapientiæ Dei*, quæ postulat ut Deus nil faciat, nisi propter bonum divinis perfectionibus respondens; *d) providentiæ Dei*, quæ entia creata *per vias congruas* ad *finem* creationis perducit.

a parte *Dei*.

Potentia

Immutabilitas

Sapientia

Providentia.

5. **Confirma** hanc demonstrationem, *a)* ostendendo nihil obesse quominus a Deo efficiatur aliquod opus *supra, contra*, aut *præter* effectus quos natura sibi derelicta producit; *b)* arguendo ex communi hominum *consensu*.

c) Demonstrationis *confirmatio*

6. Quomodo probatur miraculorum possibilitas ex *Joan.* V, 36; coll. *Act.* II, 22 sqq.?

B) E S. Scriptura

7. Exponatur doctrina S. Augustini de miraculis. (*In Joan.* Tract. XXIV, n. 1.)

c) E Traditione

8. Respondeatur his objectionibus :

3° **Objectiones**

Obj. 1. *Ex immutabilitate Dei.* — Ordo naturæ fundatur in **decretis** divinis. Atqui decreta divina sunt **immutabilia**. Ergo immutabilis est ordo naturæ, seu extra hunc ordinem, in rebus creatis nihil fieri potest. — Ad *solutionem*, distingue in decretis, *consilium internum* voluntatis divinæ, ab *effectibus externis* ad quos terminatur divina voluntas. Res illustretur ex *analogia* cum rebus humanis.

A) Ex **immutabilitate** *divina*

Mutarentur *decreta* divina

Obj. 2. *Ex sapientia Dei.* — Deus faciendo miraculum, intenderet vel legum naturæ creatæ **emendationem**, vel illarum **perturbationem arbitrariam**. Atqui neutra ratio digna est divina sapientia. Ergo miraculum repugnat sapientiæ divinæ. Prob. *min.* : prior ratio *imperitiæ* argueret creatorem; altera est *ipsa negatio*

B) Ex **sapientia** *divina*

a) Nullus finis Deo dignus

motivi rationabilis. — *Responde* indicando *finem verum* miraculi.

Inst. 1° Sapiens artifex non facit **actu duplici**, quod **unico actu** perficere potest. Atqui Deus *unico creationis actu*, consequi potuisset effectus quos obtineret per *miraculum*, factum *post creationem*. Ergo stat objectio. — In *responso*, vindicetur *supernaturalis* indoles boni per miraculum intenti.

b) Effectus Deo indigni

Incerta fit vita humana

Inst. 2° **Incertis** legibus physicis, **intolerabilis** fit vita humana. Atqui derogatio facta legibus physicis, incertas efficeret leges physicas. Ergo *miraculum*, (quod derogatio est legibus physicis), intolerabilem redderet vitam humanam, et proinde sapientiæ creatoris repugnat. — *Distingue* derogationem *frequentem* et *fortuitam*, ab *exceptione rara* et *prudenti*. Responsum exemplis confirma.

Inst. 3° Atqui **vel unica exceptio**, redderet leges physicas incertas, et intolerabilem vitam humanam. — *Responde* statuendo discrimen inter certitudinem *absolutam*, et certitudinem *hypotheticam*, atque probando hanc alteram solam in mundo physico et in vita humana requiri.

C) Ex **sanctitate** *divina*

Obj. 3. *Ex sanctitate Dei.* — Leges (naturæ) universales sunt *decreta Dei*, **divinis perfectionibus** necessario **conformia**. Atqui miracula sunt facta *universalitati* legum naturæ contraria. Ergo sunt contraria decretis, et proinde *perfectionibus* divinis. — Ad *solutionem*, distingue universalitatem *absolutam*, ab universalitate *hypothetica*, seu *generali tantum ordinatione*, legum naturæ.

a) Repugnat amori Dei erga suas *perfectiones*

b) Est *paritas* cum lege *morali*

Inst. 1° Lex physica et **lex moralis** sunt *ejusdem naturæ (necessitatis)*. Atqui sanctitati divinæ repugnat ut Deus deroget legi morali. Ergo eidem repugnat ut Deus legi physicæ per miraculum deroget. — Ad manifes-

tandam utriusque legis *disparitatem*, *a)* ex ipsa notione legis *moralis*, exemplis illustrata, proba illius legis *immutabilitatem oriri* ex ejus necessaria *cum rerum essentia connexione*; *b)* ostende hanc immutabilitatis causam *non existere* in lege *physica*.

Inst. 2° *Lex moralis* postulat ut legislator **servet ordinem**, per leges suas constitutum. Atqui Deus, patrando miraculum, recederet ab ordine per leges physicas constituto. Ergo ageret contra legem moralem. — In *solutione*, adhibeatur distinctio inter ordinem *generalem*, et ordinem *particularem*.

c) est *indirecta* violatió legis moralis

Inst. 3° **Ordinatio** *causarum physicarum* ad certos effectus (e. g. ignis ad comburendum), fluit ex rerum **essentiis**. Atqui miraculum tollit hanc ordinationem. Ergo contradicit rerum essentiis et proinde sanctitati divinæ. — *Adverte* aliam esse generalem *ordinationem*, seu *aptitudinem*, causæ ad certos effectus (v. g. ignis ad comburendum); aliam esse actualem effectus *consecutionem* (e. g. ligni *combustionem* per ignem).

d) tollitur *essentialis* rerum *ordinatio*

§ II. De Cognoscibilitate miraculorum

Q. 1. Ad declarandum *statum quæstionis*, determina : *a)* hujus quæstionis cum præcedenti *connexionem*; *b) duplex miraculi elementum*, constituens *objectum* ejus cognoscibilitatis; *c) extensionem* responsi, spectato numero tum miraculorum cognoscibilium, tum hominum quibus eadem innotescere possunt; *d) gradum certitudinis* responsi.

1° **Status quæstionis**

2. Sub quonam præsertim *respectu*, et quibusnam *rationibus*, miraculi *cognoscibilitatem oppugnarunt* : *a) Hume*, *b) J.-J. Rousseau*, *c) Renan*, illorumque se-

2° **Errores**

quaces? — Quodnam alterum motivum aliquando afferunt increduli, ad negandum originem certo *divinam* miraculi posse cognosci?

3° **Demonstratio**
A) E ratione philos.
a) Cognoscibilitas *veritatis historicæ* facti

3. Demonstra, **existentiam facti** miraculosi (probata physica rei possibilitate) non secus ac existentiam alterius facti historici, *a præsentibus* certo cognosci *per sensus*, ab absentibus vero per *testimonium authenticum* aliorum.

b) Cognoscibilitas *veritatis philosophicæ* seu *originis divinæ* facti

4. Proponatur **argumentatio generalis,** ad probandum *multa saltem* miracula certo cognosci posse ut **vera miracula**, i. e. ut effectus *speciali Dei interventu* productos.

Probatio minoris
Nulla *causa creata*

5. *Summatim* proba **minorem** : Pluries constare potest miraculum non habere *rationem sufficientem* in **causa** aliqua **creata**.

α) Nulla causa creata *mundana*

6. Ad *evolvendam* probationem *minoris*, 1° nos pluribus in casibus, certo cognoscere quousque **causæ naturales** (mundanæ) in producendo miraculo adhibitæ, pertingere *non possint*, demonstra : *a)* appellando ad spontaneum *sensus communis judicium* circa *resurrectionem*, restitutionem organi *mortui* etc., solo vocis imperio obtinendam; *b)* confirmando hoc judicium, per examen reflexum in causas quæ postulant ut vires physicæ *iisdem in circumstantiis eosdem constanter producant*

β) Nulla causa creata *supramundana*

effectus; 2° determina et vindica regulas, quibus *a)* ex *sola facti natura, b)* ex *solis circumstantiis*, constare potest aliquod opus supramundanum, *non esse* **mirum** aut **præstigium** alicujus angeli.

B) E S. Scriptura et Traditione

7. Quomodo proponitur miraculi cognoscibilitas tum *materialis* (facti), tum *formalis* (characteris divini), in **S. Scriptura** et **Traditione.**

4° **Criteria generalia**

8. Breviter recenseantur **generalia criteria,** juxta Suarez aptissima, ad miraculosum facti cujusdam characterem discernendum.

9. Refelle has **objectiones :**

6° Objectiones

Obj. 1. *a)* Ut cognitio veritatis historicæ miraculi sit sufficiens, requiritur relatio certa **omnium** miraculi **adjunctorum**. Atqui talis relatio obtineri nequit. Ergo cognitio sufficiens veritatis historicæ miraculi, testimonio certo comparari non potest. — *Ad refellendam majorem*, exemplis determina quænam adjuncta in *singulis factis* cognoscere sufficiat.

A) Contra cognoscibilitatem *veritatis historicæ : a) omnia adjuncta* innotescere debent

b) **Certitudini morali** de veritate historica miraculi (exceptionis legi physicæ), **opponitur** semper **certitudo physica** de *constantia* legum naturæ. Atqui ubi inter utramque certitudinem pugna exsurgit, certitudo physica prævalere debet. Ergo certitudo veritatis historicæ miraculi firma esse nequit. — *Diluantur sophismata* in utraque præmissa latentia.

b) Certitudini *morali* prævalet certitudo *physica*.

Inst. 1° A priori **verisimilius est testes** miraculi **mentiri**, quam rem revera accidisse. Ergo, quum miraculum narratur, potius existimandum est testes mentiri, quam miraculum vere accidisse. *Prob. antecedens :* frequentius accidit ut homines mentiantur quam ut Deus miraculum operetur. Jamvero quod frequentius accidit, tanquam verisimilius habetur. Ergo. — *Refelle minorem* probationis, distinguendo circumstantias in quibus adsunt *certa veritatis criteria*, ab adjunctis in quibus hæc desunt.

c) *frequentius* est mendacium quam miraculum

Inst. 2° Uni homini resurrectionem miraculosam testanti, **contradicunt mille testes** resurrectionem fieri negantes. — *Responde* ostendendo hæc testimonia sibi *non contradicere*.

d) Prævalent testes *miraculum negantes*

Obj. 2. Ut judicemus aliquod factum certo *superare vires naturæ creatæ*, oportet cognoscere **quidquid possunt** vires creatæ. Atqui hoc cognosci nequit. Ergo de *charactere supernaturali* alicujus facti certum judicium proferre non valemus. — *Respondeatur* ope principii in

B) Contra cognoscibilit. *originis divinæ* facti miraculosi *a*) non novimus *omnes* vires *creatas*

ipsa demonstratione propositi : sufficit cognoscere quousque pertingere *non possint* causæ in facto producendo adhibitæ.

b) *Experientia* non fundat judicium *absolute necessarium*

Inst. Judicium nostrum de impotentia virium creatarum nititur **experientia tantum**. Atqui experientia testatur præterita, non futura. Ergo de absoluta virium creatarum impotentia ad determinatos effectus, certum judicium proferre non possumus. — Iterum desumatur responsio ex principiis *metaphysicis* seu absolutis, in demonstranda cognoscibilitate miraculorum stabilitis.

c) Catholica doctrina *sibi contradicit*

Obj. 3. Catholici in demonstranda *possibilitate miraculi*, *exceptiones* legibus physicis fieri posse *supponunt* ; in vindicanda *cognoscibilitate* miraculi *easdem* fieri posse *negant*. Ergo in proponenda doctrina de miraculis, **sibi contradicunt**. — Ex discrimine (supra statuto) inter exceptionem *prudentem* factam *a Deo*, et exceptionem *cæcam*, *ex viribus* naturæ *sponte* exortam, ostendatur ista duo doctrinæ catholicæ asserta, *circa idem objectum* non versari, eaque idcirco sibi contradicere non posse.

d) Catholici versantur *in circulo vitioso*

Obj. 4. Catholici *veritatem* suorum *miraculorum* demonstrant ex *veritate suæ doctrinæ*, et rursum veritatem suæ doctrinæ probant ex veritate suorum miraculorum. Ergo versantur in **circulo vitioso**. — Objectionis æquivocatio discutiatur, explicatis vocibus « *veritas* doctrinæ » in utraque propositione.

e) Miracula non discernuntur α) a phænomenis *phantasiæ* et *nervorum*

Obj. 5. Ex **phantasiæ** et **systematis nervosi** commotione, nunc multæ explicantur sanationes, quæ olim naturæ leges excedere videbantur. Ergo, a pari suspicari licet *omnia miracula* esse effectus ex lege occulta productos. — Ad demonstrandum objectionis conclusionem *latius patere* quam præmissas, *a)* secernantur effectus miraculosi qui, vel *ex subjecto* in quo fiunt, vel ex ipsa *sua natura*, a phantasiæ vel nervorum commotione

prorsus sunt alieni; *b)* explicetur cur *extases* et *stigmata*, si seorsim sumantur, sæpe ut effectus dubiæ originis sint habenda.

β) ab operibus *dæmonis* apud paganos

Obj. 6. **Dæmones apud paganos** ediderunt effectus prorsus similes miraculis catholicorum. Ergo miracula vere divina, ab operibus diabolicis tuto dignosci non possunt. — Demonstra factorum disparitatem, *a)* ex operis *natura*, *b)* ex *sanctitate* requisita in *ritibus*, in *scopo* et in *effectibus* operis divini.

γ) a phænomenis *magnetismi, spiritismi, et hypnotismi*

Obj. 7. Miracula catholicorum non superant effectus **magnetismi, spiritismi** aut **hypnotismi**. Ergo nec causam altiorem sibi postulant. — Ut huic objectioni, per accuratam veri et falsi distinctionem, plenius satisfiat, respondeatur his quæstionibus :

A) Quomodo **successive invaluerunt** magnetismi, spiritismi et hypnostismi effectus *a)* ætate Mesmeri, auctoris magnetismi; *b)* versus initium hujus sæculi; *c)* inde ab anno 1840 (describantur origo, progressus et indoles effectuum intellectualium et physicorum, qui per *media spiritismi* obtenti sunt); *d)* nostris diebus?

B) Quid sentiendum est de **veritate historica** illorum effectuum?

C) Indica præcipua *media* quibus ab his effectibus **discernantur** vera miracula *a)* ex facti *natura* vel *subjecto; b)* ex *modo instantaneo* et *immediato* quo res producitur; *c)* ex operis effectibus *certis* et *completis* *d)* ex operis *decentia*.

D) Quid censendum est de **causa** operum magnetismi, spiritismi et hypnotismi? — Proba responsum, demonstrando effectus intellectuales *præstantiores* spiritismi *a)* non posse adscribi *homini viventi, quin negetur unitas naturæ humanæ; b)* non posse reponi in naturali virtute *animæ separatæ*, quin doceatur animam corpori

unitam, esse *in carcere* et ita rursus *negetur unitas naturæ* nostræ (statuto discrimine inter *destinationem* spiritus angelici et destinationem animæ humanæ, explica quomodo priori, non vero alteri, competat potestas agendi immediate in corpora remota; adde quænam ratio habenda sit declarationum *spirituum* circa propriam suam naturam); *c)* non esse attribuendos *angelis bonis*.

E) Ex ipsis *spiritistarum* testimoniis, exponatur **finis** quem hodie prosequantur.

7° Corollarium

Q. 10. Ex doctrina exposita ostende, regulis criticæ historicæ sensu communi receptis, adversari D^um^ *Renan*, quum ad miraculi cognoscibilitatem exigit, ut factum coram cœtu doctorum, in adjunctis determinatis ab ipsis, et iteratis vicibus fuerit patratum.

§ III. De vi probandi miraculorum

1° Status quæstionis

Q. 1. Definiatur quænam vis miraculis insit ad probandam *divinitatem* alicujus *missionis* vel *doctrinæ*.

2. Explica quæstionem, declarando quid hic intelligatur per miraculum factum *in confirmationem* alicujus missionis vel doctrinæ, quæ divinæ dicuntur.

3. Quam *certa* est responsio? Quibusnam *erroribus* fuit impugnata?

2° Demonstratio
A) E ratione philos.

4. Doctrinam de **vi probandi** miraculi vindica, demonstrando miraculum editum ad appellationem alicujus hominis, fieri **signum divinum,** vere approbativum rei in cujus confirmationem proponitur: nec proinde a Deo fieri posse miraculum quod proponitur in confirmationem rei falsæ.

B) E S. Script et Trad.

5. Eamdem veritatem illustra e **S. Scriptura** et **Traditione**.

3° Objectiones

6. Refelle has objectiones:

A) Ex **independentia** divina

Obj. 1. Deus a nulla creatura **dependentiæ** vinculo ligari potest. Jamvero si Deus non posset facere miraculum, propositum ab homine in rei falsæ confirmationem, divina potestas ab hoc homine fieret dependens. Ergo principium quo demonstratur vis probandi miraculorum, repugnat independentiæ Dei. — In *responso* distingue *dependentiam proprie dictam* (qua quis, *physice*, per vim sibi illatam, aut *moraliter*, per legem sibi impositam, alteri vere subordinatur) et *dependentiam improprie dictam* (qua Deus *ex lege suæ perfectionis* tenetur, ne quidquam faciat sapientiæ aut sanctitati suæ contrarium).

a) Deus non dependet a *thaumaturgo*

Inst. Deus non ligatur per conventiones humanas. Ergo Deus **negligere potest significationem,** ex humana conventione miraculis adscriptam. — *Solutio* desumatur ex causis ad quas attendere oportet in determinanda actuum moralitate; responsio illustretur comparatione inter signa *realia,* et signa *verbalia.*

b) Deus non dependet a *conventione humana*

B) Ex **paritate** *a)* cum *sigillo principis*

Obj. 2. Miraculum est **sigillum** Dei. Atqui sigillum, salva principis veracitate, per abusum ministri apponi potest documento spurio. Ergo miraculum, salva Dei sanctitate, per abusum thaumaturgi adhiberi potest in doctrinæ falsæ confirmationem. — *Distingue* inter abusum commissum *principe inscio et invitō,* atque abusum commissum principe *conscio* et *operam suam interponente.*

b) cum *S. Eucharistiæ consecratione*

Obj. 3. Deus eodem modo **cooperatur ad consecrationem S. Eucharistiæ,** ac cooperatur ad miraculum stricte dictum. Jamvero *Deus potest negligere* finem malum a sacerdote consecrante intentum. Ergo a pari potest negligere finem malum thaumaturgi, in confirmationem erroris ad miraculum provocantis. — Ad explicandam utriusque facti *disparitatem,* ostende *a)* Deum

cooperando ad S. Eucharistiæ consecrationem, nec *actu cooperari fini* perverso sacerdotis (propter altiorem finem, ex institutione *sacramenti* elucentem), nec publice *approbare* ejus *opus* pravum (propter transsubstantiationis indolem occultam, ejusque manifestam ad œconomiam salutis ordinationem); *b)* neutrum defensionis caput valere pro *miraculo stricte dicto*, ad appellationem falsi doctoris patrato.

c) cum factis *gentilium*

Obj. 4. Facta miraculis similia **apud gentiles** acciderunt. Atqui religio gentilium erat falsa. Ergo miracula non probant veritatem doctrinæ in cujus confirmationem patrantur. — *Disparitas* repetenda est ex carentia unius vel plurium ex *conditionibus supra requisitis* (scil. *a) veritas historica* facti; *b)* ejus *connexio* cum doctrina prædicata; *c)* ejus *origo certo divina).*

Q. 7. Quænam conditiones requiruntur ut vis probandi adscribatur effectibus qui mundanas quidem vires, non tamen **virtutem angelicam** excedunt? — Detur *ratio* responsi, et indicetur *nomen* his effectibus tunc adscriptum.

SECTIO POSTERIOR

DE PROPHETIIS

1° **Notio prophetiæ**
a) Sensus latior

Q. 1. Indica multiplicem **sensum latiorem**, ex significatione **etymologica** vocis **prophetiæ** deductum.

b) Definitio prophetiæ stricte dictæ

2. **Definiatur** prophetia **stricte dicta.**

3. *Explica* hanc definitionem, determinando prophetiæ notionem *genericam* et *specificam.*

2° **Auctor prophetiæ**

4. Quis est **auctor** prophetiæ stricte dictæ? — Quousque se extendit præscientia *angelorum*, comparata cum scientia divina et scientia humana?

5. Demonstra responsum, exponendo *a)* cur soli Enti *æterno* conveniat certa scientia eventuum qui pendent ab *arbitrio* causæ intelligentis, imprimisque ipsius *Dei; b)* cur *angelorum præscientia* humanam excedat.

§ I. De prophetiæ possibilitate

Q. 1. Quam *certa* est prophetiarum possibilitas? Quinam eam *impugnarunt?* — 1° **Status quæstionis**

2. Ad demonstrandam prophetiarum possibilitatem, proba *a)* præscientiam *omnium futurorum* pertinere ad Deum **æternum** et **omniscium**; *b)* a Deo hanc præscientiam **hominibus communicari** posse. — 2° **Demonstratio** *A) E ratione philos.*

3. Quomodo proponitur eadem veritas in **S. Scriptura, Traditione?** — *B) E S. Script. et Tradit.*

4. Prophetiarum possibilitas ab his **objectionibus** vindicetur : — 3° **Objectiones**

Obj. 1. Qui affirmat præscientiam divinam actuum nostrorum, **negat libertatem** humanam. Ergo ruit demonstrationis fundamentum. — *Falsum esse antecedens* proba *a)* ex *genuina notione* præscientiæ Dei, *b)* ex *logica* relatione inter actus nostros et scientiam Dei. — *A)* Præscientia repugnat *libertati humanæ*

Inst. Actus a Deo prævisus **necessario fieri debet**. Atqui quod fit necessario, non fit libere. Ergo præscientia Dei repugnat libertati actuum nostrorum. — In *responso* distingue necessitatem *antecedentem*, quæ est *causa active determinans* actum futurum; et necessitatem *consequentem* quæ *rationem* (fundamentum) *suam accipit* ab actu vere futuro.

Obj. 2. Futura libera **non sunt**. Jamvero, quod non est, nequit esse cognitionis objectum. Ergo Deus futura libera in se non cognoscit. — *Distigue* existentiam — *B)* Futura libera non sunt cognoscibilia

rerum coram creaturis *temporis successioni* obnoxiis, et esse rerum coram *Deo æterno*.

Inst. Quod nihil est a nemine potest cognosci. Jamvero futurum liberum (ut nondum existens) **nihil est**. Ergo futurum non est in se cognoscibile. — Ad plenam rei *solutionem*, distingue *a)* esse *reale actuale*, et *b) futuritionem*, seu esse *reale futurum*, i. e. *certam rerum relationem* ad esse actuale in futuro vere accipiendum.

§ II. De prophetiarum cognoscibilitate

1° Status quæstionis

Q. 1. Ad definiendum *statum quæstionis*, determina *a)* quænam de prophetia cognosci debeant, ut revelationis signum esse possit; *b)* quam *certa* sit hæc prophetiarum cognoscibilitas et a quibus *oppugnationibus* vindicanda.

2° Demonstratio
A) E ratione philos.

2. In responsum ad objectionem J. J. Rousseau, demonstra **existentiam** *sermonis prophetici*, ejusque *complementi*, *historice* certo posse constare.

3. Proba pluribus in casibus constare posse : *a)* cum *certitudine morali*, eventus humanos ex **vera communicatione omniscientiæ divinæ** fuisse prænuntiatos; *b) cum certitudine absoluta*, prædictionem operis *divini* **a solo Deo** esse profectam.

B) E S. Script. et Tradit.

4. Unde constat hanc doctrinam in **S. Scriptura** et **Traditione** contineri?

3° Objectio

5. In memoriam revocatis conditionibus ad cognoscibilitatem veræ prophetiæ requisitis, respondeatur huic **objectioni** : Prædictiones prophetiis similes prolatæ sunt a **paganismi** et **spiritismi** sectatoribus. Jamvero isti scientiam suam non acceperunt a Deo. Ergo dignosci nequit *vera* prophetia *divina*. — *Inst.* In *spiritismo* prædicuntur liberi hominum actus.

§ III. De vi probativa prophetiarum

1° Status quæstionis

Q. 1. Declaretur *a) quibusnam in adjunctis* proferri debeat prophetia, ut habere possit **vim probandi** divinitatem alicujus missionis aut doctrinæ; *b)* quandonam prophetia, per se spectata, hanc vim probandi *actu* obtineat; *c)* quam *certa* sit veritas contra naturalistas demonstranda.

2° Demonstratio

2. Demonstra responsum *a)* **philosophice,** ex paritate inter miraculum et prophetiam; *b)* ex **S. Scripturæ** et **Traditionis** doctrina.

3° Objectiones

3. Proba hanc demonstrationem **non infirmari** ex historia *Balaam, (Num.* XXIII et XXIV), aut ex narrationibus de *vaticiniis gentilium.*

CAPUT QUARTUM

De necessitate et convenientia revelationis

Prænotanda

Q. 1. Quomodo **connectitur** materia tractanda cum aliis quæstionibus de revelationis *possibilitate?*

2. Quotuplici modo moveri potest quæstio de **revelationis necessitate** *a)* spectato *fine* cui necessaria dicitur; *b)* spectata ipsius necessitatis *natura?* — Explica responsum, exponendo *c)* quid intelligatur per **finem** et **media naturalia** aut **supernaturalia**; per medium **physice** aut **moraliter necessarium** et proinde per **impotentiam physicam** aut **moralem.**

3. Ex dictis statuantur *quæstiones* in hoc capite *solvendæ.*

§ I. De necessitate revelationis ad cultum *supernaturalem*

1° **Status quæstionis**

Q. 1. Ad definiendum **statum quæstionis,** declara *a) quomodo* et *quibusnam* revelatio hic necessaria dicatur; *b) quam certa* sit veritas demonstranda, et a quibus *erroribus* vindicanda.

2° **Demonstratio**
A) E ratione philos.

2. Statutis *conditionibus* quarum cognitio **fini nostro supernaturali** attingendo, et proinde cultui supernaturali præstando, prærequiritur, veritatem propositam demonstra *a)* ex ipso charactere **supernaturali** rerum cognoscendarum; *b)* ex **gratuita** nostra ad finem supernaturalem vocatione.

B) E S. Script. et Tradit.

3. Quomodo exhibetur hæc veritas in **S. Scripturæ** et **Patrum** doctrina de ordine supernaturali?

3° **Notanda**
a) Triplex de divinis cognitio
b) Convenientia ordinis supernaturalis

4. Exponatur doctrina S Thomæ de **triplici** mentis humanæ circa res divinas **cognitione.**

5. Ostende institutionem ordinis supernaturalis tum homini, tum Deo esse summe **convenientem.**

§ II. De necessitate revelationis ad cultum *naturalem*

1° **Status quæstionis**
a) Indoles necessitatis assertæ

Q. 1. Doctrinam catholicam de **necessitate morali** revelationis ad **finem** (seu cultum) **naturalem,** propone, accurate determinando et explicando assertæ necessatis *conditiones a)* ex parte suæ **originis** (ex impotentia *non physica,* sed *morali); b)* ex parte **objecti cui cognoscendo** necessaria dicitur *(complexus* veritatum ad *cultum naturalem* pertinentium); *c)* ex parte **subjecti cognoscentis** quod revelatione indigere affirmatur *(uni-*

versum humanum genus; in præsenti sua conditione); d) ex parte **modi** quo objectum istud ab hoc subjecto dicitur cognoscendum per revelationis subsidium *(expedite, firma cum certitudine,* et *absque admixto errore).*

2. Quomodo proposita est hæc veritas a **Concilio Vaticano?** — *b) Concil. Vatican.*

3. Quinam in hac materia **errarunt** *a)* per *defectum; b) per excessum?* — *c) Errores*

4. Revelationem **non** *esse* **physice** necessariam ad naturalis cultus cognitionem, *proba a) a priori,* ex propria *naturæ* humanæ *destinatione; b) ad hominem,* contra eos qui fidem, ut solum veritatis religiosæ fontem exaltant; *c) a posteriori* ex scriptis philosophorum de Deo et rebus divinis. — Confirmetur responsio ex ipsa *revelationis doctrina.* — 2° **Demonstrationis** pars *prior* *Non est physice* necessaria

5. **Argumento generali** demonstra **necessitatem moralem** revelationis, a catholicis propugnatam, deduci ex actuali **conditione naturæ humanæ.** — 3° **Demonstrationis** pars *altera* *A) E ratione philos.* *a) a priori* Ex conditione naturæ humanæ: Non *omnes*

6. Hanc argumentationem **per partes** *vindica,* ostendendo 1° dempta revelatione, **multos homines** ab evoluta veritatis religiosæ cognitione **arcendos esse,** tum *a)* propter *complexionem corporis, necessitatem rei familiaris,* aut *naturalem pigritiam;* tum *b)* propter *inefficax* philosophorum *magisterium;* — 2° neque *ipsos philosophos* scientiam religiosam **debito tempore** esse consecuturos; — 3° hanc paucorum scientiam nec **ab erroribus** nec **a dubiis** fore **immunem.** — Non *expedite* — Non absque *errore* aut *dubio*

7. Demonstra necessitatem moralem revelationis, ex ipsa **historia religiosa generis humani.** — *b) a posteriori* Ex facto historico

8. **Utramque** argumentationis **præmissam** *proba* ostendendo : *a)* nullam hucusque exstitisse gentem, revelatione destitutam, in qua *omnes, expedite, absque*

errore et dubio; cognoverint *complexum* veritatum ad religionem spectantium; *b)* hujus universalis **ignorantiæ causam** *unice* esse repetendam ex cognitionis acquirendæ **difficultatibus,** quæ sint **universales** et **constantes,** atque **humanæ conditioni inhærentes.**

B) E S. Scriptura

9. Confirma hanc demonstrationem ex doctrina **S. Scripturæ** de ignorantiæ humanæ *causis, gradibus* et *remediis.*

C) Ex Traditione

10. Quænam hac de re tradiderunt *S. Augustinus* et *Lactantius?*

4° Objectiones

11. Responde his **objectionibus** :

A) Thesis *firmo caret fundamento*

Obj. 1. Thesis catholica de necessitate morali revelationis *firmis* caret *argumentis*. Ergo est **assertio gratuita.** *Prob. antec. :* Difficultates cognoscendæ veritatis (fundamentum argumenti *a priori)* voluntas humana vincere **physice potest**; factum ignorantiæ universalis (fundam. argum. *a posteriori)* pertinet ad tempus **præteritum.** Atqui *cum firma certitudine* affirmari nequit *a)* id *nunquam* esse futurum quod physice potest voluntas humana; *b) causam* ignorantiæ præteritæ, ipsi conditioni humanæ in *perpetuum* esse inhærentem. Ergo infirmum est utrumque argumentum. — *Responde* ostendendo *probationis minorem,* quoad utramque partem, esse *falsam.*

B) Thesis *repugnat sapientiæ* Dei.
a) Homo caruisset *medio ad finem*

Obj. 2. Sapiens opifex mundi debet homini tribuere *media congrua ad finem* suum attingendum. Jamvero si homo est *moraliter impotens* ad cognitionem cultus naturalis, **destituitur medio** ad finem assequendum **necessario.** Ergo doctrina de necessitate morali revelationis (utpote hanc impotentiam moralem supponens) repugnat **sapientiæ Dei.** — In *responso* proba : *a)* media ad finem necessaria, esse vel *interna* vel *externa; b)* in nostra

doctrina, hominem *inde ab initio* necessariis ad finem subsidiis fuisse instructum.

Inst. 1° Si revelatio esset necessaria, ita exhiberi debuisset, ut *nullibi et nunquam* amitteretur. Atqui **ad multos** homines **non pervenit.** Ergo. — In *responso* explica cur amissio revelationis *non Deo, sed hominibus ipsis imputari* debeat.

b) debuisset revelatio exhiberi omnibus et *semper*

Inst. 2° Medio ad salutem necessario, **non majorum**, sed *propria* tantum **culpa** privari quis potest. Ergo stat objectio. — Ad *solutionem* advertatur distinctio *a)* inter necessitatem revelationis *supra definitam*, et necessitatem revelationis ad *salutem uniuscujusque* hominis; *b)* inter revelationem *externam* et *publicam*, atque revelationem *internam* et *privatam*.

c) Neque ex hominum culpa potuisset deperdi, si necessaria : *α) singulorum saluti*

Inst. 3° Atqui nec permittere potest Deus ut per hominum malitiam, generationes futuræ priventur subsidio ad **finem societatis humanæ** necessario. Ergo tale medium non est revelatio. — Explica cur hæc *mala* Deus *permittere possit.*

β) bono societatis

Inst. 4° Doctrina de necessitate morali revelationis supponit hominem *ex natura sua* **duci in errorem.** Jamvero hoc repugnat sapientiæ Dei. Ergo. — *Resp.* : aliud est errare ex *intrinseca naturæ ordinatione*, aliud errare propter *difficultates* vincendas.

γ) errori vitando.

Obj. 3. Catholici affirmant *a)* revelationem esse *naturæ debitam* et simul *supernaturalem ; b)* cognitionem cultus Deo exhibendi *prærequiri* revelationi acceptandæ, et revelationem acceptam esse *medium* ad hunc cultum cognoscendum. Atqui in utroque asserto **sibi contradicunt.** Ergo. — *Responsum* deducatur ex ipsis verbis definitionis Vaticanæ : *in præsenti generis humani conditione — expedite, firma cum certitudine — sine admixto errore.*

C) Catholica doctrina *sibi contradicit*

D) Repugnat cum *progressu continuo*

Obj. 4. Doctrinæ de revelationis necessitate contradicit **progressus continuus** generis humani. — Ad plenam hujus difficultatis *expositionem* et *solutionem*, 1° summatim **definiatur** systema de progressu continuo, tum *in genere* spectatum, tum *in specie ordini religioso* applicatum, atque ostendatur ipsum revera revelationis necessitati *contradicere;* 2° proba hoc systema *a)* **historico fundamento carere,** seu historiæ contradicere; *b)* illud **philosophice falsum** esse in præcipua sua **conclusione**, quæ affirmat omnem *veritatem* esse **relativam** et **mutabilem**; *c)* illud esse *falsum* in **principio pantheistico** ex quo immediate originem suam ducit; 3° exponatur qualis **progressus verus** admitti possit *a)* in scientiis et in artibus *generatim; b)* in cognitione *religionis naturalis; c)* in *revelatione divina* ab initio mundi ad Messiam, et inde a Messia usque tempora nostra.

5° **Error per excessum:** Revelatio primæva *absolute* necessaria

Q. 12. Paucis exponatur doctrina eorum qui **revelationem primævam** cultui naturali **absolute necessariam** dicunt. — Probetur hanc doctrinam non esse admittendam, *a)* quia est *inefficax* ad vindicandam revelationem *supernaturalem; b)* quia est *philosophice falsa*, dum usui rationi assequendo magisterium *absolute prærequiri* affirmat.

§ III. De revelationis cum humana natura *convenientia*

1° **Gradus certitudinis**

Q. 1. Quam *certum* est revelationem esse medium **congruum** ut homo de Deo cultuque divino edoceatur?

2° **Demonstratio**
A) E ratione philos.

2. Demonstra institutionem **per auctoritatem** (Dei revelantis), **naturæ humanæ** magis **accommodatam** esse quam cognitionem per rationem, ostendendo illam esse

a) in usu *communiorem*, idque propter ipsam conditionem humanam; *b) securiorem* quoad veritatis assecutionem; *c)* cultui *sociali* utiliorem; *d) statui viæ* magis congruam.

3. Illustretur hæc demonstratio e verbis **S. Scripturæ** et **SS. Patrum.**

B) E S. Scriptura et *Traditione*

4. Respondeatur his revelationis adversariorum **impugnationibus** :

3° **Objectiones**

Obj. Ut homo per revelationem tuto edoceri possit, in ipso prærequiritur cognitio tum *systematis auctoritativi*, tum *facti revelationis;* jamvero utrumque punctum non minus arduum requirit studium quam altiores naturalis legis veritates. Ergo revelatio *pueris* et *indoctis* **non est medium aptum,** ad tollendam illorum impotentiam moralem legis naturalis cognoscendæ. — Ad *refellendam minorem* objectionis, 1° demonstra pueros et indoctos, ipsa **natura duce,** *spontaneam* et *practicam* consequi cognitionem **systematis auctoritativi**; 2° ex *natura actus fidei*, atque ex *sequelis absurdis* doctrinæ oppositæ, proba : ad divinam revelationem fide acceptandam, sufficere **facti revelationis** cognitionem quæ **excludat** omne **dubium prudens**; 3° ex *iisdem sequelis absurdis,* atque ex *quotidiana experientia* demonstra : ad prudens hoc dubium excludendum, *non requiri* rei scientiam *perfectam*, sed sufficere cognitionem quæ **uniuscujusque** (etiam pueri aut indocti) **conditioni respondeat**; 4° indica **ultimum fundamentum** hujus regulæ moralis, qua nititur tota responsio : Auctoritatem testimonii *a quo necessario pendet directio vitæ nostræ moralis*, in dubium revocare aut rejicere non licet, nisi *prudens* ratio nos admoneat, in casu determinato, fraudem aut errorem in testibus esse suspicandum.

A) Quomodo credere possint **pueri** et **indocti**

a) Quomodo cognoscant :
α) *system. auctorit.*
β) *factum revel.*

b) Quare et *quousque* magistris credere oporteat

B) Quid si *a)* errorem *suspicentur*

Inst. 1° Atqui *pueri* et *indocti* semper possunt **suspicari fraudem aut errorem** a parte parentum aut fidei magistrorum; ergo semper de fidei suæ veritate dubitare possunt. — In *responso* distingue *a)* suspicionem fundatam in *mera deceptionis possibilitate*, et suspicionem fundatam in *prudenti dubitandi ratione; b)* dubium *physice possibile*, atque dubium *prudens et legitimum*.

b) doctiores fiant

Inst. 2° Testimonium parentum et parochi **non est sufficiens** *adolescenti doctiori*; ergo *a pari*, nec puero indocto. *Confirm. anteced.* Revera, **ratione magis evoluta,** dubia circa fidem insurgunt. — In *responso* 1° *nega paritatem*, juxta principia de certitudine prudenti; 2° quoad *confirmationem anteced.*, distingue inter adolescentem qui *veritatem* et illum qui *errorem esset edoctus*.

c) errorem sint edocti

Inst. 3° Atqui rationi repugnat ut puer qui **errorem** fuerit edoctus, hunc **credere teneatur** donec adolescat. Ergo falsa sunt principia de certitudine mere *prudenti*. — In *responso* ostendatur discrimen *a)* inter errorem *materialiter* aut *formaliter* tenendum; *b)* inter fidem ex *virtute fidei* supernaturali elicitam, et fidem *moraliter* tantum *rectam*.

Ad solutionem *instantiæ quartæ, quintæ et sextæ*, declaretur (addita ratione responsi) **quomodo se gerere debeant** 1° pueri **hæreticorum** quibus nulla adest ratio suspicandi errorem parentum; 2° pueri et indocti **catholici,** qui advertunt *controversias* esse circa veram fidem; 3° pueri et indocti qui norunt alios se *doctiores* contra fidem catholicam controversias movere, aut saltem movere posse.

d) advertant *controversias* motas a *doctioribus*

4° **Conclusio** partis prioris

Q. 5. Quid *præstitum* est in **parte priori** demonstrationis Christianæ; et quid ex hac demonstratione *sequitur* contra revelationis adversarios?

PARS POSTERIOR

De Revelationis Christianæ divinitate

PRÆNOTANDA

1° Materia tractanda

Q. 1. Quid intelligitur per **revelationem christianam?**

2. **Quotuplici via** perveniri potest ad revelationis christianæ *divinitatem* demonstrandam? — Quænam ut *potior* habenda videtur?

2° Distributio materiæ

3. Exponatur quomodo *ex ipsa materia tractanda* sequatur hujus partis **divisio** in *cap. primum, de veritate historica revelationis christianæ,* seu *de auctoritate historica Scripturæ Sacræ,* et *cap. secundum, de divinitate revelationis christianæ.*

CAPUT PRIMUM

De veritate historica Revelationis Christianæ, seu de auctoritate historica Sacræ Scripturæ

Materiæ indoles et distributio

Q. 1. In quo consistit **auctoritas historica** alicujus libri?

2. *Quænam tria,* secundum hujus definitionis *analysim,* cognitu necessaria sunt, ut constet de alicujus libri auctoritate?

3. Quid intelligitur per librum **authenticum** vel **genuinum, integrum** et **veracem?**

4. Quid est **interpolatio, mutilatio, corruptio?** — Quid libri integritas *substantialis* et *accidentalis?*

5. Quomodo **dividitur** et **subdividitur** hoc caput?

SECTIO PRIOR

De auctoritate historica Librorum Sacrorum Veteris Testamenti

Q. Quanam ratione, juxta principia exposita, ordinanda est demonstratio **auctoritatis historicæ** *Pentateuchi* et aliorum librorum V. T.?

SECTIO POSTERIOR

De auctoritate historica Librorum Sacrorum Novi Testamenti

§ I. De *authentia* Novi Testamenti

1° Status quæstionis

Q. 1. Quid de **authentia** Novi Testamenti sentiunt *increduli?* — Quam *certum* est hosce libros ab Apostolis et ab apostolicis viris esse conscriptos?

2° Demonstratio

A) Ex notis externis

2. Originem genuinam librorum N. T., imprimisque Evangeliorum, demonstra ex **testimoniis externis** *a)* antiquitatis *Christianæ* ipsorumque *Patrum Apostolicorum; b)* veterum *hæreticorum; c) paganorum.* — Explica cur hic communis consensus *nec ante nec post* mortem Apostolorum, ex fraude impostoris oriri potuerit.

B) Ex notis internis

3. Confirmetur hoc argumentum ex Novi Testamenti **notis internis** 1° *negativis;* 2° *positivis*, seu *a)* ex *accurata* et *minuta* circumstantiarum descriptione, *b)* ex

illorum loquendi ratione circa *posteriora quædam facta*, *c)* ex scriptorum *dotibus, sermone* et *charactere*.

4. Diluantur **difficultates** sequentes : 3° **Objectiones**

Obj. 1. Si libri N. T. ab Apostolis aut a viris apostolicis fuissent conscripti, **Patres apostolici** in his libris citandis hosce **auctores nominassent**. Atqui id non fecerunt. Ergo libri N. T. antiquitus non adscribebantur iis auctoribus quorum hodie nomina præ se ferunt. — In *responso* præcipuam indica rationem ob quam Patres apostolici, in referendis S. Scripturæ locis, *a citandis auctoribus prudenter abstinuerint*. *A) Ex testimoniis externis*

Obj. 2. Inter evangelia Matthæi, Marci et Lucæ permagna habetur **consonantia** tum *quoad res*, tum quoad *verborum delectum et ordinem*. Atqui hujus consonantiæ ratio reddi nequit nisi supponatur **unum** fuisse primævum horum librorum **auctorem,** cujus opus fuerit aut *corruptum*, aut deperditum et *ex memoria restitutum*. Ergo falsum est hæc evangelia originem ducere ab auctoribus quibus adscribuntur. — *Refelle* objectionis *minorem*, ostendendo hanc *rerum* et *verborum* consonantiam aliis ex causis, maxime ex communi traditione orali, congrue explicari. *B)* Ex evangeliis *synopticis*

§ II. De *integritate* Novi Testamenti

Q. 1. Quam *certo* affirmare licet libros Novi Testamenti, quoad substantiam saltem esse **integros**; et quomodo hac in re se habent hodierni *increduli?* 1° **Status quæstionis**

2. Novum testamentum quo utitur Ecclesia, quoad substantiam *concordare cum* pristino *textu autographo*, demonstra 1° ex ejus **conformitate** cum iis exemplaribus, quibus *sæc. II* usi sunt *auctores versionum* antiquarum atque *scriptores ecclesiastici;* 2° ex eo quod 2° **Demonstratio** *A) Ex testimoniis historicis* *B) Ex corruptionis impedimentis*

universali librorum quoad substantiam corruptioni **nec ætas nec auctor** idoneus possit assignari.

3° **Objectiones**

3. Integritas N. T. ab his **objectionibus** vindicetur :

A) Ex corruptionis accusationibus

Obj. 1. Hæretici et Catholici *se mutuo* Novi Testamenti **corruptionis accusarunt**. Ergo *dubia* saltem est horum librorum integritas. — In *responso* attendatur ad discrimen inter corruptionem *tentatam*, et corruptionem *universa exemplaria reapse invadentem*.

B) Ex codicum *discrepantia*

Obj. 2. In evangeliis ab Ecclesia receptis, plurima occurrunt loca quæ *in antiquis codicibus desunt*. Ergo hæc evangelia **ut interpolata** habenda sunt. — *Solutio* quæratur ex consuetis *criticæ regulis*.

Obj. 3. *Papias* affirmat Matthæum Christi *sermones*, Marcum vero ejus *facta* proposuisse. Ergo quæ præter illa in his evangeliis occurunt, postea fuerunt adjecta. — *Resp.* : hæc affirmantur *positive*, non autem *exclusive*.

§ III. De *veracitate* Novi Testamenti

1° **Status quæstionis**

Q. 1. Quam *certa* est **veracitas** librorum Novi Testamenti?

2. Quanam præsertim ratione hanc veracitatem infirmare conati sunt *increduli?* — Quomodo **mythicam** Evangeliorum **interpretationem** *proponit ac vindicare conatur Renan?*

2° **Demonstratio**

3. Ad demonstrandam N. T. veracitatem, 1° probetur nullam obstitisse difficultatem quominus Novi Testamenti (præsertim Evangeliorum et Actuum) auctores **verum cognoscere potuerint,** sive *a)* a parte *mediorum cognitionis*, sive *b)* a parte *rerum cognoscendarum*, sive *c)* a parte *qualitatum personalium auctorum*; 2° ipsos ea quæ noverint **sincere referre voluisse,** ostendatur *a)* ex eorum *moribus*, *b)* ex *absentia boni a deceptione sperandi*, *c)* ex *deceptionis impossibilitate*, oriunda ex

evangeliorum *doctrina* et *narrationum indole, d)* ex *consonantia* narrationis Apostolorum cum scriptis exterorum (maxime Flavii Josephi, Pilati, Taciti, Celsi).

3. Ad solvendas **objectiones,** ostendatur veracitati Evangeliorum non obstare *a)* **diversitatem** quam Evangelistæ, in referendis *factis* et *dictis* Christi, exhibere videntur; *b)* **exspectationem** venturi **Messiæ** in Judæa vigentem. 3° Objectiones

---

CAPUT SECUNDUM

De veritate divinitatis Revelationis Christianæ

Q. Quibusnam **criteriis** demonstrandum est doctrinam a Christo prædicatam, revera esse revelatam a Deo? — Quonam **ordine** hæc criteria expendere convenit? Materiæ indoles et divisio

SECTIO PRIOR

De divinitate Revelationis Christianæ per *prophetias* et *miracula* probanda

ARTICULUS I

DE PROPHETIIS

Q. Quonam **duplici** *prophetiarum* **genere** apte probari potest christianæ religionis divinitas? Prænotanda

§ I. De prophetiis *Veteris Testamenti*

Q. *Indica* et *describe* **tres series,** in quas dividuntur prophetiæ Messianicæ *Veteris Testamenti.*

I De Charactere Messiæ

A: De prophetia Gen. III, 15

1° *Debellator serpentis antiqui*

a) Prophetiæ *sensus*

Q. 1. Generatim *exponatur* genuinus hujus prophetiæ **sensus**.

2. Hanc interpretationem *vindica*, statuendo 1° quid in hoc vaticinio intelligere oporteat *a)* per *inimicitias* inter mulierem et serpentem; *b)* per *mulierem* et *semen ejus; c)* per verba *Vulgatæ* : « *ipsa* conteret caput tuum; » 2° quænam sit pœna significata per verba *conteret caput tuum*.

b) Prophetiæ *objectum*

3. Quænam **facta**, juxta hanc verborum interpretationem, in hac prophetia prædicta sunt?

c) Prophetiæ *complementum*

4. Quomodo in Christo *adimpleta* sunt, quæ in *protoevangelio* prænuntiantur de *filio mulieris*, *inter dæmonis insidias*, *a peccati suasore vindicias* repetituro?

B. De prophetiis ad *fœdus novum*, ad *sacrificium novum* et ad *Ecclesiam* spectantibus

2° Auctor *fœderis novi*

Q. 1. Proba verbis *Jerem.* XXXI, 3 sq. *(collat. Deut.* XVIII, 15, 18, 19) prædici pactionem **fœderis novi**, a fœdere mosaico prorsus distincti, quo homines *gratia interna* docerentur et cum Deo sociarentur.

2. Ex *dictis* et *factis Christi*, atque *ex verbis Apostolorum* ostende hanc prophetiam de fœdere novo, per Jesum Nazarenum esse *adimpletam*.

3° Sacerdos et victima *sacrificii novi*

3. Quomodo *Dan.* IX, 27; *Malach.* I, 10, 11; *Is.* LIII, 5 prænuntiatur **abrogatio veterum sacrificiorum**, atque **institutio novi sacrificii** in quo *Messias scipsum oblaturus esset?*

4. Ulterius proba a Malachia prædici veteribus sacrificiis substituendum esse *per Messiam* sacrificium *universale*, *incruentum*, intrinsece et essentialiter *mundum*.

5. Exponatur quomodo hæc in Christo sint *impleta*.

6. Ex vaticiniis *Osee* II, 24; *Malach.* I, 11; *Ps.* II etc., proba jam sub lege antiqua prænuntiatam esse **omnium gentium vocationem** ad *Ecclesiam Christi*.

3° Conditor *Ecclesiæ* universalis

C. De prophetia Jacob, Gen. XLIX, 10

II De **tempore adventus Messianici**

Q. 1. Hoc vaticinium ad **tempus Messianicum respicere**, proba 1° ex verbis *qui mittendus est* (hebr. *schiloh)*; 2° ex verbis *et ipse erit exspectatio gentium* (hebr. et ipsi *obsequium gentium)*.

1° *Antequam auferatur sceptrum de Juda*

2. Exposito sensu verborum : « non auferetur *sceptrum* de *Juda* et *dux de femore ejus*, » demonstra tempus adventus Messianici in hoc vaticinio **clare determinari.**

3. Ad ostendendum vaticinii *complementum*, 1° explica quomodo tribus Juda *non amiserit suam autonomiam a) in deserto; b) a Moyse usque ad David; c) post decem tribuum discessionem; d) ipso tempore captivitatis; e) captiritate soluta; f) tempore Machabæorum; g) ab Herode usque ad Christum.* — 2° Ostende tribum Judæ hac sua autonomia *penitus destitutam* fuisse, *hac ipsa ætate* qua Christus potestatem suam in gentes exercere incœpit.

D. De prophetia Danielis c. IX.

2° *Post LXX hebdomades*

Q. 1. Demonstra in hoc vaticinio **de Messia sermonem esse :** *a)* ex *nominibus* personæ prænuntiatæ; *b)* ex præclaris ejus adventus *effectibus*.

a) Sensus Messianicu

2. Ut constet adventum Messiæ per Angeli verba esse *determinata ratione* **præfixum,** ostende 1° seriem hebdomadum *immerito pro indefinita haberi*, idque confirmari *a)* ex *scopo angeli*, *b)* ex vocibus *abbreviatæ*

b) Sertes determinata et continua

sunt, c) ex seriei *distributione, d)* ex determinatione *termini a quo;* 2° inter hebdomadum divisiones *tempora intermedia* non posse admitti.

c) Vox hebdomada

3. Quid significat vox hebraica **schabuah (hebdomas)** *a) per seipsam; b)* in *usu* loquendi *Hebræorum; c) in hoc vaticinio* Danielis. — Detur *ratio responsi.*

d) Terminus a quo

4. Proba **temporis computationem** a Daniele indicatam, **incipiendam esse** ab edicto quod dedit Artaxerxes Longimanus, *anno vigesimo* sui regni.

e) Res prædictæ

5. Indica **quatuor capita** quæ de tempore Messiæ a Daniele prædicta sunt.

f) Vaticinii *complementum*

α) substantia *factorum*

6. Ostendatur **revera evenisse** quæ a Daniele prænuntiata sunt 1° de *urbe instauranda;* 2° de *apparitione Messiæ;* 3° de *pacto* confirmando a Messia, de *morte Messiæ* atque de *abolendis sacrificiis* antiquis; 4° de *ultimis fatis urbis et templi.*

β) *chronologia*

7. Summatim exponatur *status controversiæ* circa concordiam instituendam inter **chronologiam** antiquam, et temporis definitionem traditam a propheta.

8. Probetur *auctoritatem vaticinii* illis controversiis *minime everti,* sed potius singulari ratione *confirmari.*

E et F. De prophetiis Aggæi c. II et Malach. III.

3° *Ante ruinam templi secundi*

Q. 1. **Exponatur sensus** prophetiæ *Agg.* II, 7-10.

2. Hanc prophetiam spectare ad **Messiam,** proba 1° ex *splendore* singulari quo templum dicitur illustrandum; 2° ex *attributis personæ* de qua agit propheta; 3° ex *incommodis* sententiæ oppositæ.

3. Demonstra *Christum Jesum* revera præsentia sua **illustrasse** *illud ipsum* **templum** quod post captivitatem exstructum est.

4. Quomodo confirmatur hoc vaticinium verbis *Malachiæ* III, 1, de Dominatore et de Angelo testamenti **ad templum suum venturo?**

G. De Prophetiis *individuas* notas *personæ* et *vitæ* Messiæ respicientibus

III Notæ individuæ

Q. 1. Quomodo a prophetis prædicta sunt Messiæ 1° **ortus** *divinus* et *humanus* (*Is.* IX, 6; *Ps.* II, 7; *Gen.* III.); 2° ortus *ex patriarchis* (*Is.* XI, 1); 3° **nativitas** in *Bethlehem* (*Mich.* V, 2); 4° nativitas *ex virgine* (*Is.* VII, 14)? — Ostendatur hæc esse *impleta* in Jesu Nazareno.

1° *Ortus* et *nativitas*.

2. Quid circa **vitam** Messiæ prædictum est de Messiæ 1° *præcursore* (*Malach.* III, 1.); 2° munere *docendi* (*Is.* LXI, 1.); 3° *miraculis* (*Is.* XXXV, 4 sq.); 4° munere *prophetico* (*Deuter.* XVIII, 15 et 18)? — Exponatur harum prophetiarum *impletio*.

2° *Vita*

3. Ostendatur a prophetis (præsertim *Zach.*, *Is.*, *Ps.*, *Dan.*) prædictas esse præcipuas circumstantias **passionis** et **mortis** Christi.

3° *Passio* et *mors*

4. Probetur in vaticiniis veteris legis jam prænuntiatam fuisse Christi **resurrectionem** (*Ps.* XV, 10); et **exaltationem,** maxime per *ascensum in cœlum* (*Ps.* CIX, 1.), per *missionem Spiritus Sancti* (*Joel*, II, 28); per *regnum* universale (*Ps.* II et CIX).

4° *Resurrectio* et *exaltatio*

H. Conclusio dogmatica

Q. 1. Generatim ostendatur illis vaticiniis inesse omnes notas ad **veram prophetiam** requisitas.

1° Prophetiæ *veræ*

2. Ex persuasione Judæorum et Gentilium proba *in specie* has prophetias, non obstante quadam caligine, **debita claritate** non caruisse.

2° *Unum* Messiam respiciunt

3. Demonstra, *gratuito*, imo *falso* a quibusdam affirmari hæc vaticinia non **ad unam personam Messiæ,** sed ad plures esse referenda.

3° Perfecte *impletæ in Christo*
Error Judæorum

4. Ad vindicandum prophetiarum **complementum in Christo,** solvatur hæc **objectio** : Judæi exspectantes Messiam ut *regem temporalem gentis hebraicæ,* vel veram tenuerunt prophetiarum interpretationem, vel in errore versati sunt. Si prius, *Christus non est Messias* prænuntiatus; si alterum, prophetiæ habendæ sunt ut *ambiguæ*. Ergo prophetiæ istæ **non probant** divinam Christi legationem. — *Falsam esse minorem quoad alterum membrum*, proba explicando 1° quomodo Judæi in errorem inducti sint *non ex impotentia morali* sensum prophetiarum assequendi, sed ex *specialibus suis præjudiciis;* 2° quomodo ex ipsis prophetiis potuissent cognoscere Messiam ut regem *universalem*, magnificentia et felicitate *temporali* destitutum, auctorem bonorum *spiritualium;* — ideoque, recte interpretari loca (ut *Jerem.* XXIX, 14) quibus in errorem inducti fuisse videntur.

§ II. De prophetiis editis a Christo

1° Prophetiarum *conspectus*

Q. 1. **Exponantur** et **cum eventu conferantur** præcipuæ **Christi prædictiones** *a)* quoad *seipsum; b)* quoad fata *doctrinæ et Ecclesiæ suæ; c)* quoad fata *urbis et nationis judaicæ.*

2° *Character supernaturalis*

2. Proba illas prædictiones esse **veras,** seu 1° esse satis *claras,* etiam quoad *facta ad cladem judæorum* pertinentia atque simul cum futura mundi consummatione prænuntiata; 2° versari circa eventus *futuros,* a libero *hominum arbitrio* vel *Dei consilio penitus* pendentes, qui *casu impleri non potuerint.*

3. Prophetias illas editas esse **in confirmationem** divinæ Christi missionis et doctrinæ, eruatur 1° ex constanti Christi *agendi ratione*; 2° ex Christi *declaratione generali* de operibus suis supernaturalibus; 3° ex scopo quem *expressis verbis* vaticiniis suis præstituit. — 3° *Vis probandi*

4. Quomodo ex universo hoc articulo concludere licet **prophetias** tum veteris, tum novi testamenti esse **signa certissima** *divinæ Christi missionis et doctrinæ*. — **Conclusio articuli**

ARTICULUS II

DE MIRACULIS

Q. Describatur hujus articuli **materia** et **divisio**. — *Prænotandum*

§ I. De miraculis conjunctim spectatis

Q. 1. Quænam *tria* ex ordine evolvenda sunt, ut divinitas missionis et doctrinæ Christi ex miraculis vere comprobetur. — 1° Tractationis ordo

2. Quomodo apte **distribui** possunt miracula ad Christum spectantia? — 2° Miraculorum descriptio

3. Describatur quomodo a **Patre cœlesti** clarificatus sit Christus 1° *in nativitate* sua; 2° in *vita* sua *publica*; 3° *in* sua *morte*; 4° *post mortem* suam. — *a*) Miracula *Patris* cœlestis

4. Enumerentur præcipua miracula quæ patravit **ipse Christus** 1° *in rebus inanimatis*; 2° *in ægrotis*, (in genere et in specie); 3° *in mortuis*; 4° *in dæmonibus* expellendis. — Exponatur, juxta S. Thomam, hujus *varietatis* ratio congrua. — *b*) Miracula ipsius *Christi*

5. Ostende **Apostolos** etiam fecisse miracula. — *c*) Miracula *Apostolorum*

6. Undenam demonstratur horum miraculorum **veritas historica**. — 3° Veritas historica

4° **Character divinus**

7. Quanam ratione demonstrari solet horum miraculorum **character divinus?**

a) Notæ negativæ

8. Ostendatur in illorum factorum *fine*, *objecto* et *modo* nihil reperiri quod **Deo** non sit **dignum.**

b) Notæ positivæ :

9. Quid probari debet ut constet hæc miracula ex **virtute divina** esse producta?

α) Non ex *causa mundana*

10. Ad hæc miracula producenda *impares fuisse* **causas mundanas** in hisce adhibitas, demonstra ex *obvia* illorum factorum *indole*, collata cum universali hominum experientia.

β) non *mira dæmoniaca*

11. Hæc miracula *censeri non posse* **mira dæmoniaca,** eruatur 1° ex multorum operum indole *prorsus supernaturali*; 2° ex operibus *dæmonis potestati adversantibus*; 3° ex *omnium* istorum prodigiorum *sanctitate omnimoda* atque *scopo communi.*

γ) *non præstigia*

12. Eadem opera non magis dæmonis **illusionibus** quam ejus artibus posse adscribi, confirma ex illorum effectuum *frequentia* et *duratione.*

c) Hominum consensus

13. Ostendatur **fidem Judæorum** (tum plebeiorum, tum doctiorum) atque **ethnicorum,** qui Christo adhæserunt, neque ex *animi levitate* neque ex *pravis passionibus*, sed ex sola *signorum evidentia* rite explicari.

14. Quomodo urget *S. Augustinus* hoc argumentum, contra eos qui hæc miracula jam *posterioribus temporibus non apparere* conqueruntur?

15. Quænam **maxime consideranda** sunt, ut in *horum miraculorum complexu*, character divinus manifestius appareat? — Res *exemplo* confirmetur (Arnobii, *adv. Gent.* I, 45).

5° **Vis probandi miraculorum**

16. Demonstra 1° ex *verbis Christi*; 2° ex *sensu discipulorum et Apostolorum*, miracula illa revera facta esse **in confirmationem** doctrinæ et missionis Christi.

6° **Objectiones**

17. Respondeatur his **objectionibus :**

Obj. 1. Christus antequam miracula patraret, **fidem postulavit.** Atqui hæc fides est **causa naturalis** illorum operum. Ergo non sunt opera supernaturalia. — *Resp.* ad *maj.* : *aliquando, non semper*; ad *min.* distingue inter *conditionem sine qua non*, et *causam efficientem*. — *a)* Contra characterem *supernaturalem*

Obj. 2. Si Christus edidisset miracula *in confirmationem* suæ legationis, eorumdem **promulgationem non prohibuisset,** sed promovisset. Atqui miracula sua promulgari prohibuit *(Marc.* I, 44; VII, 36). Ergo. *Inst.* : Unica prohibitionis *ratio* esse potuit impedire ne suam prædicationem miraculis confirmare videretur. — In *responso* explica *cur* Christus, *præter consuetam suam loquendi et agendi rationem*, aliquando circa miracula sua silentium præscripserit. — *b)* Contra *vim probandi* : Silentium præscripsit Christus

Obj. 3. Si miracula Christi vim probandi habuissent, omnes **Judæi,** hæc videntes, Christo **credidissent.** Jamveri pauci tantummodo et rudes Christo adhæserunt. Ergo. — In *responso,* 1° explica quomodo Judæi, quamvis *credibilitatem* doctrinæ Christi ex miraculis demonstratam haberent, Christi religionem non amplecti potuerint; 2° ostende *minorem* objectionis limites veritatis excedere. — Quomodo exponit *Dr Paulus* sententiam Judæorum circa miraculum multiplicationis panum? — Non crediderunt Judæi

§ II. De miraculo Resurrectionis Christi

Q. 1. Singulare hujus miraculi **momentum** declara *a) ex ipso opere; b) ex dictis Christi; c) ex prædicatione Apostolorum* circa ejus consectaria dogmatica et moralia. — 1° **Status quæstionis** Rei *momentum*

2. Quid *præ cæteris præstandum est* ut ex hoc facto demonstretur divinitas religionis Christianæ? — Controversiæ *cardo*

3. Christum, antequam sese ut redivivum manifestaret, — 2° **Demonstratio**

a) Vere *mortuus est*

vere mortuum esse, eruatur *a)* ex testimonio *universæ antiquitatis, Evangelistarum, Pilati* et *militum; b)* ex *adjunctis* ejus *mortis* ejusque *sepulturæ.*

b) Vere *rediit at vitam*: Testes *non* decepti

4. **Testes** resurrectionis Christi **non fuisse deceptos** ostendatur *a)* ex testium *numero; b) ex perfecto* et *multiplici experimento; c) ex momento facti;* — maxime iis omnibus criteriis *simul spectatis.*

Testes *non deceperunt*

5. **Testes noluisse decipere** probetur *a)* ex eorum *charactere; b)* ex *carentia motivi* et *mendacii sequelis* a parte Dei et hominum timendis; *c)* ex *modo agendi Judæorum* erga Apostolos resurrectionem prædicantes, fraudem principum sacerdotum revelantes atque sepulchrum vacuum repertum esse objicientes; *d)* ex *impossibilitate decipiendi,* α) corpore Christi *clam ablato* (per *vim,* per *seductionem,* vel per *callidam fraudem);* ac dein β) *falso sparso* resurrectionis *rumore* (testibus *consentientibus,* christianis *credentibus,* non obstantibus apostolorum *miraculis).*

6. Quomodo hanc argumentationem summatim perstringit *S. Chrysostomus?*

3° **Objectiones**
α) Resurrectio *non satis publica*

Obj. 1. Ut resurrectio Christi esset divinæ Christi missionis et doctrinæ *signum supremum,* oportuisset ut Christus, in omnium conspectu mortuus, *spectante populo* e sepulchro prodiret, aut saltem, sicut ante mortem, *hominum commercio palam uteretur.* Atqui resurrectio Christi **paucis tantum** *discipulis* et *mulieribus,* et quidem **tempore sat brevi** manifestata esse refertur. Ergo non est peracta *in conditionibus requisitis,* ad Christi religionem decretoria ratione confirmandam. — In *responso ad majorem,* proba 1° conditiones ab adversariis requisitas non esse *necessarias* ad *resurrectionem probandam* aut ad *fraudis suspicionem removendam;* 2° neque has conditiones ut certe *convenientes* esse habendas; imo

rationes haud spernendas *obstitisse* ne implerentur (easdem videl. propter quas Deus noluerit *omnibus* credentibus revelationem exhibere sicut Apostolis, atque *actum fidei arduum* esse permiserit). — In *confirmationem responsi* exponantur media cognitionis Judæis etiam incredulis data, et quæratur ratio *specialis* propter quam Christus non omnibus passim se redivivum exhibere voluerit.

b) *Non vera resurrectio*

Obj. 2. Christus redivivus, in Evangelio exhibetur tanquam *spiritus (Luc.* XXIV, 37), qui ex *oculis evanescit (Luc.* XXIV, 31), *januis clausis* intrat in cœnaculum (Jo. XX, 19) atque *varias assumit formas* hortulani, peregrini etc. Jamvero hæc **phantasmatis apparitionem** potius quam *realem* hominis resurrectionem significant. Ergo non constat Christum *vere* resurrexisse. — In *responso* per singula explicetur quomodo loca objecta, nedum adversariis faveant, veritatem resurrectionis Christi potius confirment.

c) Non *certa narratio*

Obj. 3. Evangelistæ in narranda resurrectione Christi **sibi contradicunt.** Ergo nec ipsum factum certo compertum habebant. — In *responso* ostendatur iis, *quæ dicuntur*, contradictionibus veritatem *ipsius facti* non infirmari, commendari vero Evangelistarum sinceritatem.

Obj. 4. Christus prædixit se in sepulchro mansurum *tribus diebus et tribus noctibus (Matth.* XII, 40). Atqui, juxta Evangelistas, surrexit *die tertio*. Ergo. — *Solvatur* difficultas ex *usu Judæorum* atque ex ipsa *Pharisæorum agendi ratione.*

§ III. De miraculosa Ecclesiæ vita

Tractationis indoles et ordo

Q. 1. *Quotuplici sub respectu* demonstrari valet *divinitas* missionis et doctrinæ Christi ex **vita miraculosa Ecclesiæ?**

2. Explica responsum, declarando 1° quænam existere possit *connexio* inter manifestationem vitæ Ecclesiæ atque divinitatem doctrinæ et missionis Christi; 2° *quid* de tribus illis effectibus *inquirere oporteat*, ut tanquam *miracula moralia*, *divinitatem* religionis Christianæ evincant.

A. De propagatione et conservatione fidei Christi

1° Facti veritas et amplitudo

Q. 1. Ex testimoniis antiquorum, tum *Christianorum* tunc *paganorum*, proba Ecclesiam jam *ante Constantinum* **latissime,** imo jam ab initio **celerrime** fuisse **propagatam.**

2. Unde constat Ecclesiam a pristina sua universalitate **nunquam defecisse?**

2° Facti difficultas

3. Demonstra illius facti **difficultates intrinsecas,** oriundas *a)* ex *magnitudine operis; b)* ex fidei *mysteriis c)* ex *doctrinæ gravitate; d)* ex nominis christiani *ignominia.*

4. Ostendantur ejusdem facti **difficultates extrinsecæ,** oriundæ ex pugna *a)* cum errore *inveterato; b)* cum superstitione *cupiditatibus favente; c)* cum *superbia philosophorum* et *sacerdotum avaritia; d)* cum sævitia *persecutorum; e)* cum *hæresibus* et *schismatibus.*

3° Facti explicatio

5. Comparatis his difficultatibus cum **mediis naturalibus** ad ipsas vincendas adhibitis, demonstretur hoc factum nonnisi **ex supernaturali Dei auxilio** posse explicari.

4° Objectiones *a)* paritas cum aliis religionibus

6. Ad solvendas **objectiones,** 1° ostendatur **disparitas** inter adjuncta quibus invaluit *ethnicismus, protestantismus, mahumedismus,* atque modum quo propagata est fides Christiana; 2° probetur factum Christianum neque *a)* ex **indole religionis Christianæ,** *remissionem*

b) causæ naturales

peccatorum promittentis, et *opera misericordiæ* foventis; neque *b)* ex **temporis adjunctis** (ex summa videl. *superstitionis paganæ stultitia* atque ex *imperii Romani extensione)* ortum suum ducere.

B. De Constantia martyrum

Q. 1. Qua ratione consideratur hic **martyrium?** — 1° **Prænotandum**

2. Ex testimoniis antiquorum proba **numerum martyrum** fuisse *ingentem*, atque fideles *omnis ætatis, sexus et conditionis* complectentem. — 2° **Facti veritas et præstantia**

3. Ad manifestandas hujus **martyrii qualitates,** demonstra martyres, *tormenta crudelissima summa constantia* sustinentes, singularia *virtutum exempla* dedisse; idque contigisse *omni loco et tempore.*

4. Demonstretur factum istud tam *universale* et tam *insigne*, neque ex *spe lucri*, neque ex *vanæ gloriæ cupidine*, neque ex *mentis furore*, neque ex *inani exspectatione futurorum bonorum;* sed solummodo ex **speciali Dei interventu,** tum externo, tum interno, plane intelligi posse. — 3° **Causa supernaturalis**

5. Ut satisfiat **objectionibus,** monstretur martyribus catholicis, qui *tanto numero, ex omni conditione, tam dira* sustinuerunt *tormenta, omnium simul virtutum* specimina exhibentes, *immerito* æquiparari 1° **cæterorum cultuum** martyres; 2° **milites** pro patria pugnantes; 3° **paganos** qui defunctis aut idolis se devovent. — 4° **Objectiones**

C. De mutatione morum

Q. 1. Quænam hic intelligitur **morum mutatio?** — Quid *præstandum est* ut ex eadem vindicetur *divinitas fidei Christianæ?* — 1° **Status quæstionis**

2° Stupendum factum historicum

2. Ad illustrandam morum mutationem, ope fidei Christianæ inductam, exponatur quomodo hæc ipsa fides 1° *homines* **liberaverit ab errore** circa Deum et res divinas; 2° *peccatores ad praxim omnium* **virtutum** direxerit; 3° *vitam* **domesticam** et **socialem** *sancte ordinaverit.*

3° Ex virtute divina

3. Ex humanæ naturæ *proclivitate ad vitium* atque ex universali *experientia,* explicetur quomodo hæc morum mutatio nunquam potuisset induci, nisi fides Christiana clarissimis **signis** *fuisset demonstrata,* atque **interno gratiæ auxilio** *excitata et adjuta.*

4° Objectio

4. Ostendatur factum istud splendorem suum non amittere, **decrescente** quandoque Christianorum **fervore,** aut etiam **flagitiis** aliquando **invalescentibus.**

SECTIO POSTERIOR

De divinitate religionis Christianæ per *notas internas* demonstranda

ARTICULUS I

DE NOTIS INTERNIS POSITIVIS

Prænotandum

Q. *Undenam* desumenda est hæc demonstratio?

§ I. De characteribus *personæ* Christi

1° Christi perfectio

Q. 1. Manifestetur Christi **summa perfectio 1° intellectualis** *a) ex ingenii perspicacia, b) ex scientiæ profunditate, c) ex immunitate ab erroribus et præjudiciis, d) ex arte docendi;* 2° **moralis** *a) ex pietate erga Deum; b) ex amore erga proximum; c) ex immunitate a macula.*

2° Perfectio supernaturalis

2. Demonstra hanc perfectionem oriri ex speciali **Dei interventu** erga suum **legatum.**

§ II. De characteribus *doctrinæ* Christi

Q. 1. Vindicetur *sublimitas* et *perfectio* **doctrinæ Christi,** sub respectu *a) dogmatum, b) præceptorum moralium, c) institutorum.* — 1° Doctrina **sublimis et perfecta**

2. Probetur hujusmodi doctrinam, scriptis philosophorum longe præstantiorem, non a *fabri filio* humanis viribus conflatam, sed **a Deo revelatam** esse dicendam. — 2° **A Deo revelata**

3. Contra hodiernos « evolutionismi » propugnatores, ostendatur Christum **vere docuisse** doctrinam religiosam, **Judæis** quoad plurima **incompertam,** atque **ab ethnicorum systematibus,** non obstante quadam similitudine, minime dependentem. — 3° Doctrina **nova**

ARTICULUS II

DE NOTIS INTERNIS NEGATIVIS

Q. Probetur doctrinam Christi ab omni evidenti **errore** aut **pravitate** esse **immunem.**

CONCLUSIO

Q. 1. Quomodo per *duplicem hujus tractationis partem* obtentum est quod erat hujus libri **scopus** : ostendere videl. religionem Christi vere esse a Deo revelatam? — **Conclusio** *a) Speculativa*

2. Quid ex hac demonstratione **practice concludendum** est, circa modum quo homines se gerere debent *erga religionem Christianam?* — *b) Practica*

INDEX PARTIUM

Introductio ad universam Theologiam catholicam

Pag.

§ I. De *essentia* Theologiæ 1
§ II. De *divisione* Theologiæ catholicæ. 2
§ III. De *methodo* Theologiæ catholicæ 3
§ IV. De *historia* Theologiæ catholicæ. 4
§ V. De *fructibus* scientiæ theologicæ 6

DEMONSTRATIO CHRISTIANA

PROŒMIUM. 8

PARS PRIOR

De Divinæ Revelationis possibilitate

CAPUT PRIMUM. De Religione seu Dei cultu naturali; sive de possibilitate revelationis *a parte materiæ*. . 10
CAPUT SECUNDUM. De *physica* revelationis possibilitate *a parte Dei* 18
CAPUT TERTIUM. De *notis* divinæ revelationis, seu de possibilitate revelationis *a parte hominis*. 25
SECTIO PRIOR. *De Miraculis*. 26
SECTIO POSTERIOR. *De Prophetiis*. 38
CAPUT QUARTUM. De necessitate et convenientia revelationis 41

PARS POSTERIOR

De Revelationis Christianæ divinitate

CAPUT PRIMUM. De veritate historica Revelationis Christianæ, seu de auctoritate historica Sacræ Scripturæ 49
SECTIO PRIOR. *De auctoritate historica Librorum Sacrorum Veteris Testamenti* 50
SECTIO POSTERIOR. *De auctoritate historica Librorum Sacrorum Novi Testamenti* 50
CAPUT SECUNDUM. De veritate divinitatis Revelationis Christianæ 53
SECTIO PRIOR. *De divinitate Revelationis Christianæ per* prophetias *et* miracula *probanda* 53
SECTIO POSTERIOR. *De divinitate religionis Christianæ per* notas internas *demonstranda*. 66
CONCLUSIO TOTIUS LIBRI 67

986